3 1761 05345074 8

UNIV. OF
TORONTO
LIBRARY

CHR. G. HEYNII
PROFESSORIS ELOQV. ET POES. GEORGIAE AVGVSTAE
M. BRITANN. R. A CONSIL. AVL.

OPVSCVLA ACADEMICA

COLLECTA

ET

ANIMADVERSIONIBVS

LOCVPLETATA.

VOLVMEN I.

H. H.

GOTTINGAE
APVD IO. CHRIST. DIETERICH.
1785.

21390
27/1/92

PRAEFATIO.

More ac lege, vt aliarum, ita noſtrae academiae, receptum eſt, vt actus ſollennes academici indicantur e tabula publica, praemiſſa commentatione ſuper argumento e diſciplina aliqua cycli academici petito; quod ſi in honoribus academicis ſummis conferendis, in quibus etiam a candidatis pro opera ea tributum exigitur, interdum ab illo more receſſum eſt, ſeruatum tamen eum ſancte, nec vllo praemio operae propoſito, cernimus partim ab Ordine theologorum in ſolennibus ſacris annuis coetui Chriſtiano ter indicendis, partim in academicis ſollennibus Prorectori renuntiando et anniuerſariis academiae ſacris celebrandis; mandata haec opera Profeſſori eloquentiae, quem vocant, academiae oratori; cui adeo

quandoquidem ſemeſtres eſſe ſolent vices magiſtratus academici, bis vel ter officio illo eſt defungendum. Quum pauci admodum ſint numero, qui in officiorum aeſtimatione facienda vltra vtilitatem priuatam ac mercedem operae condictam quicquam ad ſe pertinere putent: mirum non eſt, ſi de more hoc academico valde iniqua hominum iudicia paſſim ferri audias: ex quibus alia fundum et rationem habere non negem, alia quam ſint puſilli parumque liberalis animi, facile intelligat is, qui, quid ad communem academiae vtilitatem famamque et exiſtimationem vim habeat, reputauerit. Scilicet cum omnino academiis exoptandae ſint cauſſae et opportunitates quam plurimae, quae ingenia et ſtudia acuant, deſidiam vero ac veternum excutiant: quo nulla pernicioſior peſtis academiis ingruere poteſt, nec vlla certior imminet, niſi ſedulo cautum fuerit: tum omnino ea vtilitatem habent, quibus excitantur animi, ne quotidiana docendi opera profeſſoris munus et nomen abſolui contినerique putetur; verum vt diſciplinae ſuae quisque pro ſe fundum colere, prouentum augere, quae alii ad litterarum incrementa et auctus attulerint, cognoſcere ac ſua facere, ex iisdem copiis alia ad cathedrariam tradendi operam transferre, alia tanquam noua augmenta et ornamenta propriae ſuae doctrinae adiicere ſtudeat. Quod ſi itaque tempora incidunt, quibus non modo

oppor-

opportunitas commentandi, verum et neceſſitas impoſita eſt: eriguntur ad lectionis et commentationis ſtudium multorum ingenia, quae alias, modo naturae humanae imbecillitate, modo ſocordia inſita, modo longa deſuetudine, primo ab omni ſcribendi, mox a legendi quoque et commentandi vſu eſſent receſſura, pudorque iniicitur, ne quis, id quod docti hominis nomine et profeſſione indignum eſt, in vulgari diſciplinae tradendae ambitu tanquam in mola circumagenda iumentum ſe contineat, opinionibus dudum exploſis ſe iactet, aut paupere cultu, quem a magiſtro traditum acceperat, ſuperbus incedat. Nec vero euenire poteſt, quin vnicuique non omnino mercenariam operam litteris praeſtanti nonnulla paſſim occurrant, quae aut ſubtilius, quam adhuc factum erat, tractari aut in meliore ordine, maiore luce, conſtitui poſſe videat; alia de quibus dubitet, aut quae e diſciplina eliminanda eſſe putet; de his quae ipſe ſentiat exponendi opportunitas vix alia eſt magis exoptata, quam proluſionum genus hoc, quo vnam vel alteram obſeruationem, aut exquiſitam animaduerſionem, aut ex interiore doctrina caput aliquod enucleare licet, et quod, quia publice ſuſceptum eſt, vbique plures habet qui legant, quam ſi pauca folia ſuo aliquis nomine privatim euulgauerit. Nec vero, ſi deficientibus iis, quae dixi, doctioribus, vulgaria nonnulla ſatisque nota recoquantur, vel ſic

omni vtilitate ſcribendi vſus ille caret; ſaltem torpor animorum, ne peſtilenti afflatu omnia corrumpat, abſtergetur, et capita certa doctrinae crebra lectione in animos multorum reuocantur, infiguntur et inculcantur. Omnino ea, quae in academiis ſcribuntur, diuerſo cenſu et loco habenda ſunt, quam, quae ab aliis alio ſuſcipiuntur conſilio; in his enim cum optandum ſit, vt nemo ad ſcribendum accedat ac prelo ſcriptum ſubiiciat praeterquam is, qui aut vtiliter aliquid monere ac ſuadere, aut noua tradere, aut antiqua melius declarare poſſit: in academiis contra ad ipſam ingeniorum diſciplinam et exercitationem illud pertinet, vt ſcriptione et commentatione ſui illa experimentum dent, faciantque teſtatum aliis, quid de ſua virtute et profectibus aut iudicandum ſit aut ſperandum. Tandem ad ipſas academias earumque nomen ac famam haud parum intereſt, vtrum ad ſolam docendi prouinciam reuocentur doctorum ſtudia; vti animantis vita ex motu, ſic litterariae vniuerſitatis vigor ac viuida vis non niſi ex iis cognoſcitur, quae ingenii doctrinaeque copias in vulgus eruditum proferunt; qui intus canit, neminis facile aures aduertit; nec ſatis eſt libros elementares ſexcenties refingi; ſi ſocietati litterariae vllum aliquod laudis et famae ſtudium propoſitum eſt, plus laudis habet, ſi ex ipſis diſciplinae medullis exquiſitior quaeſtio aut locus conſtitutus in vulgus exierit. Adeo non improbandum aut negli-

negligendum eſt proluſionum ſcribendarum inſtitutum, vt contra ad academiarum nomen ac famam haud parum interſit, ſcribanturne proluſiones nec ne, et num bene an male ſcribantur.

Vtilitates videmus grauiſſimas, quas mos ille antiquus commentatione aliqua praemiſſa ſollennia publica indicendi habere poteſt et habere ſolet. Tuetur vero ille ſe, ſeque intelligentibus approbat, non minus ipſa rerum natura, academiarum conditione ac deſcriptione, tum decori ratione, ipſaque rei neceſſitate; fingamus enim dari nobis aliquam academiam, in qua nihil geratur publice, nec oratio vlla publice habeatur, nihilque publice ſcribatur: quantos auctus, quam proſperitatem, quam exiſtimationem apud ſuos, quam ad exteros famam, habituram illam eſſe putabimus? Sunt autem haud dubie in omni republica nonnulla, quae publice agenda ſint; nec poſſunt omnia nec debent clam et in occulto aut intra priuatos parietes peragi; multo magis in ea ciuitate, quae propius ad popularem formam accedit: in qua multi monuerunt diligenter videndum eſſe, vt reip. maieſtas, magiſtratus auctoritas, ſenatus dignitas, inſignibus, pompa, ſollennibus, ad oculorum animorumque ſenſus amplificetur: iam autem quae publice agenda ſunt, quis non intelligat more aliquo, eoque ſollenni, inter caerimonias certas, die

 loco-

locoque ſtato, eſſe exſequenda? quod niſi fiat, in contemtum adducantur neceſſe eſt ipſa illa negotia, quibus auctoritas aut dignitas ex ipſo more et ex ſollennibus caerimoniis comparanda erat. Expectandum itaque eſt a virorum doctorum, quos acutius cernere quam vulgus credas, prudentia et publicae vtilitatis reſpectu, vt morem ritumque publice receptum caerimoniamque ſollennem eſſe velint auguſtam, ſanctam, talem omnino, qualis viros graues deceat et ad adoleſcentum animos honore ac reuerentia imbuendos vim aliquam habere poſſit. In rep. autem academica quae tandem eſſe poſſunt caerimoniae, qui ritus, cum ipſa rerum natura magis coniuncti, quam vt pompa ducatur, vt oratio habeatur, vt e tabula publica edicatur, vtque edictum adiectum habeat aliquid, quod publice vtile eſſe poſſit? Nam ea, quae ex antiquiore academiarum inſtituto quod offenderet habebant, iam depoſita in noſtra hac academia ſunt; in iis autem, quae, ipſa re, vtilitate publica prudentique conſilio ſuadente, retinuimus, ad officium cuiusque noſtrum, et ad fidem ac religionem Profeſſoris pertinere arbitror, vt videat, ne, quae publice gerantur, dignitate, grauitate et ſpecie aliqua honeſta, deſtituta ſint.

Enimuero habere forte reprehenſionem videri poteſt alterum illud, quod proludendi opera illa credita eſt Profeſſori eloquentiae: forte

forte enim conſultius habendum, ſi diſpertitis per ſingula diſciplinarum genera et per ordines academicos vicibus Proluſiones deinceps ſcribantur a ſingulis; inprimis cum litterarum illud genus, e quo Profeſſoris eloquentiae virtus et nomen cenſetur, diſciplinis cycli academici vulgo vix accenſeri ſoleat. Neque improbandum inſtitutum illud dicerem, ſi quidem academia eſſet, quae illud adoptare decreuiſſet; nunc quae in more recepto bona inſint, videndum eſt. Etſi enim ab iis, qui primi eum induxere, ad facultatem dicendi latine ac ſcribendi forte vnicus reſpectus habitus eſt, vtilitatem tamen res habet hanc, vt ne litterarum humaniorum ſtudia prorſus ex academiis, in quarum angulis adhaereſcunt, exulent, cum aliquoties per annum caput ex iis aliquod hominum oculis ſubiicitur. Cum porro nemo ad academicas diſciplinas admittendus ſit, nec vlla bene fundata eſſe poſſit vllius generis doctrina, litterariis ſtudiis niſi ſubnixa ea ſit: credendum eſt, nullum facile aliud argumentum tam commune et omnium ſenſibus ac guſtibus accommodatum cogitari poſſe, quam quod ex iis litteris petitum ſit, quas, antequam ad diſciplinam academicam acceſſimus, deguſtauimus omnes. Quo minus per vices res recte geratur, vereor ne ipſa ordinum ſeu facultatum in academiis deſcriptio intercedat: qua quidem deſcriptione interdum accidit, vt ſtudiorum academicorum recta ratio non pa-

rum perturbetur et euertatur; opinione enim regitur vulgus; neque adeo grauiſſimarum diſciplinarum dignitas et auctoritas eſſe poteſt vnquam ſatis magna ad iuuenum animos tenendos, quamdiu illae coniectae in vnum miſcellum Ordinem et tanquam in lance ſatura confuſae latent. Itaque magnum ſui acuminis et ſollertiae documentum nuper propoſuit vir illuſtriſſimus, qui in academia ſua inſtaurata quartum Ordinem in tres diſpeſcuit: modo ille eo vsque eſſet progreſſus, vt antiquarum litterarum totiusque antiquitatis ſtudium, vna cum omni artium et litterarum elegantia, non aliis diſciplinis, ſatis ab iſto ſtudio alienis, pro corollario, ſubiectum aut adnexum eſſe voluiſſet: ſuum illud a ceteris diuerſum Ordinem conſtituere debebat; hac vna re efficere potuiſſet, vt omni litteraturae humaniori et elegantiori laus, honos ac dignitas ſua reſtituta eſſet: ita tandem ad eas litteras, ſine quibus ſacrarum litterarum nulla eſſe poteſt iuſta aut docta interpretatio, et e quibus rerum antiquarum memoria, philoſophia, ingeniorum ornamenta, diſciplinarum exordia et incrementa, petenda ſunt, adducerentur iuuenes, cum in academiis ipſis eas non omnibus reliquis diſciplinis poſthaberi viderent; nec dubito quin ea academia, quae ſuas rationes ad hunc modum aliquando diſpoſitura eſt, omnium reliquarum caput facile euadere poſſit; tam multum vtilitatis, vt hominum ingenia ſunt,

res

res tam exigua eſt habitura, ſi recte proviſa fuerit.

Nec vero ignoro, quantum difficultatis habeat genus hoc ſcriptionis, quod non aut tuo aut vnius alicuius Ordinis academici, verum publico academiae nomine a te ſuſcipitur. Vt enim argumentum aut ſit publici iudicii aut ſaltem videri poſſit, dilectus eius haud facile deſcendere poteſt ad exquiſitam aliquam ex antiquis litteris quaeſtionem, multo minus ad criticam et exegeticam; etſi ego is non ſum, qui tale inſtitutum improbandum eſſe putem; verum elaborandum eſt in materia communi ac publica, quae nec a communi plerorumque qui liberaliter inſtituti ſunt iudicio et ſtudio, nec ab academici corporis dignitate abhorreat. Eam itaque petere plerumque malui ex eo antiquitatis hiſtoriarumque ambitu, quo populorum inſtituta et mores opinionesque tum facta ac fata continentur, ſectandumque mihi eſſe arbitratus ſum genus ſcribendi populare, ſed quale inter eruditos in litteraria ciuitate frequentari putes. Inprimis autem, vt animos etiam ab argumento alienos cognoſcendi aliqua cupiditas inceſſeret, id operam dedi, vt antiqua cum noſtris compararem, aut tempora et euenta obſeruarem, ex iisque commentandi opportunitatem aut arriperem aut elicerem. Aliam difficultatem habebat hoc

hoc ſcribendi genus ex eo, quod eius neceſſitas plerumque impoſita erat in medio aliarum rerum ac curarum curſu, officiis et negotiis variis vrgentibus ac circumſtrepentibus; vt adeo moleſtiae ſenſus ex interpellatis aliis curis ac ſtudiis et ex ſumma feſtinatione obtunderet ingenium, dum inquirendi et excutiendi ſedulitate et ſubtilitate excluſum me ſentirem. Interea vſu etiam in his expertus didici, intentis animi viribus plura expediri poſſe ab occupato quam ab otioſo; et acui ingenium ſtudiumque incitari ipſa trepidatione, admotis inprimis pudoris ſtimulis.

Etſi itaque ipſe non adeo magnifice de his lucubrationibus ſentio, attamen non mei magis, quam academiae, cauſſa, cui et locum et ingenii fortunaeque ornamenta debeo, in animum induxi et conſtitui Proluſiones has vno et altero volumine comprehendere. Exierat anno LXXXII. *alterum decennium* muneris huius mei publici; iuſtum adeo ſpatium, cuius acta huius generis corpus facere poſſent; quae quidem res animaduerſa, ſi qua alia, euicit, vt manum admouerem operae, quae partim in emendandis, reſecandis vel addendis nonnullis verſata eſt, partim in cenſura, quam nonnullis proluſionibus ſubieci, ita vt ipſe de iis iudicium facerem, quae a XX. inde annis a me ſcripta ſunt, in quibus ſane haud pauca delenda ac mutanda eſſe maturius iudicium, rerum vſus et commentatio

aſſidua

aſſidua facile admonere poterant, inprimis in iis litteris, quae non per ſe euidentiam habent, aut quae intra probabilitatis limites ſubſiſtunt. Ita enim plerique omnes litterarum ſtudium ingredi ſolemus. vt ab initio de quacunque re habeamus quod certo ſtatuendum ſit, miremurque adeo alios non idem perſpexiſſe, interdum quoque, ſi ad arrogantiam proniores ſimus, vt nobis egregie ſapere videamur; enimuero curſu per decem, viginti annos continuato, ſenſim ſenſimque intelligimus, eadem illa, quae ſoli perſpexiſſe nobis videbamur, dudum non minus perſpecta fuiſſe aliis, eos autem plus vſus, prudentiae, doctrinae habuiſſe, quam vt opinioni temere conceptae fiderent; alios, cum verum aut quod veriſimilius eſſet tenerent, accumulatis aliis de ſuo, verum obſcuraſſe, interdum e manibus elapſum amiſiſſe; altera ex parte neminem tam abſurda et abſona ſomniaſſe, quin vera aliqua ratio aut ineſſet aut iis eſſet coniuncta, quam vtique peruidere et eruere operae pretium erat. Omnino vero in rebus, quae ad antiquas hiſtorias et litteras ſpectant, nihil poteſt eſſe magis lubricum, quam pronuntiare, quae vera ſint aut eſſe debeant; perpauca enim aut rerum aut hominum fide et auctoritate ita ſubſtructa ſunt, quin aliquid occurrat quod dubitationem facere poſſit, inprimis vbi de opinionibus, inſtitutis ac religionibus hominum et populorum earumque rerum cauſſis quaeritur.

Poſſunt

Poſſunt in his alia eſſe veriora aliis, hoc eſt veri ſimiliora; atque ea amplecti licet pro veris, vt neminem tamen cogam in verba iurare. Itaque, quod ſaepe dixi et in his quoque Proluſionibus paſſim profeſſus ſum, meliorem res antiquas tractandi rationem in eo ponere ſoleo, vt ante rem exploratam nihil ipſe ſtatuam, ſed primo loco in auctoritatem et fidem auctorum, qui aliqua de re tradiderunt, inquiram, tum verba et ſententias, ex iſtorum hominum ſenſu, et ex aetatis, populi, ſectae, in qua illi, quorum acta vel ſenſa vel dicta memorantur, vixere, genio interpreter: eumque morem nec minus in antiquiſſimis rebus, iisque aetatibus quas mythicas appellant, ſeruandum eſſe cenſui, vt in ipſam heroum vitam me inſinuarem, vna cum iis quaſi ipſe degerem, eorum morem, ſenſum, opinionem, induerem, cumque his tandem id, quod veriſimillimum eſſet, (nam verum, quod aſſenſum aliis extorquere poſſit, inueſtigaturum me eſſe, prorſus deſpero,) aſſequerer, idem aliis diiudicandum relinquerem, ſi quis aliter ſtatueret, aequo animo ferrem.

Ceterum, dum iſtas diuerſis temporibus et in magna rerum caſuumque, qui per hos annos publice priuatimque inciderunt, viciſſitudine ſcriptas commentationes iterum ordine perlegerem, non inficior magnum me voluptatis fructum percepiſſe ex eo, quod, quae litterarum incrementa per viginti hos annos facta

facta ſint, tum quam vberior ſentiendi dicendique libertas obtigerit, animo ſubinde occurreret. Sunt enim, id quod etiam ad Proluſionum calcem nonnunquam ſubnotaui, vt p. 218. ſq. p. 258. ſq. p. 328. 9. p. 376. 7. haud pauca, quae tum, cum in his Proluſionibus attingerentur, noua videri poſſent et intacta, ab eo inde tempore aliorum virorum doctorum ſtudiis frequentata et crebriore et intentiore opera in maiore luce nunc conſtituta; alia, quae vix ſuſpenſa manu contingere auderem, nunc libere paſſim ac tuto tractari ac diſputari ſolent. Adeo cum magno illo malo, quod diſciplinae remiſſio maiorque morum licentia inuexit, magnum bonum in remp. inferri coepit, maior dicendi ſentiendique libertas; quam quidem antiquarum litterarum prudenti interpretatione non minus conſtitui recte temperarique arbitror, quam rerum, hominum et naturae ſagaciore cognitione; ſiquidem abſterſis opinionibus, quas obſcuratis per barbariem litteris horrida aetas inuexit, quo grauiſſimi illi antiquitatis auctores ducunt, ad ſimplicitatem intelligendi ac ſentiendi, redibimus; in iis vero, quae litterarum auctoritate tradita ad nos peruenere, interpretandi arte ſaniore ita vtemur, vt ne inferamus ex noſtris ſenſibus et opinionibus alia, quam quae illi, a quibus illa monumenta profecta ſunt, animo, ſenſu et cogitatione tenuerant; quod niſi factum fuerit, philoſophica ſubtilitate parum in his proficitur, quippe

quae

quae ea, quae falſa interpretatione tradita ſunt, ad ſpecioſam rationem redigit, ornat, fucat, et in doctrinae caput conuertit; vera, niſi ex interpretatione meliore hauſta ſint, extundere nequit.

Alterum Volumen Proluſiones ſuper Magnae Graeciae rebus publicis earumque inſtitutis ac legibus ſcriptas complectetur.

CONSPECTVS
PROLVSIONVM
VOLVMINIS PRIMI.

Praefatio

I. *De morum vi ad ſenſum pulchritudinis, quam artes ſectantur.* Proluſio ad audiendam orationem d. 23. Julii 1763. Profeſſionis rhetorices et poetices adeundae cauſſa recitandam Pag. 1

Cenſura huius Proluſionis 34

II. *De veris bonarum artium litterarumque incrementis ex libertate publica.* Oratio aditialis 39

Cenſura huius orationis 75

III. *De Genio Saeculi Ptolemaeorum* Proluſio ad anniuerſaria inaugurationis Academiae Georgiae Auguſtae ſacra XXVI. et *de Pace* gratulationes, d. 17 Sept. 1763 76

Cenſura huius Proluſionis et auctarium 85

IV. *De iudicio, quod defunctis Aegyptiorum regibus ſubeundum erat*: ad ſanctam memoriam Georgii II. d. 25 Octob. 1763. celebrandam 135

Cenſura huius Proluſionis 148

V. *Ad Simonidis verſus, in quibus, virum bonum conſtanter eſſe, difficile eſſe aſſeritur:* ad commendandum nouum Prorectorem Rud. Aug. Vogel. d. 2 Jan. 1764 154

Cum *Cenſura* 164

VI. *De efficaci ad diſciplinam publicam priuatamque vetuſtiſſimorum poetarum doctrina.* Ad commendandum nouum Prorectorem Gottfr. Achenwall d. 2 Jul. 1764 166

Cum *Cenſura* 181

VII. *De cauſſis fabularum ſeu mythorum phyſicis.* Ad indicenda anniuerſaria ſacra XXVII. d. 17 Sept. 1764 184

Cum *Cenſura et Epimetro* 195

VIII. *Nonnulla in vitae humanae initiis a primis Graeciae legumlatoribus ad morum manſuetudinem ſapienter inſtituta.* Ad commendandum nouum Prorectorem Paullum Iac. Foertſch. d. 2 Jan. 1765 207

Cum *Cenſura* 218

IX. *De publicis priuatae frugalitatis vtilitatibus, inprimis ad maiorem ciuium frequentiam,* Proluſio *prior.* Ad commendandum nouum Prorectorem Chr. Fr. G. Meiſter. 3 Jul. 1765 221

X. — — Proluſio *altera.* Ad indicenda anniuerſaria ſacra XXVIII. 17 Sept. 1765. 229

XI. — — Proluſio *poſtrema.* Ad commendandum nouum Prorectorem Rud. Aug. Vogel. 2 Jan. 1766 242

Cum *ſtricturis* in tres has Proluſiones 253

XII. *De elegantiorum artium ac ſtudiorum vſu et fructu ad diſciplinam academiarum publicam.* Ad indicenda anniuerſaria ſacra XXIX. 17 Septembr. 1766 268

XIII. Ad *Inſtitutum hiſtoricum* in a. d. 23 Decembr. 1766. *inaugurandum* 280
De ſtudii hiſtorici ad omnes diſciplinas vtilitate, neceſſitate ac praeſtantia.

XIV. *De veterum coloniarum iure eiusque cauſſis.* Proluſio *prior.* Ad commendandum nouum Prorectorem Abr. Gotth. Käſtner. 2 Jul. 1766 290

XV. — — Proluſio *poſterior.* Ad commendandum nouum Prorectorem Chr. Guil. Franc. Walch. 2 Jul. 1767 310

Additamentum 328

XVI. *Origines panificii frugumque inuentarum initia.* Proluſio *prima.* Ad commendandum nouum Prorectorem Io. Chph. Gatterer. 4 Julii 1768 330

XVII. — — Proluſio *altera.* Ad indicenda anniverſaria ſacra XXXI. d. 17 Sept. 1768 346

XVIII. — — Proluſio *tertia.* Ad commendandum nouum Prorectorem Paull. Iac. Foertſch. 4 Jan. 1769 363

Cenſura harum Proluſionum 376

XIX. *Parentale ſacrum in honorem ac memoriam Munchhuſii* indicitur d. 28 Dec. 1770 383

XX. *Gratulatur Academia nouum Curatorem Ill^mum. de Behr ſuis rebus datum.* Ad commendandum nouum Prorectorem Rud. Auguſtin. Vogel. 2 Jan. 1771 401

XXI. *Indicitur luctus Academiae ex Curatoris Ill^mi. Behrii morte ſuſceptus.* Ad commendandum nouum Prorectorem Gotth. Traug. Zachariae. 2 Jan. 1772 409

Index 421

DE

MORVM VI AD SENSVM PVLCHRITVDINIS QVAM ARTES SECTANTVR

PROLVSIO

AD AVDIENDAM ORATIONEM

D. XXIII. IVL. CIↃIↃCCLXIII.

PROFESSIONIS RHETORICAE ET POETICAE ADEVNDAE CAVSSA

RECITANDAM

ORATIONE ADITIALI SVBIECTA.

Cum eius muneris, cui adeundo dies XXIII. Iul. dictus eſt, ratio et natura non tam eloquentiae et poëſeos praeceptis et exemplis tradendis, quam humanitatis omnino et ingenuarum artium diſciplina contineatur, non alienum ab eius conſilio, cum humanitatis vero ſtudiis etiam coniunctum videtur, de *moribus animi* nonnulla commentari, *quantam quidem vim ac poteſtatem ad ſenſum et intelligentiam atque etiam ad adumbrationem pulchritudinis habeant, quam eae artes, quae nomen inde ſuum inter nos conſequutae ſunt, propoſitam ſibi habent.* Quod quidem diſputatiunculae noſtrae argumentum tanto lubentius amplexi ſumus, quo illud magis ſenſus noſtri et iudicii de vniuerſae humanitatis ſtudiis rationem declarare poteſt, quippe quae ſtudia nec ab artium elegantiorum contubernio abhorrere, nec, vbi conſociata et tanquam ſororio vinculo cum his coniuncta fuerint, rationes ab animi et morum ac virtutis natura ſeiunctas et ſegregatas habere volumus. Accedit quod, etiamſi ingenio et doctrina ſatis valeremus, eruditionis et lectionis qualiscunque noſtrae ſpecimen dare, temporis anguſtia, curarum in migratione ad hanc vrbem varietas, valitudinis vix bene confirmatae imbecillitas, ſupellectilis librariae tenuitas vetabat.

*) Ariſtotelem rogatum, cur pulchritudinis fructu tantopere delectemur, reſpondiſſe ferunt, quaeſtionem eam hominis caeci eſſe **); quae quidem ſi non callidi philoſophi vox fuit, qui, laqueis difficilis quaeſtionis quomodo ſe expediret, non habebat, indicare videtur, philoſophum ſummum pulchritudinis notionem inter ſimplices et primitiuas retuliſſe, cuius nulla poſſit finitio inſtitui, cum ſenſu ipſo cognoſci eam oporteat. Qua de re nobiliſſimos noſtrae et ſuperioris aetatis philoſophos longe aliter ſenſiſſe, ex tot eorum ſcriptis conſtat, in quibus de pulchritudine, eiusque ad delectandum vi et natura, permulta ſubtiliter et acute diſputantur; quae ſi comparare inter ſe, et, quid in quoque genere, noſtro quidem de ſenſu, probandum, aut, quibus de rebus amplius conſiderandum putemus, memorare velimus, ea diſputatio nobis inſtituenda foret, cuius vix finem inueniremus. In praeſenti id agamus, vt, omni contentione dimota, nullis vnius diſciplinae ſectaeue placitis, tanquam legibus, adſtricti, metaphyſicis, quantum fieri poteſt, ſubtilitatibus euolutam rem nude, plane et populariter proponamus; vt ne, cum de pulchritudinis mira vi et excellentia, eiusque acriore ſenſu diſſerimus, ſermone horrido et incomto detraxiſſe potius eius gratiae et veneri, quam quicquam adſtruxiſſe, videamur.

Et

*) *De pulchritudine eiusque ſenſu.*

**) Eo redit dictum apud Stobaeum Serm. LXIII. Ἀριστοτέλης ἐρωτηθεὶς, διὰ τί τῶν καλῶν ὁ ἔρως; τυφλοῦ, εἶπεν, ἐρώτησις. Diog. Laert. V, 20. πρὸς δὲ τὸν πυθόμενον, διὰ τί τοῖς καλοῖς πολὺν χρόνον ὁμιλοῦμεν; τυφλοῦ, ἔφη, τὸ ἐρώτημα.

Et primum quidem, vna licet omnino animo pulchritudinis notio informanda ſit, illud tamen meminerimus, acceptiones eius nominis inter homines eſſe pene infinitas, pleraſque plane improprias. Cum enim proprie ad vnum id genus rerum pertineat, quod oculorum ſenſu cognoſcitur, atque inde ad animum et mentem, atque omnem ingenii et virtutis praeſtantiam transferatur, cum aliqua ratione etiam de aurium iudicio vſurpetur: vulgari tamen vſu ad omnes ſenſus, ad quos voluptas aliqua accidit, ad omnem vtilitatem et commoditatem, praeſtantiam et laudem, ad omnem ſuauitatem et iucunditatem, refertur. Quae res non animaduerſa in multos errores induxit homines doctos, vt, cum, quae in notionis eius complexum admitterent, non ſatis diſcreuiſſent, ne tamen ea, quam ſemel informarant, pulchritudinis finitio rueret et concideret, ad maximas ſubtilitates, interdum etiam cauillationes, confugerent. Id quod Graecis accidiſſe videtur, quorum diſputationem περὶ τοῦ καλοῦ admiſta honeſti et decori ſpecies incertam et vagam reddidit. Omnino quidem *omnis perfectio et abſolutio, cuius ea natura et ratio eſt, vt ſenſum vel imaginandi vim afficere et imaginem aliquam in animo effingere poſſit*, pulchritudinis nomine et notione comprehendi videtur, ſubeſtque adeo, ſi penitius intuearis, perpetua aliqua ratio inter res ſenſu externo vel interno percipiendas et ipſum ſenſum; nec omnis perfectio et abſolutio per ſe pulchritudinem habet; ſed, vt perfectio aliqua pulchra ſit et habeatur, ſenſus illa noſtri naturae reſpondeat neceſſe eſt. Lex enim primaria a ſummo rerum opifice ſcripta eſt haec, vt, quicquid ſub pul-

chritudinis notionem reuocari velit, ad ſpeciem aliquam reuocari poſſit, quae aut ſenſibus aut animo obiici poſſit; itaque ea, quorum praeſtantiam intelligendi tantum vi aſſequimur, vt inter res pulchras referri poſſint, ſpecie aliqua et imagine, tanquam corpore, amicienda ſunt. Hoc idem eſt, quod vulgari hominum doctorum ſermone celebrari ſolet: vt aliqua res pulchra ſit, hoc eſt, vt imaginem aliqua perfectio in animo repraeſentet, vtque ea ſub ſenſum et phantaſiam cadat, *multitudinem et collectionem partium ac formarum vel proprietatum, earumque in diuerſitate et varietate conſpirationem et vnitatem* ineſſe debere, quae tamen *vnitas* eiusmodi ſit neceſſe eſt, *vt ab animo facile percipi poſſit.* Perſpectum hoc et cognitum iam Timaeus Locrus habuit, plane frugi et ſobrius philoſophus, qui *initia et elementa ſiue cauſſas pulchritudinis commenſu* dicit contineri *et reſponſo partium tum ad ipſas inter ſe tum vero ad animum.* *) Iam cum haec pulchritudo, late per omnem naturam fuſa, artibus vnice propoſita ſit, in qua effingenda, adumbranda, imitanda, aemulanda, tantopere laborant: ſenſum eius aliquem atque intelligentiam afferre ingenia debent, non modo ea, quae operam ſuam ad artificia, ſed et quae ſtudium, amorem et cupiditatem ad ea cognoſcenda et intelligenda conferunt; qui vero etiam de artificiorum praeſtantia iudicare, omninoque ingenii monumenta ſcite ac docte aeſtimare profitetur, is acumen etiam et

*) *περὶ ψυχᾶς κόσμω* c. 5. §. 9. *Ἀρχαὶ δὲ κάλλους συμμετρία ποτὶ τ' αὐτὰ τὰ μέρεα, καὶ ποτὶ τὰν ψυχάν.* Vere itaque hactenus, quisquis dixit, *id generatim pulchrum eſſe, quod tum ipſius pulchri naturae, tum noſtrae, conueniat.*

et iudicium non vulgare, omnis pulchritudinis naturae et artis ſubtilem cognitionem et ſcientiam, multis vigiliis, ſummo ſtudio, ac rerum operumque longo vſu multaque conſuetudine ſubactum et exercitatum ſenſum oculorum animique habere debet. Cum vero multa ſint, quae ad pulchritudinis ſenſum et intellectum comparandum deſiderari poſſunt; requiritur enim ſenſuum integritas, veritas et exercitatio, cum imaginationis, omninoque ingenii vi, acumine et celeritate, cum animi recto iudicio, cumque ſtudio et aſſiduitate coniuncta; ad ea ipſa ſiue comparanda et inſtruenda, ſeu regenda et adhibenda, ſeu denique amplificanda, mores animi ad honeſtatem et moderationem, *) humanitatem et beneuolentiam, compoſiti immenſum quantum valere, et ipſum ſenſum pulchritudinis modo acuere, modo ſuauitate aliqua et iucunditate maiore et exquiſitiore perfundere videntur; quae res cum ex pulchritudinis natura, tum vero ex eius ſenſus, animique noſtri, ratione declarari et confirmari poteſt. Idque vt perſequeremur, erat illud, quod nobis in diſputatiuncula hac propoſitum eſſe dicebamus.

**) Iam primum, cum animi noſtri mores naturam cuiusque omnino conſtituant, indolem et in-

*) *καλοκἀγαθίαν καὶ σωφροσύνην.* Morum hanc in pulchritudine amplectenda et inflectendo ad eam animo auctoritatem et quaſi magiſterium vidit Plato in Phaedro p. 252. D. *τόν τε οὖν Ἔρωτα τῶν καλῶν πρὸς τρόπον ἐκλέγεται ἕκαστος, καὶ ὡς θεὸν αὐτὸν ἐκεῖνον ὄντα ἑαυτῷ οἷον ἄγαλμα, τεκταίνεται καὶ κατακοσμεῖ, ὡς τιμήσων τε καὶ ὀργιάσων.* Atque eo omnia ea referenda eſſe videntur, quae eo loco, *obſcuris vera inuoluens,* ſymbolice de amore pulchritudinis diſputat.

**) *Morum animi vis ad artes magna eſt:*

genium fingant, ac vitam inſtruant, ab iisdem tota ingenii ratio et virtus, omnis imaginationis habitus et color, ſenſusque adeo et iudicii de pulchritudine, et arte eius effectrice et imitatrice, vis et ratio inprimis ducitur; quando omnino eae vires animi, quae a voluntate diuerſae ſunt, et cum intelligendi vi conſociatae et coniunctae habentur, acutiſſimi cuiusque philoſophi opinione, ab ipſa tamen voluntate non modo colorem et ſpeciem aut robur, ſed et indolem naturamque ſuam mutuantur; *) vnde etiam morum diſciplina ad ipſum ingenium valet, idque vel regere vel corrumpere vel emendare poteſt. Magni enim et excelſi ſenſus excitant animum et eleuant, ſublimibusque imaginibus et ſententiis concipiendis adigunt; Cumque omnino vſus et conſuetudinis tanta in animum corpusque vis ſit, vt, quaecumque a natura habere dicimur, ea fere omnia ad habitum aliquem referri poſſint, vtque, quibus cogitationibus et ſtudiis animum ſemel aſſueſeceris, iisdem animus ita ſe adiungat, eaque ita amplectatur, vt a natura ipſa traxiſſe ea et tenere videri poſſit, ſibique ipſi ita perſuadeat, omnesque reliquas ſuas facultates, habilitates et propenſiones iis rebus accommodet et aſſimilet: quicquid ab ingenii ſagacitate et acumine procedit, id non minus colorem aliquem ab animi habitu ducere, eiusdemque virtute et praeſtantia imbui, et elegantia ac pulchritudine nitere, neceſſe eſt. Hinc liberalis illa et ingenua facies omnium dictorum factorumque, quae ab homine liberaliter inſtituto edi videas. Hinc, qui mites et lenes mores ani-

*) *propter morum vim ſ. ad ingenium.*

animum ornant, iisdem omnes ingenii fructus quaſi percocti maturuiſſe videntur. Hinc omnino illa ingenii magnitudo et celſitudo in nonnullis, in aliis vero depreſſio et humilitas, quae omnia eorum ſcripta dictaue vitiat et foedat. Sunt, in quibus tam durum, aſperum et difficile ingenium emineat, vt, cum ingenioſi eſſe velint, id ſine ruſticitate, ſi dicaces, ſine virulentia aliqua et acerbitate facere nequeant; id quod etiam communi hominum opinione indoli et moribus animi tribuitur; vti contra delicata illa mollitudo et teneritas nonnullorum ingenioſorum hominum nonniſi ab ipſis moribus proficiſci potuit. Itaque non facile poëtam aliumue quemlibet ſcriptorem in manus ſumas, aut opus artificis ſpectes, in quo non, vbi ſenſum animumque aduerteris, tum ex vniuerſi operis, tum ex ſingularum ſententiarum atque imaginum colore et natura, omnem inſtitutionis et doctrinae ac diſciplinae, qua auctor vſus eſt, rationem, interdum ipſum vitae inſtitutum, cognoſcere poſſis. Et hactenus illud verum eſſe patet, quod aiunt, nullum, niſi in libertate altum et ingenua diſciplina formatum animum ad artes cum laude colendas idoneum eſſe. Seruitute enim et, quae eius comes eſt, adulatione, aut metu et miſeria, depreſſus et demerſus animus non facile ad nobilem et generoſum aliquem ſenſum aſſurgere poteſt; et ex contumelia et humilitate conditionis plerumque ingenium aliquid labis et ſordium contrahit. *) Cum

 autem

*) Homer. Odyſſ. XVII, 323. pulcherrimi verſus:
Ἥμισυ γάρ τ᾽ ἀρετῆς ἀποαίνυται εὐρύοπα Ζεὺς
Ἀνέρος, εὖτ᾽ ἄν μιν κατὰ δούλιον ἦμαρ ἕλῃσιν.

2. *adeoque ad inueniendi artem,*

autem ex ingenii ſollertia et ſagacitate omnis inuentionis vis in artibus ducatur, in inueniendis operum artificiorumque argumentis, in eorum diſpoſitione et compoſitione, atque etiam ornatu, mores multum valere facile perſpicitur. Idcirco vulgo etiam, quicquid vere ingenioſorum vnquam hominum fuit, illud non minus animi praeſtantia quam ingenii excelluiſſe proditur. Exempli et honoris cauſſa Xenophontem et Platonem, Montesqieuum, Adiſſonum, Lebrunum, Rubenſium, nomino. *) Neque vero imaginationis, quantumuis aliena ea a moribus videri poſſit, abhorrens ab iis natura aut ſegregata et ſeiuncta ratio eſt. Etſi enim ea permultum per ſe valet, et in rerum naturalium pulchritudine exprimenda virtute ſua ſatis contenta videri poſſit, tamen et hoc a genere mores non omnino excluſi ſunt. Vtut enim pulcherrimum hoc naturae ſpectaculum, veris hic praeclarus et ambitioſus apparatus, florum herbarumque lectiſſimi colores, ruris amoenitas, luci frigus, riuuli fuga et loquacitas, auium dulciſſimus concentus, ad ſolam phantaſiae vim pertinere, et inter eius opes condi aſſeruarique, atque inde etiam, cum eadem arte effingere lubeat, depromi videantur; non tamen vllorum viridium, vlliusue nemoris aut ruris, omninoque vernarum amoenitatum, in homine ingenioſo, ſed virtutis experte, ſenſus talis tantusque eſſe poteſt, quantus in eo, qui, cum ingenii et imaginationis viuida vi, morum vitaeque ſanctitatem, mentis puritatem, ac generoſam beniuolamque animi affectionem ad deambulationem vel ad ruſticationem aſſert.

*) 3. *ad imaginandi vim et phantaſiam,*

affert. Quid? quod in amoenitate villae, proſpectus iucunditate, fontis vmbraeque frigore, par amoenitas et ſuauitas ingenii et animi artificis prodere ſe ſolet. Nam et in dilectu proſpectus, quem ſibi effingendum ſumit, et in ratione adumbrandi et effingendi, ſiue ſimplicitas et innocentia aliqua, ſiue hilaritas et ſubridens quaſi vultus, ſiue triſtitia, ſiue mollities quaedam et teneritudo, aut venus et gratia, ſuauitas, iucunditas, cum lenocinio quodam, aut cum munditie et ſimplicitate, cum cultu et ornatu, conſpiciendam ſe praebet; in quibus ipſe ſe artificis animus manifeſtat; facit enim huius indoles, vt ſenſus certarum rerum modo lenior et mitior, modo grauior et vehementior ſit, vt adeo etiam phantaſiam diuerſa ratione affici neceſſe ſit. *) Neque vero ſenſus et iudicii in cognoſcendis, amplectendis et amandis eiusmodi operibus alia ratio eſt. Qui enim neque ſatis mite et molle pectus, neque ſatis amoenum et cultum ingenium habet, vt conſpectu ipſius naturae in admirationem rapiatur et voluptate perfundatur, quomodo is aut littoris aut luci aut ruris et villae et petiti a vita paſtoritia argumenti adumbratione moueri poſſit? Et in anteferendo certo operis genere et certa ratione exprimendi naturam ſenſus animi noſtri non raro vnica cauſſa ſubeſt. **) Neque vero iam vlla ruris deſcriptio ſiue eloquens ſiue muta inſtituitur, in qua non ad animandam tabulam humana figura apponatur, humanique adeo mores adiungantur, tanto ii quidem difficilius reddendi, quo maiore

*) *4. ad iudicium in dilectu rerum faciendo,*

**) *5. ad mores humanos reddendos et exprimendos,*

maiore cum ſimplicitate, candore et innocentia, exhibendi ſunt. Quis enim in luci vel fontis vmbra a pictore expreſſa ſolitudinem ferat? aut ad eam animandam, pompam et luxum regum allini et induci ſuſtineat? Atque ea ratio eſſe videtur, cur in nonnullis noſtrorum pictorum tabulis, ſumma alioqui cum arte elaboratis, nec non in fabularum et dramatum certo genere, immiſtum inter mundas et puras ruris delicias faſtum regium et exhibitas habitu paſtorali regii generis perſonas animus tantopere reſpuat et faſtidiat, et quare nonnullorum ingenioſorum hominum paſtoralia et bucolica carmina tam parum aequo animo feramus, vt etiam Virgilius eo in genere minus placeat. In quibus vero rebus mentis animique vlla vis eminet, ſine cuius aliqua ſignificatione nulla neque geſta, neque acta res eſſe poteſt, in iis rite percipiendis et arte exprimendis, ſine moribus iudicioque animi phantaſia nihil efficit. Niſi forte Iliadem aut Aeneidem, vel familiam Darii, Seruatoris natales et quaecunque nobiliſſimi argumenti opera a ſummis ingeniis perfecta ſunt, vnius imaginationis vis enixa eſt, animi ne obſtetricia quidem opera adiuta. Quid? quod nulla res geſta, non dico imitatione reddi, ſed ne narrari quidem et conſcribi digne, niſi ab eo, poteſt, qui magno magnisque ſenſibus impleto pectore ad eam accedat, et rerum geſtarum praeſtantia et gloria non minus inflammatum animum habeat, quam is, qui eas geſſerit; vt in narranda et ornanda virtute alterius non minus ſuum ſenſum, quam rerum fidem, ſequi, et, dum magnae fortitudinis, aut inſignis integritatis, aut praeclarae virtutis exemplum digne et viuide comme-

commemorat, ſui ſimul animi aliquam imaginem propoſuiſſe exiſtimetur. *) Diuina vero ea ingenii vis, quam *enthuſiaſmum* noſtri homines appellant, animi magnitudine et celſitudine non modo obſtetrice, ſed etiam parente et genitrice vti videtur. Nam ſi eius vim et rationem diligenter contempleris, nulla eum alia re, quam phantaſiae, ex ſenſu vehementer impulſo, aut magno et generoſo animi motu, ac nobili et praeclaro aliquo impetu, grauiter affectae, maiore aliqua intenſione et vi contineri videas. Veri enim, pulchri et boni, ſenſu ac ſpecie percuſſus animus primum grauiſſime commouetur, mox, iam inflammato quaſi animo, imagines rerum magnae, ſublimes et arduae, et cum his cogitationes et ſententiae ſupra humanitatis humilitatem elatae menti ſeſe vndique ingerunt, maior mortali modulo perfectio et pulchritudo, tanquam viſum et phantaſma, obiicitur, quodque poëta de numinis apparitione ait, *maior maiorque videri* ſolet, cuius ſpeciei admiratione et amore raptus animus, non aliter, quam Pulchritudinis in veram deam mutatae conſpectu, agitatur, exſtimulatur, et in furorem, omni ſanitate praeſtabiliorem et optabiliorem, praecipitatur; omnes enim animi facultates intenſione tanta, quantam eius natura neruorumque fabrica admittit, auctae et exacutae, quae cuiusque ſumma vis eſt, eam exerunt. Sine animi hoc maiore motu et impetu nullus, quanquam is ad ingenii potiſſimum vim pertinere creditur, enthuſiaſmus eſſe poteſt, non magis in oratore, poeta, vlloue artifice, quam in diuino aliquo viro, qui

*) *6. ad enthuſiaſmum,*

qui ciuitatis et reip. ſuae, aut etiam generis humani ſaluti aut vtilitati praeclaro aliquo facinore conſulit, pro patria mortem oppetit, aut alia quadam animi magnitudine rerumque humanarum contemtu diuinam naturam aemulatur. *) Animi autem praeclarum ſenſum motumque, quis ſine magna virtute et praeſtantia eſſe dicat? qui etiam tanto pulchrior et praeſtantior habetur, quanto maior virtutis praeſtantia animo ineſſe cognoſcitur, Homeri itaque aut Miltoni humanitatis pene fines egreſſum ingenium mirificas iſtas, modo iucundiſſimas, modo horrore ac terrore plenas imagines, et diuino animo dignas ſententias, ſine magno et excelſo pectore quis concepiſſe putet? Oratoris vero vis et ars nulla eſt paullo laudabilior, quae non a mente et animo proficiſcatur; vt nemo oratione excellere, aut aliquantum valere poſſit, niſi ad optimarum rerum ſenſum diſciplina et vſu formatum pectus habeat, honeſtatis, libertatis, amoris patriae et ciuium, caritatis et beniuolentiae non modo capacem indolem, ſed et ſtudium afferat, vt, praeclara aliqua virtutis laudisque ſpecie obiecta, velut ciuis ſeruandi, innocentiae tuendae, admiratione eius et cupiditate facile accendi et inflammari poſſit. Quo etiam fit, vt eius materiae maxima parte noſtris temporibus detracta, eloquentiae ſtudia frigeant; cum interdum ea materies vel ſola, ſine arte, ingenia ita inflammet, vt ſummam dicendi vim aſſequantur. Quot enim homines inter Britannos eloquentiae laude floruerunt iis temporibus, cum de iure et libertate populi ac de ſumma rep.

*) *Nemo vir magnus ſine aliquo afflatu diuino vnquam fuit.* Cicero N. D. II, 66.

rep. decertandum eſſet! Hinc illud eſt, quod *pectus facere diſertum* dicitur, et quod, *niſi vir bonus, nemo, non modo perfectus orator, ſed ne orator quidem* eſſe cenſetur; quo in loco Quinctilianus *) tantopere ſe torquet et aeſtuat. Habere nimirum ingenium vel malus homo poteſt, quis enim hoc neget? et omnem vim eloquentiae tenere; verum ea materies huic homini deeſt, ſine qua ſubiecta ad ſumma et praeſtantiſſima quaeque animus nullus accendi, et inflammari nullum ingenium poteſt; quae res tum in argumento orationis, tum omnino in eius colore, multo magis etiam in ſententiarum grauitate et dignitate elucebit. Inde etiam fit, vt fruſtra laboret et deſudet orator, qui ſanctiſſimae et efficaciſſimae ad virtutem religionis noſtrae praecepta tradit, et adhortationes aut conſolationes adhibet, ſi vulgares quidem illas huius orandi rationis copias, aut etiam ingenii facultatem, ſermonis vim et affluentiam, cum accurata doctrina, afferat, ſenſu autem veritatis, quam demonſtrat, acri et vehementi careat, animumque eius doctrinae praeſtantia inflammatum, caritate vero et beniuolentia et propenſiore quadam erga concionem voluntate perfuſum, verbo, ſi, quamcunque animi affectionem nomen caritatis e Chriſti diſciplina complectitur, in animo expreſſam, non habeat.

**) Cum igitur earum animi virium et facultatum, quae a voluntate et propenſionibus atque affectionibus diuerſiſſimae eſſe videntur, tanta tamen

cum

*) Quinctil. Inſtit. XII. pr.

**) *Morum animi vis 1) ad pulchritudinis ſenſum, guſtum et iudicium;*

cum his coniunctio et quaſi coalitio ſit, mirum non eſt, ſi verae et praeclarae pulchritudinis nullus ſenſus, guſtus et iudicatus, eſſe poteſt, qui a morum rationibus ſeiunctus ſit. Quomodo enim eam rerum praeſtantiam, cuius natura concentu et conuenientia, concinnitate, ordine et perfectione ſumma, quae quidem mente interdum, non ſenſu, percipi poſſit, continetur, animus diſſolutus, diſcordans et a ſe ipſo diſcrepans, percipere ſatis et cognoſcere poſſit? Non iam eam animi vitaeque tranquillitatem memoro, quam tum omnis ſapientiae, doctrinae et diſciplinae, tum imprimis artium, et omnis ab iis exprimendae elegantiae et pulchritudinis, ſtudia ſibi poſtulant; quae quidem tranquillitas et quies niſi in mente ad honeſtatem, virtutem et moderationem, compoſita nulla eſſe poteſt; vti contra *nihil tam occupatum, tam multiforme, tot ac tam variis affectibus concifum atque laceratum, quam mala mens.* *) Sed nolo morari hoc in loco, neque illud, quanquam ad declarandum id, quod ſpectamus, magnopere valet, commemorabo, quod in artificiis et ingenii operibus, vti turbati et in varias curas diſtracti, aut etiam agitati et exulcerati animi nimis expreſſa veſtigia comparent, ita in aliis ingenuitas et liberalitas quaedam artificis, placabilitas, aequabilitas, atque etiam hilaritas perlucet aut facilitas aliqua et lenitas aut ſeueritas ſe commendat. **) Illud teneo, et eum, tanquam praecipuum diſputationis meae locum, mihi vindico, cum pulchritudinis praeſtantiſſima forma ac ſpecies ea ſit, quae ad animum hominis et mentem ſpectat

*) Quinctil. Inſtit. XII. pr.

**) *imprimis 2) ad pulchritudinem ethicam;*

ſpectat eiusque aliquam ſiue in motu et geſtu, ſiue in oratione et actione, ſignificationem habet, quam quidem vulgo tum ethicae ſeu moralis, tum idealis pulchritudinis nomine declarare ſolemus, in eam morum animi ſummum et pene infinitum imperium et regnum eſſe. Nam primum, vt generoſam, nobilem ac ſublimem ſententiam ſiue imaginem ac ſpeciem mente concipias, nobili ac generoſo ſpiritu, atque animo ab omni humilitate et ſordibus libero, vt vero ſimplicitatem, candorem et innocentiam ad ueritatem expreſſam exhibeas, pectore non omnino iis virtutibus deſtituto opus eſſe; id tum per ſe patet, tum iam ante monitum eſt. *) Cum porro in motibus, perturbationibus atque affectionibus animi inprimis ſe iactent artes imitatrices, vt eas generoſitas aliqua, decor et dignitas, commendet, id ab animi indole et ingenio efficitur. Non enim ea tantum affectuum vis et natura eſt, vt illi per ſe neque boni neque mali, ſed in bono animo boni, in malo mali ſint, verum etiam, vt in aliis furoris, aut leuitatis ſaltem et impotentiae, in aliis moderationis aut grauitatis et dignitatis ſpeciem aliquam exhibeant; vt adeo in iis, quos exprimendos tibi ſumas, affectibus, ſiue poeta, ſiue artifex, ſiue iudex ſis, colorem et ſpeciem tuorum oſtendas. Hoc enim eſt, quod grandes et magnos, aut vehementes et furentes, lenes et moderatos, affectus artificiis nonnullorum ineſſe dicimus, in aliis dignitatem, maieſtatem, triſtitiam, terrorem et minas, aut mitem et manſuetam, lenem et mollem quandam ad miſerationem et humanitatem procliuem, naturam agno-

*) *inque hac a) ad affectus animi et motus;*

agnoſcimus. Non quaelibet porro animi perturbatio et commotio imaginem aut gratam et iucundam, aut ſatis dignam et honeſtam, expreſſa refert. Multi ſunt animi impetus et irae, ſunt multa violentiae, vehementiae, terroris et furoris genera, quibus ne indulgeat ingenium, ſenſus quidam animi exquiſitior, a moribus nutritus et a iudicio confirmatus, prohibet; quos autem affectus exprimi nihil vetat, in iis non quaelibet ſpecies, aut ſitus et poſitus, aut temporis articulus, oculis ſubiici poteſt. Nota ſunt hac de re fabulae tragicae praecepta; atque etiam ceterarum artium, inprimis de decoro, praecepta magnam partem ex hoc fonte manant; multa poetarum loca, vel artificum opera inde iudicari et aeſtimari poſſunt. Nobis in exemplis morari nunc non conceſſum eſt.

*) Atque hic noua morum vis ſeſe exſerit in his ſedatis et placidis animi affectionibus et ſenſibus, qui et ipſi *morum* fere nomine veniunt, et affectuum ac perturbationum initia et elementa quodammodo aut ſemina ſunt, vbi phantaſiae maior vis et inflammatio acceſſerit; hoc eſt, eae facultates et habilitates, quae cuiusque animo a natura inſunt tam ad percipiendam voluptatem aut dolorem, iucunditatem aut taedium ex omnibus rebus, non modo quae ad ſenſum, ſed quae etiam ad imaginationis ac iudicii vim pertinent, quam ad appetendum earum rerum fructum aut auerſandum; vnde inprimis humanitatis, miſerationis, gratulationis, omninoque ii ſenſus oriuntur, qui humanitatis, officii, et neceſſitudinis,

*) *b) ad affectiones et propenſiones animi;*

dinis, vulgo autem ſympathiae nomine continentur, omninoque ſenſus beneuolentiae, amoris et caritatis tenerique alicuius et mollis affectus. In ſingulis his exprimendis eum maxime excellere quis dubitet, qui ad eos maxime procliuem, idoneum et natum animum a natura, ſeu cultu et inſtitutione, habeat? contra vero illum, qui non ſenſus veritatem, ſed ſpeciem affectet, cis et vltra veritatis et naturae fines vagari? Etiam animus certae alicui affectioni inſigniter obnoxius naturam omnino aliquam inde contrahit, quae ſe in ingenii operibus vel inuito artifice prodit. Hinc delicata et mollia nonnullorum opera, quae tantam gratiam et venerem habent, vt in iis delinitus quaſi et captus, interdum attoniti ſimilis, haereas; hinc aliorum non modo ſeueritas et auſteritas, ſed et horror, ruſticitas, vt ab omni leniore animi affectu et ſenſu vacare videantur; homines Muſis et Gratiis iratis nati. *)

Diximus adhuc de moribus, quatenus illi aut animi habitum aliquem a natura inſtitutione et vſu informatum, aut naturae procliuitatem ad rerum ſeu iucundarum ſeu moleſtarum ſenſum modo acriorem ac vehementiorem, modo molliorem ac leniorem declarant; ſunt tamen aliae vocis acceptiones; vt itaque haec, quae nobis ſupereſt, commentatio recte procedat, ante omnia ex ambiguitate nominis *morum* ea expedienda, eiusque adeo vocabuli paullo accuratior ratio et finitio adhibenda eſt.

*) Conuenit in eos illud Bionis: *Κῆν μεν ἄρα ψυχάν τις ἔχων ἀνέραςον ὀπηδῇ, (Μούσαις) Τῆνον ὑπεκφεύγοντι καὶ οὐκ ἐθέλοντι διδάσκειν.* Idyll. IV, 3.

Mores itaque primum omnem virtutis vitiique rationem continere videntur, tum eam, quae, hominum quidem opinione, ex indole et ingenio venit; vnde iidem etiam *indolis, ingenii, virtutis* nomine declarari ſolent; tum eam animi naturam affectionemque ac voluntatis habitum, qui ex iudiciorum, opinionum, conſiliorum rationibus, ex notionibus et placitis de iuſtitia, temperantia omnique virtute, ex puerili inſtitutione et exemplo, vitae vſu inſtitutoque, longa rerum adſuetudine, ipſaque affectuum perpetuitate exſiſtit, qua facilitas et procliuitas ad virtutes ac vitia, habilitates ac facultates animo accedunt. *) In hoc genere quod iam ſupra attigi, pulchritudinis ſupremae et nobiliſſimae vis et nomen ſedem ſuam et locum habet; eſt autem ſuprema illa pulchritudo in virtute poſita, qua nihil praeſtantius, nihil pulchrius aut eſſe aut animo comprehendi poſſe dicitur. Praebet igitur ingenii artisque operibus nobiliſſimum haud dubie et praeſtantiſſimum argumentum praeſtantia ac pulchritudo praeclarae alicuius virtutis; quod tamen idem non niſi a generoſis et ſummis ingeniis facile aut ſumi ſolet aut tractari poteſt. Hoc Plato, hoc poetae nonnulli, diuina pectora, inflammati eas virtutis formas expreſſere, quarum inſigni et praeſtanti ſpecie animi noſtri tantopere ad eius amorem rapiuntur. Hinc manauerunt perfectionis formae illae, perfectae quidem reip. a Platone, regni ſiue monarchiae a Xenophonte, oratoris a Cicerone, viri honeſti a Richardſono, principis

*) *maxime 3) ad ſupremam illam pulchritudinem, cuius ſpecie animi inflammantur.*

cipis a Fenelonio. Hinc tanta ſublimitate et maieſtate pleni argumenti nonnulla artificum opera profecta ſunt. Qui Seruatoris noſtri diuinos vultus tam feliciter expreſſerunt, aut ſanctorum piorumque hominum tam praeclaras effigies dederunt, quae pietatis, ſanctitatis, moderationis et patientiae mirum ſenſum cum intuentis animo communicare videntur, ſine ſummae huius pulchritudinis ſenſu fuiſſe putari non poſſunt. Ad effingendam Herculis adoleſcentis in biuio dubitationem nonne pectus requiri apparet, quod aliquando illum iuuenilis animi, praeclara indole ad virtutem formati, voluptatum illecebris et delinimentis propoſitis, aeſtum et laborem expertum ſit, virtutis vero amabilem et maieſtate ac numine plenam ſpeciem iam dudum animo informauerit? quale Shaftesburii pectus erat, cum eximiam illam huius argumenti picturam animo delinearet, hominis ſummo ingenio, at nec minore iudicii ſenſusque ſubtilitate praediti, quo acriorem et molliorem verae pulchritudinis ſenſum qui haberet, aut maiore cum dignitate, venuſtate et decore, virtutis praeſtantiam exhiberet, vidi neminem. Qui muſici, iidemque philoſophi, artem ſuam virtutis diſciplinam eſſe voluerunt, hac eius pulchritudine haud dubie capti erant. At huius pulchritudinis, qua virtutem tantopere commendabilem eſſe Plato *) aiebat, vt eius forma et tanquam facies ſi oculis cerneretur, mirabiles amores excitaret ſui, ſenſum nemo habere

 poteſt,

*) in Phaedro p. 250. locus e Cicerone notus. Hinc felici cum argutia Perſius Sat. III, 38. nullum grauius tyrannis malum quod apprecetur, habet, quam:
Virtutem videant, intabeſcantque relicta.

poteſt, niſi cuius, ſumma indole ad virtutem natus et mature recta diſciplina imbutus, animus illius pulchritudinis amore inflammatus, et magnis altisque cogitationibus, conſiliis et ſenſibus, innutritus ſit. Quomodo enim tantam dignitatem et maieſtatem cum gratia et venuſtate coniunctam is aſſequatur, qui humilem, abiectum, et nihil alti, nihil praeclari ſapientem animum in ſe gerat? Non licet hic ad ſententias magnas et praeclaras ſigillatim memorandas deſcendere, et loca Homeri ac Virgilii eam in rem laudare; ſed, ſi Plato in diuinis ſuis ſcriptis virtutis et honeſtatis omnisque pulchritudinis incredibilem aliquem amoris ardorem ac pene furorem tam potenter expreſſit, iis, qui in vita eum eius exemplum non minus expreſſiſſe narrant, non credamus? Xenophontis quidem ſcripta non maiorem ſimplicitatem, caſtitatem et pulchritudinem diuinae mentis produnt, quam qua ille in vitae rationibus et moribus inſignis fuiſſe fertur. Si Youngium et Richardſonum, hunc ſolutae, illum vinctae orationis inter Britannos miros artifices, argumenta operibus ea delegiſſe videmus, quae virtutis et religionis ſpeciem quam maxime amabilem redderent et informarent, non tam pietatis eos et honeſtatis, quam diuini ſui animi, praeclaram formam expreſſiſſe putamus. Addiſono niſi ſanctiſſima et caſtiſſima mens fuiſſet, non ille, in ſumma elegantia et facultate orationis, qua valebat, virtutis et honeſtatis cauſſam omnibus ambitionis rationibus et partium in rep. ſtudiis antehabuiſſet, neque tantum ei ornatus et commendationis attuliſſet; vti contra Rocheſterii profligati mores etiam in probo et honeſto argumento

non

non modo perlucent, verum etiam, vt in hoc genere minus ingenio valeat, efficiunt. Nolo enim exempla noſtrorum hominum in vtramque partem memorare, ne quempiam aut ambitioſe laudare, aut inuidioſe inſectari videar.

*) Cum autem conſtans haec animi affectio, quam morum nomine intelligi plerumque diximus, in omnibus non eadem plane, ſed ſiue ex internarum facultatum natura, ſiue externarum rerum et cauſſarum acceſſione multum diuerſa ſit, hinc *mores* de proprietatibus omninoque de *charactere animi*, atque adeo de eius *deſcriptione et notatione*, qui et ipſe *character* vocatur, dici ſolent. In his itaque, vt cuiusque hominis perſonae apti et conuenientes mores imponantur, quam maxime elaborant artes. Sed et hi mores, vti potiſſimum ab animi virtute ſiue vitioſitate, omninoque a proprietatibus animi et voluntatis procedunt, et *indolem naturamque* omnem ita continent, vt etiam ſubitos illos animi affectionisque modo ad hilaritatem aut triſtitiam, modo ad beneuolentiam aut auerſationem, motus et conuerſiones *morum* nomen comprehendat, ſi, verbi cauſſa, commodi vel difficiles ſunt, vnde et *moroſi* dici ſolent: ita multa ad eos trahuntur et referuntur, quae ex hominum ingenio, aetate, fortuna, ordine et conditione, vitae inſtitutione et conſuetudine, omninoque externarum rerum varietate ducta ſunt; qui ab externis qualitatibus petitus dictorum, factorum, geſtuum et actionum color interdum vel ſolus iſto

 mo-

*) *Morum vis ad notationem morum rite inſtituendam.*

morum, vel *perſonae et characteris* nomine inſignitur. Atque ad hanc potiſſimum nominis ſententiam fabulae comicae natura, nec non *rhetorum mores* et ἤθη referenda ſunt, vt tamen τῶν παθῶν oppoſitione etiam magis reſtringi et coerceri videantur; de quibus multa ab Ariſtotele, Cicerone, Quinctiliano, diſputantur. *) Hic etiam publici mores et nationum inſtituta religionesque nonnullam vim habent, et tum in moribus cuiusque fingendis, tum in ſenſu et opinione pulchritudinis facultatem magnam exſerunt, idque inprimis, quod in iudicio ſenſuque pulchritudinis *arbitrarium* et *opinatum* eſt, efficiunt; quae res omnino a noſtra quaeſtione ſeiungenda et iuſtae diſputationi reſeruanda eſt. Iam horum morum ſeu characterum, tum perſonarum tum rerum, in artibus ingenioſis expreſſorum pulchritudo non ſemper ad internam perfectionem et ad honeſtatis rationes refertur, quanquam illa ſumma eorum praeſtantia eſt, ſed ad perfectionem cuiusque generis et formae, vt ii mores pulcherrimi habeantur, qui maxima cum veritate, ad naturae et rerum fidem, expreſſi ſint. In horum itaque iudicio artis potiſſimum ratio habetur,

*) Locum Ciceronis vnum proferamus de Orat. II. 43. *Horum* (de reis dixerat, h. omnibus, de quorum re diſputatur) *exprimere mores oratione iuſtos, integros, religioſos, timidos, perferentes iniuriarum, mirum quiddam valet. - - Tantum autem efficitur ſenſu quodam ac ratione dicendi, vt quaſi mores oratoris effingat oratio. Genere enim quodam ſententiarum, et genere verborum, adhibita etiam actione leni facilitatemque ſignificanti, efficitur, vt probi, vt bene morati, ut boni viri eſſe videantur.* Sed et in pictura τὰ ἤθη genus artis conſtituere videri poſſunt. cf. Plin. XXXV, c. 36. ſ. 19.

tur, non naturae rei expreſſae, niſi hactenus, vt ne quid in iis ſit, quod ſenſui vel phantaſiae ingrata aliqua imagine vel recordatione taedium et moleſtiam creet. Iam in hac morum pulchritudine, quae artem potiſſimum reſpicere videtur, exprimenda, ſentienda et iudicanda; moribus animi ac virtutibus et vitiis imperii eſt permultum, tum in omni magnitudine animi, vitae elegantia et innocentia, virtutis dignitate et maieſtate exprimenda, quantum quidem ea dictis, actisue, geſtibus vel vultibus, conſpiciendam ſe praebet; quae omnia ſine mirifica virtutis indole fieri non poſſunt; tum in iis hominum moribus effingendis, qui recti, ingenui, liberales atque etiam praeclari et eximii habentur, aut in quoscunque alios incidimus, *cum modicis erroribus*, vt Quinctilianus ait, coniunctos, ſed aequos tamen et probabiles; quos ad rectam aliquam et meliorem ſpeciem ex artium legibus componi et refingi fas eſt. Tantum itaque vnicuique, vel non eximiae, formae, venuſtatis ab arte accedit, quanto maioris praeſtantiae idea in artificis animo expreſſa haerebat. Ex hoc loco multa petenda ſunt, quae de dramatum perſonis et moribus, ac de morum in tabulis expreſſorum veritate et venuſtate, deque eorum gratia et quodam colore, quem ex artificis moribus ducunt, praecipiuntur. Amoris quidem deſcriptiones et imagines tam varias et diuerſas videmus, quam hominum ingenia et mores ſunt. Tibulli placidi et mites mores, tenerique et molles ſenſus ex omnibus eius elegis perlucent, vti Ouidii leuitas et nequitia vbique in carmine regnat. In eo autem genere, quod non omnino virtute et hone-

ſtate quam moralitatem appellant, continetur, ſed colore tantum ab ea ducto et variarum rerum externarum, vt diximus, acceſſione temperato, vnde vrbanitas quaedam et lepos atque elegantia, interdum etiam dignitas aliusue morum color exiſtit, in eo igitur facile apparet artificis ipſius ingenium, h. e. animum et mores ſiue lepidos et vrbanos, ſeu ruſticos et triſtes, conſpicuos fieri, et, vt poeta ait, — *paucis coloribus ipſum pingi animum.*

*) Sed quam vim in ipſorum morum, quos ingenium ſibi effingendos ſumſerat, rationibus mores et character artificis habere ſolent, eadem omnino in toto cuiuscunque operis habitu et colore, in ipſa parte artis mechanica, inque omni ea artificii ratione eminet, quae vulgo ad *expreſſionem* refertur, h. in exprimenda et adumbranda ea imagine, quam animus informatam in ſe, tanquam exemplum operis, habet. Atque hic inprimis tam accurata et ſubtilis morum exiſtimatio et iudicium fit, vt etiam morum in artificum ingeniis varietas operum, ſiue mutarum ſiue diſertarum artium, certos characteres efficiat. Hinc liberalis et ingenuus cultus operum nonnullorum, aliorum facilitas et hilaritas quaedam; aliorum durities, ſeueritas et ille nitentis vultus; hinc certa confidentia et fiducia; hinc auguſta, maieſtatis et numinis plena facies aliorum; hinc magnificum et generoſum et ſublime illud neſcio quid in aliis; etiam terror et minae, aut gratia et venus, grauitas et dignitas, ſiue *cothurnus* artis, lepos et venu-

*) *Morum vis ad externum operum artis habitum.*

venuſtas, ſimplicitas et innocentia, mollitudo et teneritas: in aliis contra tenuitas, humilitas, leuitas, improbitas. Supereſt, vt haec exemplis declaremus, ſed pauciſſimis. Demoſthenem, vehementem et grauem oratorem, ſine praeclaro animi impetu tantum eloquentia valuiſſe, neque in eo excelſum, magnum, laudis cupidum, gloriae Athenarum ſummopere ſtudentem animum fuiſſe, nemo facile contendat, etiamſi nobile illud *Demoſthenis Encomium* in Lucianeis ſcriptis non extaret. Cicero autem, non eloquentiae magis quam philoſophiae lumen, puſillanimus ſcilicet, aut vanus et glorioſus homo, qui nullam animi fortitudinem, nullum praeclarum reip. ſtudium, aut ciuium amorem haberet? An vero ſordidus, humilis et inanium rerum cupidus animus cum diuinis Homeri Virgiliique ingeniis, quae in praeclare geſtis rebus magnifice ornandis, magnis affectibus et motibus animi, tantopere inter omnes omnium ſaeculorum poetas excellunt, coniunctus fuiſſe credi poteſt? Lucanus adeo, cum inuentionis et ingenii vi deſtitueretur, morum et ſententiarum magnitudine animum legentis tenet; cum Statii omnis ſplendor et magnificentia in verba migraſſe videatur. Quid? P. Cornelium, inter Galloſrancos eloquentiſſimum poetam, quo nemo maieſtatem et numen populi R. aut eius virtutem et fortitudinem ac libertatis amorem felicius expreſſit, pectus a ſenſu libertatis et fortitudinis vacuum habuiſſe credimus, cum eam morum ſimplicitatem in eo fuiſſe memorent, qua ſummi quique homines notabiles fuerunt? Hieroſolymorum liberatorum auctor habere animo informatas rationes et naturam ſummae pulchritudinis debuit,

buit, cum expeditionem ſtolide ſuſceptam et hominum fortium quidem ſed barbarorum et ferorum mores ita ornaret et poliret, vt mirifice delectent. In Boſſueto et Fenelonio alterius graues et vehementes ſenſus, alterius lenes et mites mores miramur. Horatii vrbanitatem et elegantiam vitae, niſi antiquorum Grammaticorum fides et Maecenatis Auguſtique conuictus teſtarentur, carmina ſatis declararent, vti corruptos et parum caſtos eius mores produnt; cum contra Ouidium vera vitae elegantia plane caruiſſe probabile ſit. Muſicos ſaepe audiui dicere, in eo genere artis, quod exprimendis animi motibus ac moribus contineatur, neminem valere, niſi qui eosdem animi motus et ſenſus expertus ſit. Quid de pictoribus et ſtatuariis dicam, quorum ſumma ars in hoc genere verſatur? Phidiam quidem, qui Iouis tantam maieſtatem, Mineruae toruae frontis minas expreſſit, animum humilem et depreſſum geſſiſſe putabimus? Apelles vero, qui gratia et venere omnes ante ſe viciſſe memoratur, non potuit habere animum Gratiis iratis formatum aut ab elegantia et venuſtate alienum; itaque et comitate inſignis et benignitate vel in aemulos fuiſſe narratur.*) Zeuxim ſine vlla animi pulchritudine exemplum ſummae pulchritudinis in Helenae imagine expreſſiſſe non exiſtimo. Raphael gratiae et venuſtatis tantam laudem non aſſequutus eſſet animo ab omni lepore et elegantia alieno. Iulii Romani erudita et culta, Titiani delicata et exquiſita, in colore carnis ad ſummam gratiam et venuſtatem temperando, Annibalis excel-

*) Plin. H. N. XXXV, 12. 13.

excelſa et magnifica, Rubenſii maieſtatis et numinis plena, Pouſſini heroicae et Romanae virtutis aemula, Albani in ſumma ſimplicitate cum dulcedine coniuncta ingenii vis et nobilitas traxit haud dubie aliquid a morum rationibus. Lebrunium quidem non minus generoſo et magno animo in tota vita, quam ingenio claruiſſe, ſatis conſtat. In Ioſ. Ribera, Hiſpanulo dicto, idem morum ingenium atrox, eadem atrae bilis et inhumanitatis ſignificatio fuiſſe memoratur, quae in eius operibus, terroris et minarum plenis, eminet; Nic. Berchemi autem eadem ſerena mens et ad hilaritatem compoſita, quam elucere in eius operibus videmus. Fuere homines amiciſſimi inter ſe et coniunctiſſimi, *Carolus du Iardin et Iacobus van der Does*, quorum ille in gregibus armentisque et paſcuis campisque exhibendis, laetum hilare et feſtivum aliquid habet, quod idem in vita ſua expreſſiſſe fertur; alter, in ouium gregibus pingendis artifex, eandem triſtitiam et melancholiam in coloris temperandi tono ſeruat, qua vitae eius tenor notabilis fuit. Habemus claros alioqui et ingenioſos pictores, qui tamen nil niſi humilia ſectati et in argumentis vilibus, plebeiis et obſcuris, verſati ſunt; *rhypographos* non male antiquo nomine appelles.*) Sed et in minoribus ſcalpturae operibus ingenium et indoles artificis eminere putari poteſt. Solonis quidem mollis et delicata in ſcalpendis gemmis manus exprimere aliquam animi eius teneritudinem videtur.

*) At-

*) Plin, XXXV, 37.

*) Atque hic illud opponere aliquis poſſit: ad exprimendam omnis virtutis praeſtantiam non tam ſenſum eius quam ingenii teneram, mollem et flexibilem aliquam naturam, phantaſiam imitatricem, omninoque non tam ipſos mores requiri, quam *ingenioſam ſimulationem;* omnem artem aliqua fingendi facultate contineri; eam rem inprimis in poetis, multo magis in dramaticis, in oculos incurrere; alioqui enim dicendum eſſe, mali tyranni mores et omne genus libidinis et crudelitatis non niſi a malo ingenio et corrupto animo recte effingi poſſe. Ad quae partim iam ante reſponſum eſt, **) cum diceremus, in eo morum genere artem locum primum occupare et mentem oculosque ita tenere, vt de natura rei repraeſentatae nihil cogitet, vnde et artibus propria aliqua, in re non pulchra, pulchritudinis natura aſſeri ſoleat. Sed etiam iniuſtitiam aut feritatem et omne vitii genus ad auerſationem et damnationem nemo aptius et fortius ac potentius proponere poteſt, quam, qui virtutis alto ſenſu affectum, adeoque nec minore criminis odio imbutum, animum habet. Nec tamen negare velim, nullam fraudem et nequitiam aut improbitatem tantam animo concipi poſſe, quae virtutis non vulgarem aliquam ſpeciem et pulchritudinem ſatis commode ſimulare et fingere queat; nec me praeterit, memorari poſſe in contrariam partem exempla hominum in vita ſordidorum aut improborum, ingenio tamen adeo excellentium, vt magnos ſenſus et graues ſententias non infeliciter affectarent. Illud dico, generoſos eos motus et enthuſiaſmum illum, de quo dixi-

*) *De iis, quae contra dici poſſint.*
**) p. 24. *extr.*

diximus, niſi in animo ad id ſaltem tempus ſenſu pulchritudinis valde commoto eſſe non poſſe. Poteſt aliquis in reliquis vitae partibus et temporibus tranſuerſus agi et ad vitia et libidinem declinare; at in pueritia forte bene inſtitutus et praeclaris rebus aſſuefactus fuit, aut omnino interualla inſaniae habet. Sed interdum iis, quae de magnorum ingeniorum erroribus et ridiculis, ad detrahendum eorum gloriae, memorantur, nimis cupide aures praebemus; qua de re nolo exempla hominum noſtra aetate clarorum afferre. Tum vero argumenti natura non ſemper ea eſt, vt in opere ingenioſo de pulchritudine ethica quaeratur. Diſcernenda etiam eſt rerum ab aliis iam excogitatarum artificioſa imitatio et expreſſio ab ingenii et inuentionis ſubtilitate et acumine, in quod inprimis morum rectorum aliquem fructum redundare dicimus. Non minus enim in oratione et in carmine mechanica operis pars ab ingenioſa diſcernenda eſt, quam in muſica arte et in pictura vel ſcalptura.

*) Diſputauimus adhuc, quantum vtilitatis vel noxae mores praui rectiue ad totius operis formam et argumentum, et ad mores ac characteres, omnemque in his praeſtantiam afferant. Supererat, vt de eorum vi in grauibus, magnis ac ſublimibus ſententiis et dictis, et in ipſa dictione et oratione, omnique in ſignorum, quibus artes animi quaſi aures oculosque ſenſu afficiunt, habitu et cultu agerem; Sed omnem me huius ſcriptionis generis modum excede-

*) *Praetermittenda.*

cedere video. Neque adeo diſertus eſſe poſſum in morum effectu ad cognitionem et ſtudium pulchrorum et clarorum artificiorum, aut demonſtrare, quam late morum omnisque virtutis ratio in tota arte critica regnet. Hoc addere liceat: cum in percipienda et iudicanda omni veritate et pulchritudine mores tantopere ad elegantem ſenſum intellectumque valeant, rectam tamen indolem et virtutem, omninoque bonos animi mores nusquam vberiores et inſigniores fructus oſtendere, quam in doctrina humaniorum litterarum et in enarratione veterum auctorum, qui cum omnis pulchritudinis rerum orationisque, non minus quam virtutis, auctores habeantur, male in iis ea opera locaretur, quae nil niſi exoleti ſermonis rationem et antiquarum rerum ac rituum varietatem ſpectaret; quid enim ſic attineret, veteres legi? Verum omnis humanitatis et antiquitatis doctrina proprie et vere eam rationem habet, vt ingenia adoleſcentum mollia ad accuratum virtutis et pulchritudinis omnis ſenſum acuantur, et ad eius amorem inflammentur. Cum enim pulchritudo tum naturae, tum artis, inprimis vero orationis et carminis, eiusque pulchritudinis ſenſus et intelligentia, praeceptis et regulis aut ſubtili diſputatione recte et cum fructu tradi nequeat; vti nemo muſicae artis peritus extitit, qui nullos cantilenae modos, nullum neruorum concentum, ſed tantum hominis acute de ſonorum varietate et apta compoſitione loquentis voces audiret, aut nemo pictor clarus euaſit, qui, nullo artificio et opere praeclaro viſo et explorato, multis tantum de linearum et colorum rationibus, de lumine et vmbra, doctis ſermonibus intereſſet; verum

rum omnes liberales artes paucis praeceptis, ſed lectis et praeſtantibus exemplis, multoque vſu et exercitatione, in formando ad ea ingenio, indigeant: ſi in pulchritudine cognoſcenda cum fructu verſari velis, ſimul cum praeceptis, etiam ipſis exemplis animus imbuendus eſt. Cuius rei ea cauſſa ſubeſt, quod praecipua huius ſtudii ratio ad phantaſiae vim, et excitandas in animo imagines, non ad ſubtiles notiones et finitiones, referenda eſt. Itaque in inſtitutione eius pulchritudinis, quae in oratione eſt, h. e. in arte rhetorica, niſi exempla ſtatim oculis animisque ſubiiciantur, accuratiſſima atque operoſiſſima praeceptio vana et inanis eſt. Hoc itaque eſt, quod antiqui praeleguntur et enarrantur, vt ipſo pulcherrimorum exemplorum vſu et tractatione ingenia adoleſcentum ad omnis honeſtatis et pulchritudinis ſenſum formentur, vt pectus magna virtute imbuatur, omnisque vita elegantia inſtruatur.

*) Cum itaque Auguſtiſſimi Regis ampliſſimo decreto et Ill. Munchhuſii honorificentiſſimo iudicio munus hoc rhetorices et poetices praecepta exemplaque tradendi impoſitum mihi ſit, Socratis verbis vti mihi liceat, quibus ille a dulciſſima cum Phaedro de pulchritudine confabulatione diſcedit: *O Deus, da mihi, vt pulcher intus fiam, et, quaecunque extrinſecus habeo, vt internis ſint conſentanea!* **) Muneri

*) *Epilogus.*

**) Ὦ φίλε Πάν τε καὶ ἄλλοι ὅσοι τῇδε θεοὶ, δοίητέ μοι καλῷ γενέσθαι τἄνδοθεν. τἄξωθεν δὲ ὅσα ἔχω, τοῖς ἐντὸς εἶναι

neri autem illi auſpicando cum dies XXIII. Iulii, hora vndecima, dicta ſit, vt concioni, quae eius rei cauſſa habebitur, Proreſtor academiae Magnificus, Illuſtriſſimi Comites, diuinae humanaeque ſapientiae conſultiſſimi Profeſſores ac Doctores, vniuerſique academiae Ciues genere et ingeniis florentiſſimi, intereſſe, et oratiunculam de *veris bonarum artium litterarumque incrementis ex libertate publica* audire velint, omni, qua par eſt, obſeruantia oro rogoque, atque illud profiteor et prae me fero, eam beneuolentiam tanto maiorem animo meo iucunditatem allaturam eſſe, quod primo ſtatim ad vrbem et academiam hanc acceſſu ciuibus eius praeclaro aliquo beneficio deuinctum me et obſtrictum eſſe arbitrabor. Scr. in Acad. Ge. Aug. d. XXI. Iulii CIƆIƆCCLXIII.

* * * * * *
* * *

Etſi ſenſuum, ſententiarum et locorum, qui in hac commentatione occurrunt, nondum me poenitet, parum tamen in ea mihi nunc placeo. Sunt enim nonnulla obſcura, vaga, nec ſatis definita; omninoque toti argumento claritas ac perſpicuitas ſua deeſt.

Difficultates quidem quaeſtioni propoſitae inerant multae et magnae, quod ea notiones complectitur plures ſubtiliores, et quod eaedem notiones in recentioribus linguis conceptae ad latina verba erant refin-

εἶναί μοι Φίλιχ· πλούσιον δὲ νομίζοιμι τὸν σοφόν· τὸ δὲ χρυσοῦ πλῆθος εἴη μοι ὅσον μήτε φέρειν μήτε ἄγειν δύναιτο ἄλλος ἢ ὁ σώφρων.

refingendae: quo ipſo factum eſt, vt vna et altera nouum quaſi colorem imbiberet; id quod inprimis in vocabulo *morum* accidiſſe videri debet. Omnino itaque rem nimis arduam eram aggreſſus, cum agerem de argumento in noſtra vernacula lingua nato, notionibus ac verbis propriis et domeſticis conſtituto, quorum magna pars ſeu obſcuritatem ſeu ambiguitatem induit, ſi iisdem aut ſimilibus verbis in alia lingua, multo magis ſi in lingua, cuius vſus exoleuit, eas notiones redhibere volumus. Incideram itaque in eundem fere errorem, quem committere ſolent multi, qui, dum exercitationem transferendi verba ex vna in alteram linguam proponunt, cum ea ſeligere deberent, quae genio ſermonis, in quem transferunt, maxime cognata, ſaltem ab eo non aliena ſint, non animaduertunt ſe proponere haud raro ea, quae alterutri ſermoni ita propria ſunt, vt aut nunquam recte aut non ſine difficultate alio ſermone reddi poſſint. Voces germanicae ſunt ad proprium aliquem genium conſtitutae: *Einfluß des Characters auf Gefühl des Schönen in den ſchönen Künſten vnd Wiſſenſchaften*, *vnd folglich auf Bildung des Geſchmacks vnd die Darſtellung des Schönen ſelbſt*. Si nunc, qua aetate ſum, onus hoc mihi imponeretur, vt de argumento hoc latine agerem, equidem haud diffiteor me id peruicaciter eſſe recuſaturum; Verum iſto tempore, quo haec ſcribebam, non parum arridebant iſtius generis de cauſſis pulchritudinis eiusque ſenſus ac iudicii diſputationes, quarum vis neſcio quae ad ingenium fingendum eſſe putabatur. Cum tamen rem ſemel eſſem aggreſſus, illud ſaltem mihi diligenter erat videndum, vt propoſitio-

 nem

nem tractandam quanta maxima poſſem ſubtilitate conſtituerem, remotis iis quae vellem excluſa eſſe, et vt caute definirem illud, quod potiſſimum demonſtratum dare vellem. Inſcriptio enim libelli id vnum poſtulabat, vt docerem, ad pulchritudinem, quae in artium operibus conſpicua eſt, ſenſu ac mente percipiendam, adeoque et diiudicandam et exprimendam, magnam vim habere, ſi mentem afferas natura, inſtitutione, vſu, ad ſenſum illum iam antea informatam. Declaranda igitur erat notio pulchritudinis in operibus ab arte profectis; conſtituenda notio morum; et definiendum, quid ab altero ad alterum proficiſceretur.

Inter haec animo obuerſabantur plura, quae ad duas maxime propoſitiones redibant, quarum altera haec erat: moribus animi noſtri, ſeu latius de toto animi habitu, ſeu de ſingulis eius partibus et proprietatibus voce accepta, colorem aliquem dictis factisque noſtris adſpergi; adeoque eam mentis perfectionem, quam pulchritudinis nomine ac ſpecie ornamus, vti res, ſenſa, dicta, facta, ita ingenii et artis opera, tanquam aura aliqua et ſpiritu afflare, qua magnam ſui mirationem, amorem et ſtudium concitent. Altera haec: a moribus h. e. ab habitu et ſenſu animi noſtri multarum rerum proficiſci, accendi, minui, ſtudium; vt adeo placeat in poetis, ſcriptoribus, artium operibus, id, quod magnum, generoſum, ſublime, aut honeſtum, liberale, venuſtum eſt, vtque cum ſtudio et cum delectatione cognoſcatur: imbuendum eſſe animum moribus honeſtis, inſtitutione liberali, ſenſuque generoſo et magna-

magnanimo. Occurrebat tandem illud: aſſidua tractatione eorum ſeu ſcriptorum ſeu artis operum, quibus praeclara aliqua virtus reddita aut declarata eſt, animum iuuenilem ad ſimilem ſenſum generoſum et liberalem excitari, elici igniculos latentes, et colorem omnino aliquem animo ex rebus pulchris, in quibus verſatur, illini.

Perturbatis hisce rationibus et confuſis incideram in id, quod ipſo rerum et vitae vſu refellitur, vt profiterer: id quod vere pulchrum ſit in artium operibus, non niſi ab ingenio pulchro proficiſci poſſe. Parum ſubtiliter conſtituta notione ingenii pulchri, quod nec ſatis bene latine dicitur et quod facultate percipiendi et redhibendi id, quod pulchrum eſt, concludi debebat, vagari orationem neceſſe erat; et ſubibat animum τὸ καλὸν, honeſtum ac virtus, eaque quam nos pulchritudinem ethicam appellamus, quam cum ſubſtituerem, exibat enuntiatio, quam Voltarii et tot aliorum poëtarum et pictorum exempla refellunt, qui cum ipſi a magnanimitate, fortitudine, conſtantia eſſent alieni, omnem tamen animi virtutem verſibus praeclaris operumque argumentis mirabilibus expreſſerunt.

Quod volebam aut velle debebam, erat forte hoc: Vt id, quod pulchrum habetur, et quocunque tandem alicuius praeſtantiae nomine placet, in artium operibus ſeu inueniendis, ſeu intelligendis regnet, opus eſſe ingenio, quod natura et indole, inſtitutione, lectione, exemplo et aſſuetudine, ad eius generis notiones et ſenſus acriores procliue ſit;

 feli-

felicius in quocunque genere probabili verſari eum, qui eundem morum habitum natura et inſtitutione magiſtra induerit, quam qui phantaſiae ope fingat: hanc enim qui ducem ſequuntur, haud facile intra naturae verique fines ſubſiſtunt, ſed aut iactatione verborum inani ſe efferunt, aut rerum hominumque ſpecies, quales vita ipſa nec exhibet nec admittit, proponunt; inprimis vero cum ſimplicitate coniuncta honeſtas vix bene niſi a mente ad verae honeſtatis ſenſum compoſita reddi poteſt. Etſi nec haec tam vniuerſe pronuntiari poſſunt, quin artis et ſagacitatis ad fingendam et imitandam quamcunque praeſtantiam vim eſſe ſummam concedendum ſit.

DE

DE

VERIS BONARVM ARTIVM LITTERARVMQVE INCREMENTIS EX LIBERTATE PVBLICA

ORATIO

PROFESSIONIS RHETORICAE ATQUE POETICAE ADEVNDAE CAVSSA

IN

ACADEMIA GEORGIA AVGVSTA

A. D. XXIII. IVLII CIↃIↃCCLXIII.

DICTA.

Si nemo facile, qui in conſeſſu grauiſſimorum doctiſſimorumque virorum ad dicendum prodit, tam obfirmato eſt animo, quo minus grauiter commoveatur; quid mihi, in hunc locum procedenti, animi eſſe neceſſe eſt, qui, cum cauſſas non modo verecundiae, ſed timoris, communes cum aliis habeam omnes, tum vero multa praeterea circumſtare me videam, quae animum ſi non percellere, at vehementer tamen poſſint perturbare. Nam et muneris mihi mandati ratio, non ſum neſcius, quam de mea dicendi facultate expectationem faciat; et, quum eloquentiae praecepta aliis tradere, exempla proponere debeam, quae a me orationis vis et elegantia poſtuletur, ſatis perſpicio. Sed et ad magnam veſtrum partem dicere me ſentio, quorum aures adhuc eloquentiae Geſneriae iucundae ſuaves-

 que

que voces perſonent, quorum oculis animiſque viri ornatiſſimi ad vos dicentis, ac potius tanquam dulci cantu aures animosque permulcentis, memoria et imago obuerſetur, qui copiam illam rerum argumentorumque, ſollertiam acumenque inuentionis, elegantiam nitidae terſaeque dictionis, quae in eo erat ſumma, elocutionisque vim et ornatum, apud ſe reputent, illiusque flumen orationis cum meis riuulis, cum mea tenuitate et infantia iſtius robur, ſuccumque et neruos orationis comparent, atque adeo, ſiue ingenium, ſiue vſum et exercitationem ſpectent, omnia tenuia et exilia in me, quae in illo erant eximia et praeclara, deprehendant. Quae omnia mihi aduerſa et iniqua cum ſint, tum vero illud multo magis, quod ea ipſa mihi deeſſe ſentio, quae aliis in pari ingenii et doctrinae tenuitate adeſſe tamen ſolent. Nam cum prouinciis his academicis ii fere admoueantur, qui vitam omnem, maximam certe eius partem, in ſtudiis academicis exegerint, et in litterarum artiumque diſciplina ſemper hoc conſilium ſpectarint, vt, quae aliis, quo que dilectu et ordine, vtiliter traderentur, ita ea addiſcerent et in animum reponerent; qui porro, longo vſu ac conſuetudine, docendi dicendique facultatem, ſi ab ingenio nulla eſſet, tempore et exercitatione non nullam ſibi comparauerint, ſin eſſet aliqua, ipſo vſu amplificauerint et cumulauerint; quorum omnium in academici muneris ratione magnam vim eſſe quis non intelligat? cum hi itaque ab longo vſu et conſuetudine multa ſibi praeſidia petere, et, ſiue ad excitandum alendumque ingenium, ſiue ad eius ſubſidium, diligentia et aſſiduitate, multa magnaque ſibi

poſſint

poſſint adiumenta parare; eae res me deſtituunt omnes; nec modo iis commodis me carere, ſed etiam, quae ex eorum abſentia defectuque exoriri ſolent incommoda et moleſtiae, iis premi me vrgerique video. Enimuero, quae iam tum, cum primum, Dei O. M. numine et prouidentia, ſummi et immortalis viri, ſapientiſſimi Munchhuſii, voluntas huic me prouinciae deſtinaret, animum meum confirmarunt, ea etiam in praeſenti recreant me et ſuſtentant. Nam, vtcunque reliqua omnia infirma et tenuia ſint in me, illud tamen confidenter ſpondere auſim, non facile inueniri, qui, vt aliis omnibus me antecellat, idem amore humanitatis omnisque liberalitatis, quae in litterarum ſtudiis poſita eſt, me vincat, qui ſtudio me ſuperet et cupiditate dignitatem litterarum elegantiorum, honorem et gratiam, inter homines defendendi et amplificandi et in eum locum eas euehendi, in quo eſſe debent, ſi ingenia popularium florere, diſciplinas autem ſeueriores non barbariei ſqualore aut inani ſubtilitate horrere volumus. Eo enim recidere ac ruere neceſſe eſt litteras, ſi elegantiae et humanitatis tanquam ſubſtructione et fultura non ſuſtentantur. Itaque cum recte dicatur ſine ſapientiae praeceptis vita beata eſſe nulla, praecepta autem ſapientiae proficiſci a litteris: ab his tamen beneficium illud fruſtra expectatur, ſi illae non a cogitandi ſubtilitate ad ipſam rerum veritatem vitaeque vſum reuocantur. Hoc autem fieri nequit, niſi iis litteris, quarum ad animum ac voluntatem aliqua vis eſt; quae rerum praeclararum et vtilium declarationibus exemplisque ſtudia incendunt: hiſtoriarum dico cognitionem, philoſophiam vi-

poetarum et oratorum lectionem. Ad vitam itaque emendandam communibusque malis miſeriisque liberandam cum omnino quicquid bonae ſpei ſupereſt in bona inſtitutione poſitum ſit, tum multa conferri ac parari poſſunt ab eo litterarum humaniorum doctore, qui optimorum ſcriptorum lectionem et interpretationem ita inſtituat, vt honeſtatis, continentiae, fortitudinis omnisque virtutis admiratione, ſtudio et amore, iuuenilia pectora inflammet: ſi modo ipſe aliquem vitae vſum habeat, coetus et concilia hominum non auerſetur, ingeniis et moribus hominum penitius inſpiciendis aliquam operae partem addicat.

Haec eadem erant, quae in prima illa deliberatione et conſultatione ſuper migratione e patria et amicorum ſinu et amplexu animum impellebant et, vt in eas partes, quas ſequutus ſum, diſcederem, permouebant. Aeſtuabat enim animus cogitationibus curisque grauiſſimis, diuque dubius et ſuſpenſus ac timore anxius haerebat, cum ad nouum vitae genus, ſtudia diuerſa, litterasque dudum ſepoſitas, transeundum mihi eſſe viderem, relinquenda autem multa inchoata, alia deſcripta, relinquendam vitam actuoſam, hominum elegantium coetus, aulicorum feſtiuitatem, vrbem omnibus vitae iucunditatibus affluentem; relinquenda fortunae praeſidia et fundamenta multo tempore, labore, moleſtiis, iacta, quorum fructus, quos expectare merito poteram, ipſo diſceſſu interirent. Inter haec, quae animum erigerent firmarentque cum illa ſolennia eſſent, quae a benigna Dei O. M. prouidentia petenda ſunt, tum non exiguam vim ad ani-

animum habebant illa ipſa, quae paullo ante dixi, de litterarum, ad quas docendas euocabar, praeſtantia et vtilitate iudicia, ſtudiumque meum ac propoſitum, vt, quae maxima inde poſſem commoda in vitam deriuare, ea quanta maxima poſſem opera et induſtria in medium afferrem. Quodſi ad nouum hunc, quem inirem, litterarium curſum nondum haberem tantum vſus et exercitationis, quantum equidem vt haberem vellem; memineram tamen, in omni munere et officio non tam initia per ſe, quam quid ea promittant, ſpectari: vſum vero et exercitationem ſi qua alia in re, in docendi vtique prouincia plurimum valere; multum quoque de ſtudiorum opportunitatibus, quae huic academiae propriae ſunt, cogitabam. Inter haec animum magnopere pupugerat, quod tam inopinata et improuiſa res erat, cum, omnium ignarus, praeſtantiſſimae doctrinae virorum *) accurata commendatione, ſummi et acutiſſimi ingeniorum et doctrinarum iudicis, Illuſtriſſimi Munchhuſii, iudicio et auctoritate, ad priſtinarum mearum amicarum, Muſarum inquam, contubernium et conuictum reuocarer, et ad ſtudia lectiſſimarum omnis humanitatis et elegantiae litterarum redeundi, in iis adeo habitandi vitamque exigendi, locum et facultatem oſtendi mihi viderem. Quid? quod litterae illae colendae profitendaeque erant in ea Vniuerſitate litteraria, quae omnes alias ſplendore et celebritate aut vincit aut aequat? quae eam ipſam celebritatem cum aliis cauſſis aliisque ſummis viris, tum vero magna ex parte iisdem humanitatis litteris et politae ele-

*) Inque his primo loco doctiſſimi viri, Cel. Ruhnkenii.

elegantique Geſneri doctrinae debet. Hoc enim ipſa rerum experientia docemur, nullam vnquam ciuitatem litterariam et vniuerſitatem aliquam famam et celebritatem aſſequutam eſſe, in qua humanitatis diſciplinae non florerent; has interdum vel ſolas nomen iis celebritatemque conciliare. Quid porro illud? quod viuendum mihi eſſe videbam cum praeſtantiſſimis ſummique nominis viris, iisque iucundiſſima et ſanctiſſima collegii neceſſitudine mihi coniunctis, quorum magnam partem iam dudum in ſumma admiratione habueram, quorumque varia et omnigena doctrina ſcientiam et conſilium in nulla re deſiderare me pati poſſet? Subibat aliud, idque ad meum ſenſum et ingenium ſummum, ſpes libertatis, quae oſtendebatur, longe iucundiſſima; dico libertatem ſentiendi et iudicandi de quibuscunque rebus, ad animi ſui iudicium, non ad publicum aliquod praeſcriptum, aut ad alicuius nutum et arbitrium; libertatem porro pronuntiandi, docendi et ſcribendi quod iudicium animi probauerit, maturum tamen et ſubactum, nec a prudentia, reip. vtilitate, aequitate in alios et modeſtia deſtitutum; quam libertatem, auditores, inter bona veſtra cenſeri audieram, eiusque cupiditate tanto maiore tenebar, quanto grauius erat iugum ab aſſentationis neceſſitate impoſitum. Ad caſtra itaque Muſarum a multis inde annis deſerta redire et in veſtro commilitio ac contubernio litterarum ſtipendia facere me conſtituiſſe nemo mirabitur. De me itaque ita habete, commilitones ornatiſſimi; venire ad vos hominem ſummo ſtudio accenſum, vt liberales et ingenuos animos ad optimarum rerum et litterarum ſtudia informet, vt viam ad ea, quam

poſſit,

poſſit, certiſſimam et iucundiſſimam vobis patefaciat, atque ita muniat, vt eadem ſimul ad omnem ſapientiam, virtutem et honeſtatem, eatur. Vos vero, doctores patresque huius Academiae, aetatis auctoritate, munerum dignitate, doctrinae praeſtantia, morum humanitate, illuſtres et venerabiles, in veſtri collegii coniunctionem et neceſſitudinem eum cooptare et recipere dignamini, qui, cum iam abſens nominum veſtrorum admiratione captus eſſet, eo animo et ſtudio et cupiditate ad vos accedit, vt ſummam reuerentiam, fidem, amorem vobis praeſtet, vt voluntates, ſtudia, amicitias veſtras omni officio et virtute et pietate mereatur, vtque conſilia veſtra de huius Academiae et litterarum communibus commodis, quantum ingenio et diligentia valet, communiter adiuuet et exſequatur.

Commemorabam, auditores, paullo ante inter bona veſtra, quae animum meum ineſcarent, libertatem ſentiendi et iudicio ſuo vtendi, quae ſane ſine libertate publica eſſe poteſt nulla, nec locum habere, niſi in republica ad bonas leges deſcripta, in qua ad legum arbitrium, non ad vnius aut paucorum, aut ad certorum collegiorum nutum ac lubidinem, res adminiſtrantur. Iam cum a maioribus traditus mos ſit, vt in aditiali hac ſollennitate muneris noſtri quoddam quaſi auſpicium faciamus, agite, obtemperemus mori non omnino reprehendendo, et *de veris bonarum artium litterarumque incrementis ex libertate publica* nonnulla dicamus, non quidem ea ſubtilitate aut copia, quam res ferret, ſi hic locus eſſet et ſi ego orationis vi ſatis valerem, ſed quam breuiſſime,

et

et ſummorum tantum rei capitum ratione habita, vt ne, dum veſtros mihi animos conciliare cupio, faſtidio et taedio longioris orationis abalienare videar. Vos itaque, auditores grauiſſimi, ornatiſſimi, vt me, quod adhuc feciſtis, beneuole audiatis, ſummopere oro rogoque.

De *libertate publica, bonarum litterarum artiumque nutrice et optima parente, illiusque ad eas vi et fructu*, dicturus non exiſtimo quenquam veſtrum eſſe, cui haec quaeſtio, ſiue ab huius loci et vniuerſitatis, ſiue a muneris, quod ingredimur, omninoque a ſtudiorum noſtrorum ratione, aliena videri poſſit. Non enim de libertate reip. cogitet, non dicat aliquis in iis terris, in ea vniuerſitate litteraria, quae ſua fundamenta et initia, ſuos auctus et ornatus, iis opibus, ei felicitati publicae, debet? quae, niſi e libertate illa, naſci, ac ſine ea conſiſtere, nulla potuit? in ea vniuerſitate, quae eius Principis imperio paret, qui populum libertatis ſtudioſiſſimum pacatum et florentem ſummis virtutibus regit? in ea tandem vniuerſitate, in qua ſua cuique voluntas libertasque viuendi et ſentiendi, et opinandi quae velit, relicta eſt? in qua nullus, ne ab aliis diſſentire parum expediat, metus, nulla vis, nullum regnum, quo in alterius verba iurare cogaris, nulla ſententiae ſenſusque animi alta occultatio, nulla calliditas et cauillatio, ad fraudem, quae expugnari nequit, eludendam; in qua tandem ſapientiſſimarum legum auctoritate prouiſum eſt, vt ne odia publice exerceantur, inimicitiae et ſimultates ſuſcipiantur. Cum itaque in magna parte ceterarum vniuerſitatum, partim ſuper-

perſtitionis errore, partim religionis iurisque diuini humanique calumnioſa interpretatione, partim diſſidentium inter ſe partium furore, ingenia turpi et acerba ſeruitute opprimantur; quae enim ſeruitus grauior acerbiorque eſſe poteſt, quae dominatio intolerabilior, quam quae in cogitationes et ſenſa animi graſſatur? cum nihil publice profiteri audeas, niſi quod iis, qui regnum capeſſiuerunt, placeat, et quod a vulgi opinione paucorumue placitis nihil recedat; quo quid a reip. litterariae conditione alienius eſſe poteſt? haec, inquam, cum clades magnam reliquarum vniuerſitatum partem inuaſerit, Georgia Auguſta noſtra vna omnium maxime libertate et immunitate floret. Hic modeſte ab aliis diſſentire, hic inquirere, altius indagare et de iis ipſis dubitare licet, quae, vtut ab aliis pro certiſſimis habeantur, atque etiam forte veriſſima ſint, tibi tamen, vt ingeniorum magna diuerſitas eſt, nondum ſatis clara veritatis luce illuminari videntur; hic dubitationes non ſimulatas et imaginarias, ſed veras proferre et publice proponere licet; hic conſtituta Societas Regia, cui propoſitum eſt, non tam in iis deſidere et haerere, quae iam longo vſu trita ſunt; non eas diſciplinarum partes peruagari, quae ſatis excultae politaeque videri poſſunt; ſed eos tractus curſu emetiri, in quibus humano ingenio et ſollerti diligentique ſollicitudini laboris et ſtudii fructus noui expectandi, et vberior laudis gloriaeque materies ſperanda ſit; vnde, errore aut ignorantia debellata, non obſcurus et ignobilis triumphus deportari poſſit.

Sed et muneris noſtri, omninoque huius elegantiae ſtudiorum, ratio tam artis cum libertate vin-

culis

culis vincta et copulata eſt, vt communis fere hominum opinio obtineat, niſi in libera gente et ciuitate, artium et litterarum elegantium nullum prouentum, nullam vbertatem eſſe poſſe. Quid? quod haec ſtudia maximam partem in eorum hominum ſcriptis intelligendis et interpretandis poſita ſunt, qui in ciuitatibus et rebus publicis libertate florentiſſimis vixere, qui ciuium ſuorum ſalutem, qui patriam vitae animaeque anteposuere, amoremque libertatis tam alte animi ſui ſenſibus infixum habuere, vt omnia eorum dicta ſcriptaque eius quaſi ſapore aliquo imbuta et perfuſa eſſe videantur.

Coniuncta itaque eſt cum huius loci et conſeſſus grauitate, cum ſtudiorum noſtrorum natura, cum ipſa muneris noſtri ratione, haec de libertatis publicae ad litteras artesque liberales vtilitate diſputatio; nil hic alienum, nil abhorrens. Enim vero, etiam ſatis digna huius temporis ſollennitate, huius conventus celebritate, haberi debet? Satis digna? Quae vero quaeſtio reperiri aut excogitari poteſt dignior non dico hoc loco, hoc conſeſſu, hoc tempore, hac oratione, ſed omnino humano genere, humano ingenio, humana voce? Quid libertate praeſtantius? quid auguſtius? quid diuinius? Alma libertas! dulciſſimum nomen, numen ſanctiſſimum, quod ſi diuina appellatione et cultu affecerunt mortales, ignoſcendum humano generi fuit; lux huius vitae, quae absque te aeternis tenebris et ſqualore oppreſſa iaceret; humanitatis nutrix ac potius ipſa parens, ingeniorum fax et lumen, omnis virtutis et praeſtantiae fons et cauſſa, omnium diuinarum humanarumque

rerum

rerum ſedes ac fundamentum! tu prima homini humanum os et faciem honeſtam induiſti, tu ab humo et puluere, in quo proſtratus repebat, animum erexiſti, tu ad ſidera vultus tollere iuſſiſti; tu, vt ad ipſam diuinam naturam ſeſe conformare auderet, excitaſti. Tuo diuino munere effectum, vt ſocietatis et ciuitatis communia et aequata iura ferinae vagationi et vitae anteferamus, vt liberos tollere et parentum nomine appellari ſuſtineamus, vt filii et neceſſarii nomen dulce ac iucundum, vt tandem religionis ſanctitas, legum iurisque auctoritas, vt ipſius patriae caritas ne inane nomen ſit. Quod ſi *illi principi Deo, qui omnem hunc mundum regit, nihil eſt, quod quidem in terris fiat, acceptius, quam concilia coetusque hominum iure ſociati* *), quae res ei gratior eſſe poteſt, quam id, quod vnicum earum vinculum eſt? quo omnis neceſſitudo, omnis fides, omne officium, atque ipſa amicitiae ſuauiſſima coniunctio continetur? quo ipſa ſocietatis vis et natura conſtituitur? quo denique totius humani generis fortuna, ſalus atque felicitas comprehenditur? Quid enim illud erat, quod primos homines, qui, nulli poteſtati, nulli imperio ſubiecti, in ſumma libertate et licentia vagabantur, inducere et mouere poterat, vt in vnum locum conuenirent, vt frenos et regna acciperent, vt de voluntate ſua partem quodammodo concederent; niſi hoc erat, vt alteram tanto magis ſaluam et ſalubriter liberam haberent? quid inuitare potuit, vt leges et iura ſibi conſtitui, formam imperio dari paterentur? vt feritatem et immanitatem depone-

*) *Cic. de Rep. VI. Somn. Scip.*

ponerent, ad manſuetudinem et mites mores mollirentur? vt deſidia et ignauia, quae omni humanae naturae rudi et incultae propria eſt, excuſſa, ad induſtriam ſe acuerent, curis vigiliisqueſe conficerent, mercarentur, negotiarentur, nauigarent? vt artes excolerent, primum rudiores et ſimpliciores illas, mox has exquiſitiores et ingenioſiores? vt morum diſciplinam admitterent, et de ſummo Numine et prouidentia, eiusque cultu, notiones non omnino ſua natura indignas reciperent? Vna et ſola tantarum admirabilium rerum cauſſa et origo fuit, libertas, cuius acerrimus et humanis pectoribus alte infixus ſenſus, quem nulla aetas, nulla deprauatio, nulla vis extinguere aut extirpare poteſt, hominum animos ita comparabat, vt facilem aſſenſum diuinis iis viris praeberent, qui, ipſa rerum conditione ſuaque natura diligenter conſiderata, nullam neque integram et ſanam, neque ſtabilem et firmam felicitatem, niſi in ſocietatis pactione et coniunctione, eſſe intellexerant; hanc vero diu conſiſtere aut fructum eius vllum eſſe non poſſe, niſi libertate ſapienter temperata; vt anguſtis ſui cuiusque commodi et priuatae vtilitatis laqueis extricatus animus in commune conſuleret, publicam vtilitatem primo loco, deinde ſuam ſpectaret, fortunas, opes, vitam, pro ſalute communi offerret. Huius itaque beneficio effectum eſt, vt ad beſtias et animantia ne deprimamur; vt menti noſtrae diuina lux et vita ne eripiatur; vt ſimus tandem id, quod eſſe debemus, *vt homines ſimus.* Credite, Auditores, homini, qui haec non nullo vſu et experientia edoctus apud vos eloquitur, nulla ſine libertatis fructu vita, non modo tolerabi-

lis,

lis, ſed ne vita quidem eſt. Quae enim conditio cum ea non dico comparari, ſed iuxta eam non plane miſera et intoleranda videri poteſt? an illa vita, quam rerum iucundarum copiis et facultatibus affluentem viuit aliquis inter criminum opprobria corruptelamque et contemtum ſui? ipſe non modo omnis generis libidinibus ſeruiens, verum etiam ſeu per ingenii imbecillitatem, ſeu per animi ſtuporem, ignauiam, ſocordiam, perpetuam luxus comitem, aliorum voluntatibus obnoxius; in vinculis et quaſi ergaſtulo miniſtrorum infamiae ſuae omninoque aulicorum, qui ipſius cupiditatibus velificando in peſſima ſeruitute eum detinent? luxu deliciisque diffluens, quibus ipſe non fruitur? ſpectaculis alligatus, quorum nullum guſtum, nullum ſenſum habet? vt voluptatum vim et naturam non niſi ex taedio et ſatietate noſſe, ipſarum dulcedines et titillationes ne percepiſſe quidem videri debeat. An vero vitam eius probabimus, qui tyranni amicus vt appelletur conſequutus eſt? amicus vero, an verius inimicus et hoſtis nocentiſſimus et crudeliſſimus, tantoque crudelior, quod, amorem fidemque ſimulando, dominum ſuum veris bonis nudat, eorum ſenſu priuat, miſeria, dedecore et infamia operit? quid? eam vitam dicimus, quae ex nutu alieno pendet? et ex nutu hominis, qui ipſe ſui animi compos potensque non eſt, ſed omnibus cupiditatum, irarum, libidinum procellis et tempeſtatibus iactatus vbi conſiſtat non inuenit? eam vitam, quae in ſumma rerum inconſtantia, in ipſo fortunae turbine ac fluctu, pendet, et in perpetuo timore metuque, inter ambitionis, vanitatis, inuidentiae, odii, angores et

 ſo-

ſolicitudinum aculeos, atque in ipſo malae conſcientiae equuleo, et, quod etiam miſerius eſt, in infelici ſtudio iſtas curas omnes callide occultandi, conſumitur? cum, niſi ſcelere, decus nullum parari, niſi ſcelere, ſcelus nullum defendi, et ſuſtineri, nullum aliorum ſcelus propulſari poteſt? cum, vt ſolus regnes, ſi modo, miſerrimum ſeruitium ipſe ferens, regnare dici poteſt, omnes alii ad indignam ſeruitutem deturbandi ſunt, qui, ſi naturae omnem dignitatem non deponant, perpetuis niſibus cum reluctentur et renitantur, perpetuos rerum fluctus motusque excitari neceſſe eſt? At eum certe beatum eſſe arbitrabimur, qui publicae ſeruituti lubenter ceruicem ſubmittere et tam patienter iugum ferre didicit, vt et in eius turpitudine ſibi placeat, cumque apud potentes homines gratiam et beniuolentiam ſibi comparārit, ex ipſa publica calamitate quaeſtum faciat, et in ſumma ciuium ſuorum inopia et miſeria ipſe copiis opibusque circumfluat et abundet; iis ſcilicet bonis, quae, pulcherrimarum rerum inſtrumenta cum ſint, quantum in ipſo eſt, ad turpiſſimas adhibentur; quae adeo non modo bona non ſunt, ſed etiam magnae calamitatis et miſeriae loco haberi debent. Nihil dico, quam incerta et vana ſint, quam periculi et metus plena, quam fortunae ludibrio pateant, quantam inuidiam et odium omnium eorum concitent, qui, vnius profuſione et indigno luxu, tot millibus vel ipſa vitae ſubſidia et neceſſitates ereptas eſſe queruntur; ſed ea malorum ſumma eſt, quod, prauo illo voluptatum vſu, ipſa corpora, ipſae ingenii animique vires atteruntur; quod omnis honeſtatis et pulchritudinis ſenſum ſiue amittunt, ſeu nul-

nullum habent; quod tandem aſſentatorum ineptiis et fraudulentis vocibus obnoxios ſe et deludendos praebent. Ita eſt, auditores O. O. ſpectatiſſimi, niſi liber, nemo vnquam veram vitam vixit; ſiue alios opprimas, ſiue ipſe opprimaris, aeque miſera fortuna, nulla vita eſt. Nam vt oppreſſori ciuium ſuorum omnia ex voto ſuccedant, quis tam ferinam ferociam humano in pectore alit, vt eius miſeriae auctor eſſe velit, qua vnus ciuis, vnus popularis, quid? ſi populus vniuerſus, oppreſſus gemit? Quam triſtis et miſerabilis rerum facies, quae ſolitudo, qui moeror, qui luctus, in eo populo, cuius pars exigua, forte ipſa eius faex et ſentina, luxu et mollitie liqueſcit et ſoluitur, longe maxima pars fame contabeſcit, et omnium rerum inopia conficitur, laboribus et aerumnis, vnde nullus ad ſe fructus redit, concidit? Nemo ſibi arat, ſibi ſerit, ſibi aedificat. Poſtquam multo cum ſudore terra vomere ſubacta, et ſemen ei creditum eſt, laetiſſimae ſegetis ſpes, modo militum inſolentia, modo ferarum delicate altarum proteruitate, proſtratae iacent; numeroſae exactorum cohortes omnes provincias peruolitant; tributorum nouorumque vectigalium nomina tabulae vix capiunt; qui in opificio, officina vel arte verſantur, animum deſpondent, omniſque operae taedio capti ad timiditatem et ignauiam a curis et moleſtiis ſe conuertunt; mendicorum claſſis maximam frequentiam habet; diuites diuitiis ſuis timent et perpetuo ſubitorum metu cruciantur, vtque reliqua ſeruent, pecuniae partem in corrumpendos potentes eorumque ſeruos erogant; quod cum ii videant, qui auaritiae et cupiditatis explendae cauſſa ad munera

et miniſteria reip. acceſſere, non modo, quod ſibi ſolis ſatis ſit, ſurripiendum; ſed tantum rapiendum eſſe vident, quod multis ſatis eſſe poſſit *); leges vim nullam nec habent, nec habere poſſunt, cum paucorum opes et ſuperbia partim, partim ceterorum neceſſitas aut ſalutis deſperatio, earum minas infringat vel contemnat; ingenia, litterae, artes iacent; nullus niſi ludicris forte et iocularibus aut hiſtrionicis artibus honos; ipſa, rerum ſanctiſſima, religio nil niſi mera ſuperſtitio in fraudem multorum et iniuriam a paucis deflexa et corrupta. An quicquam his rebus triſtius ac foedius cogitari poteſt? Felices eos, quibus haec non niſi auditu cognoſcere licuit! cum eas terras habitent, a quibus vis alienae dominationis, omne imperium ſuperbum et violentum, tyranni libido et contumelia depulſa, leges vero et iura, quae non plane ab omni aequabilitate recedunt, conſtituta ſunt; neque vnius voluntas, omnibus recti aequique vinculis et compedibus ſoluta, temere graſſari poteſt. Atque inter has inprimis eae terrae, quas Georgius, rex iuſtiſſimus et feliciſſimus, imperio tenet, ſapientiſſima et prudentiſſima publicae rei adminiſtratione, ea libertate et felicitate florent, quae aliis etiam inuidenda videri poſſit. Sed ſummum meum libertatis amorem abripuiſſe me et ad diuinorum eius fructuum laudes, et imperii iniuſti et violenti accuſationem paullo longius deflexiſſe ſentio; quem meum errorem, ſi non mihi, at libertati tamen, praeſtantiſſimae rerum, qua ſumma felicitatis humanae continetur, vt condonetis, a veſtra,

*) Cic. in Verr. Act. I. c. 2.

ſtra, AA. humanitate me precibus meis impetraturum eſſe ſpero atque confido, atque ad illud iam accedo, ad quod oratio mea properat, et viam adhuc muniendam eſſe duxi, vt nimirum oſtendam, quae tandem incrementa, qui auctus, et fructus, ex libertatis publicae praeſtantia ad artes litterasque perueniant.

Forte hic in animum venit ea multorum doctorum hominum opinio, qui omnem litterarum artiumque excellentiam, quam alii ad coeli ſolique naturam, ingeniorumque inde ductam ſagacitatem et ſubtilitatem reuocabant, a libertate repetunt, nec bonas litteras artesque, niſi in libero populo, florere poſſe iudicant. Cuius opinionis celebritas inprimis Britannorum auctoritati et exemplo debetur. *). Quod enim artes et litterae ſummo apud eos honore habentur, quod ſumma apud eos et praeſtantiſſima ingenia inclaruerunt, quod ad induſtriam in negotiis, ad ſollertiam in excogitandis ac perficiendis vitae auxiliis et commoditatibus, ad audaciam in nauigationibus, ad elegantiam in artibus et vita, hominum animi acuuntur, id illi omne ad libertatem referunt. In quo vt recte facere putandi ſunt, ſi modo aptam et accuratam libertatis notionem in illa ſua praedicatione animis ſuis ſubiiciunt, ita vehementer errant, ſi, niſi in ea rep., in qua ſumma rerum cura et adminiſtratio cum populo communicata aut inter plures omnesue ordines diſpertita eſt, litteris artibusque nullum locum relinquunt, et omne imperii genus

 nulla

*) Vt nuper factum videmus in libello: *Letters to a young Nobleman*, (Lond. 1762.) Lett. VI. VII.

nulla alia ratione ad artium fructus producendos et ingeniorum meſſem ferendam idoneum eſſe cenſent, quam ſi aliquanto propius ad populare accedat. Nam quod Graeciam, aut potius vrbem Graeciae, Athenas, tanquam ad teſtimonium pro ſententia dicendum excitant, id vero non ſatis perpenſa et conſiderata re faciunt, vt etiam id, quod laudant, exemplum contra eos valere videatur, quo conſtet, in natura adminiſtrationis reip. quae e populi vniuerſi conſilio et ſuffragiorum auctoritate conſtituitur, nihil eſſe, quod cum artium vlliusue liberalis diſciplinae indole coniunctum et neceſſitate quadam adſtrictum ſit. Magnus, praeter Athenas, ciuitatum et rerump. numerus in finibus Graeciae fuit; quarum nullam aut vix vnam atque alteram, cum eodem imperio populari vterentur, litteris et artibus, aut claris et doctis hominibus floruiſſe ſatis conſtat. Quando enim ex Elide, aut Pylo, aut Tegea, aut Opunte, aliaue eiusmodi vrbe, magnum aliquem poetam aut pictorem prodiiſſe accepimus? Quae ciuitas accuratae iuris aequabilitati ſtudioſius cauiſſe et definitae ſingulorum ciuium libertati ſeuerius et diligentius proſpexiſſe putari debet, quam Lacedaemoniorum? quae tamen tantum abfuit, vt eloquentiae, poetices vlliusue alterius artis liberalis, laude et praeſtantia gloriam et nomen amplificaret, vt etiam iſtam elegantiae laudem contemneret et ſua virtute indignam iudicaret. Peruenerunt, ipſa viciſſitudine temporum et rerum, aliae atque aliae ciuitates ad ſummas opes; neque tamen ingenia ſua ad artium ſtudia, inſigni quidem aliquo conſenſu, adiunxiſſe memorantur. Erant Aetoli liberrimi, erant, vt ad alias

gen-

gentes progrediar, Thraces, et, ſi in hac colligendi et argumentandi ratione procedere vellem, barbaras nationes nominare poſſem, quae, cum ab omni regio ſeruitio liberae degerent, nunquam tamen a ferocitate et immanitate ne ad humanitatis quidem cultum progreſſae ſunt. Quid? quod noſtro etiam tempore ſunt populi, quorum vita et conditio quam proxime ad naturalem libertatem accedit, dum aut in Americae ſiluis et nemorum vaſtitate ſe abſcondunt, aut in Africae deſertis errant, aut Aſiae iuga ſaltusque obſident, atque adeo, in hoc humani generis ergaſtulo, in ipſa nefandae ſeruitutis ſede ac domicilio, in Aſia dico, intactos ſe a iugo ſeruarunt; qui populi, cum multo laxiore et vberiore libertate fruantur, quam quae vllius Europae gentis non modo ad oculos ſed ne ad aures quidem vnquam accidit, in ſumma tamen non tantum artium elegantiae, ſed ipſarum vitae neceſſitatum ignoratione verſantur.

Non itaque a libertate populi ſtatim artium et litterarum claritas proficiſcitur; id quod ipſa rerum experientia exemplorumque declaratione euicimus. Verum nec facile eae ciuitates aut res publicae, quae libertatis nomine ſuperbiunt, praeſidia ea et adminicula habere ſolent, quibus litterarum et artium ſtudia magnopere recreentur et adiuuentur. Earum autem rerump. in quibus omne ius et poteſtas in populi manu eſt, natura ita comparata eſſe videtur, vt ad artium litterarumque incrementa et auctus hoc ciuitatum genus ceteris multo minus ſit idoneum. Nam in iſta ſententiarum varietate, voluntatum inconſtantia et fluctuatione, conſiliorum diuerſitate, in

tantis turbis, quibus eiusmodi ciuitates, tanquam Euripi alicuius conuerſionibus, agitantur, quae talis conſtantia expectari poteſt, vt, ad morum ingeniorumque diſciplinam, et artificii praemia et laudes, bonae et vtiles leges ſanciantur, vtque eae ſeuere et ſancte cuſtodiantur? Cumque, ad vulgi et plebeiorum hominum arbitrium, artibus pretium ſtatuatur, quis ab horum ignorantia, et iudicii ſiue prauitate ſiue imperitia, elegantiae vel vrbanitatis accuratam rationem haberi exiſtimet? Cum porro nulla talis resp. ſi modo conſiſtere velit, fines ſuos late extendere, et imperium propagare poſſit, ſed exiguis finibus paucorumque iugerum agris vt ſe contineat, neceſſe habeat: quem nos in tanta hominum paucitate et humilitate artium litterarumque amplitudini locum eſſe putabimus, quae magnarum opum copiarumque abundantiam, ipſiusque luxus affluentiam, maximam certe hominum frequentiam deſiderant, vt, cum eae artes, quae in vitae communis neceſſitatibus et vtilitatibus comparandis occupatae ſunt, iam ſatis gnauiter et ſtrenue a magna hominum multitudine exerceantur, ſuperſint alii, qui, illarum faſtidio, ad has ſeſe artes transferant, quae, vt minus neceſſariae, ita magis honeſtae, ingenioſae, iucundaeque ſunt. Ne mihi Romanam remp. hic aliquis laudet, quae a tenuiſſimis initiis ad tantam molem excreuit, orbem terrarum ſibi ſubiugauit, et omni tamen doctrinae et elegantiae copiis floruit. Quicquid Roma ex hoc genere habuit, aliunde acceperat; et eo tempore, cum artium litterarumque blanditiae per ipſa cupiditatum voluptatumque lenocinia ſeſe in eam inſinuarent, libertas populi Romani iam adeo

adeo labefactata erat, vt ruina eam mox collabi neceſſe eſſet. Graeciae vero in tot paruas resp. diſpertitio et diſtractio artium maiori robori et virium auctui etiam obfuiſſe putanda eſt, quem eae aſſequuturae fuiſſe videri poſſunt, ſi in magnam vnam remp. tota Graecia coaluiſſet; et tantum abfuit, vt, poſtquam Philippus et Alexander ad principatum Graeciae peruenerant, cum ab eo inde tempore ſingularum ciuitatum libertas fracta et imminuta eſſet, artium et litterarum honos ab eo tempore confeſtim extingueretur, vt potius, cum maior inde communio et coniunctio diuerſarum rerump. facta eſſet, tum demum artium et elegantiae ea celebritas fieret, quae ad omnes Graeciae fines pertineret; nunc demum ex omnibus ciuitatibus ingenia inclareſcere, pictorum, ſculptorum, fictorum, omnis generis artificum, muſicorum et poetarum frequentia eſſe, rectus ſenſus guſtusque veritatis et pulchritudinis late regnare; vt etiam tempora Alexandri in artium hiſtoria epochae loco habeantur, in qua ſummam excellentiam adeptae eſſe videantur. Atqui iam tum Graeciae libertas non modo non cum maxime florebat, ſed etiam iam conſenuerat. Quid? quod omnino, quando artes praecipua aliqua luce et ſplendore effulſere, id fere in iis populis accidiſſe animaduertitur, qui non modo nullo reip. populari genere vterentur, ſed ipſi regio imperio vel optimatum ſubiecti eſſent. Quid enim? Romanos negabimus tum demum floruiſſe litterarum humanitate et artium elegantia, cum, libertate tantum non proculcata, dominatus et imperium vnius ſuper eius ruina conſtitutum eſſet? Dicat aliquis: primas tamen radices egiſſe elegantiae

iſtam

iſtam diſciplinam in rep. libera, etiamſi floruiſſe in oppreſſa dicendum ſit; adeoque naſci certe in libertate eam oportere. Forte eodem modo memorare expediat Arabum fortunam, qui ſub Calipharum demum imperiis, etſi ipſi imperantes victis populis, principatum litterarum ſuae aetatis conſequuti ſunt. Enimuero, quid de Francogallis faciemus? quos vtique litteris artibusque florere, et, quod moroſiores contendunt, multo magis etiam ſuperiore aetate floruiſſe, fatendum eſt; et ſub eo rege floruiſſe, a quo legum et immunitatum populi magna imminutio facta eſt; ſemina autem non minus iacta eſſe ſub regibus, quorum vnus quidem, Henricus IV. omnium, quotquot gens humana vidit, longe fuit optimus, ſed rex tamen, qui ſummam rerum ad ſui vnius arbitrium ſpectare putaret. Cum vero litterae bonae, barbariei nocte depulſa, Europae iterum illuceſcerent, quae primae iſtis ingenii humani tenebris faces accenderent, liberae ne erant ciuitates? immo vero omnes, ſeu vnius ſeu plurium dominatui ſubiectae, a tyrannis et optimatibus oppreſſae; niſi Florentia libera erat, cum a Coſmis et Laurentiis ſumma artibus et litteris auctoritas et dignitas compararetur. Aliis igitur rationibus et cauſſis litterarum et artium decus atque celebritas, quam libertatis et adminiſtrationis popularis inſtinctu et afflatu, contineri debet.

Quid autem? libertas ne publica plane ab artium rationibus ſeiungenda? Minime vero; immo artiſſimis ea vinculis cum iis coniuncta eſt, vt neque hae iſtius, neque harum illa beneficio carere poſſit, quin etiam il-

lud

lud dicendum, ſolius libertatis temperie et calore interdum benignum artium prouentum eﬄoreſcere et maturari poſſe. Nimirum in tota hac diſputatione duo inprimis errores verſari et, ne vel ab acutiſſimis viris recte ſubducantur rationes, videntur turbare; primum, quod libertatis notio ea ſubiicitur, quae nec ſatis conſtans ac definita, et nimis anguſtis popularis reip. generis finibus coercita et incluſa ſit; et quod libertatis fructibus aut plus iuſto, aut ei ſoli id tribuitur, quod ex aliis rebus, quanquam illis fere cum libertate coniunctis, prouenire ſolet.

Ac primum quidem admodum vaga, incerta et indefinita omnis illa de libertatis effectis oratio eſſe ſolet. Nullum enim forte nomen eſt, cuius, ſecundum varia hominum ingenia, ſtudia, mores et opiniones, tam diuerſa et confuſa acceptio ſit, quam libertatis; qua de re longa et ſubtilis inſtitui poſſit diſputatio. Sunt, qui libertatem nullam, niſi in imperio populari et in ciuitate libera eſſe poſſe putent. Philoſophi vero et docti homines multi quidem accurate et peracute de ea diſputarunt, vt tamen interdum metaphyſicas potius et ſubtiles rationes ſpectarent, quam rerum et imperiorum naturam adhiberent. Qua in re cum nullius hominis conſilium et rationes reprehendam, eam tamen libertatem animo informandam eſſe cenſeo, quae et reſpectu ipſius reip. et reſpectu regnantium aeque atque parentium, hoc nomine digna ſit, et a bene ſapienterque conſtituta et adminiſtrata rep. proficiſcatur, adeoque felicitatem publicam conſtituat. Bene autem ac ſapienter conſtituta, et adminiſtrata ea de-

demum resp. dici poteſt, quae non in vnius aut paucorum vtilitatem aut dicitur aut putatur eſſe inſtituta, ita vt opes publicae priuataeque cupiditati, luxui, faſtui, eorum ſeu ex legibus ſeu pro arbitrio obnoxiae habeantur, ſed in qua ſalus populi ſuprema lex eſt, commune et publicum bonum ſingulorum priuatae vtilitati antefertur, legum auctoritas et maieſtas non vnius vel paucorum voluntati et arbitrio ſubmittitur, nec ciuium aut libertati ac voluntati, aut opibus paratis parandarumque opum ſtudiis, detrahitur plus quam ſumma vniuerſae reip. vtilitas exigit. In tali imperio ſiue rep. ex quocunque tandem genere, ſiue regali, ſiue optimo, ſiue populari, ſiue e tribus illis generibus modice confuſis, ea comparata ſit, omnia ea bona, quae libertatis in rationes referri ſolent, adeſſe neceſſe eſt. Nam et certiſſima ſecuritas et ab omni metu vacuitas, et firmiſſimum aduerſus omnem ſiue ciuium iniuriam ſiue vim extraneam praeſidium et tutela, et iurium iuſtitiaeque accurata cura, et maximae rerum copiae opesque, omninoque publica felicitas, tali reip. conſtitutione continentur. Ipſi principi *ac moderatori reip.* nihil aliud, niſi *beata ciuium vita propoſita eſt, vt opibus firma, copiis locuples, gloria ampla, virtute honeſta ſit* *). Ciues vero eius imperio ſubiecti ſua poſſeſſione, et ſuae operae, ſuae induſtriae, ingenii, diligentiae fructibus, tuto ac libere fruuntur; bona, famam, gloriam, quaecunque ſibi magno labore pararunt, ad filios nepotesque transmittunt. Ita omnis

*) Cic. de Rep. Fragm. lib. V.

omnis fraus et vis excluſa, cum nullus ceteris plus valeat, niſi iure potior ſit.

Haec itaque libertatis notio vbi recte informata fuerit, tum illud cognitu facile et perſpectu eſt, libertatem non quidem ipſam vi et natura ſua artium et litterarum celebritatem creare aut afferre, cauſſas tamen eam et facultates, a quibus litterarum honos proficiſcitur, atque etiam ſemina et elementa ac ſtimulos illos continere, quibus punctum et conuulſum humanum ingenium ad artes ſeſe adiungit; quae quidem omnia cum libertate coniunctiſſima ſunt, et ſine ea in vlla rep. nec ſunt nec facile eſſe poſſunt. Scilicet ingenium humanum natura ſua ita comparatum eſt, cum corpus quidem, dum modo viribus et robore vigeat, ad omnem mobilitatem flexibile, ad varietatem ſitus concitatum, ad labores ſuſtinendos firmum, exercitationis etiam indigens, fami, ſiti, omnique moleſtia ferenda facile aſſuetum ſit, vt deſidiam tamen et ignauiam vehementer appetamus; id quod multo magis etiam ad animum humanum pertinet, qui in ſumma mobilitate, leuitate et inquietudine, ab omni intentione abhorret; cuius rei ſi in cauſſas inquirendum hic eſſet, variae ex ipſa noſtra natura rationes afferri, multa ex peregrinantium narrationibus argumenta duci poſſent. Hoc marcore et comate maxima pars humani generis oppreſſa, magna plane ſepulta eſt, quae legibus nimirum aut nullis aut malis regitur. Ex hoc graui lethargo vt excitetur humana natura, vt torporem et veternum illum ingenium humanum excutiat, aculeo quodam opus eſt, qui pungat et ſolli-

ſollicitet; ſtimulo opus eſt, qui fodicet et vexet; oeſtro quodam, qui concitet; quem niſi legumlatorum acumen et ſagacitas ſapienter temperauerit, aut prudenter infixerit, nunquam nationis eius, cuius reip. formulam ſcribunt, neque vlla legum iuriumque ſubtilitate et accumulatione, neque poenarum et ſanctionum ſeueritate, ſomnum illum et torporem detergent, et ingenia ad ingenioſam induſtriam acuent. Fruſtra hos ſtimulos nonnulli, qui ad humanitatis ſenſum ipſi occalluerant, a grauibus imperatis tributis, a vectigalium onere, a tyrannica oppreſſione, petere et expectare voluere. Quod ſi interdum ruſticanae gentis torpor exactionum ſeueritate excuſſus videri potuit, aliae prorſus ac diuerſae cauſſae adfuere, a quibus illa res repetenda erat *). Interdum aliquid a fortuna obiicitur, quod hominum ſocordiam conuellat et curis pectora acuat, ne laborem auerſari, ignauiae et deſidiae dediti eſſe malint. Is vero aculeus, quem dicimus, nullus alius eſt, quam animi humani affectiones et cupiditates, quae pro ingenio vniuscuiusque nationis aut excitandae aut ſedandae, acuendae vel obtundendae, ad ea, quae ſpectamus, inflectendae et temperandae ſunt; ſpes inquam, ſi non ipſum deſiderium, dulcis alicuius fructus et vtilitatis vel commodi et voluptatis, et, niſi craſſa hominum ingenia ſunt, praeſtantiae, laudis, honoris, gloriae, oſtendenda eſt. Nam, ſi in perfecta rep. aut in eo hominum coetu verſaremur, qui

*) Iam veteres in hac notione et iudicio de libertatis et ſeruitutis vi ad acuendam induſtriam fluctuarunt. v. Socratis dictum, vix ſatis docte expoſitum ab Aeliano V. H. X, 14.

qui nullis niſi Sapientibus conſtaret, primo loco poneremus honeſtatem, officii amorem, patriae, eiusque ſocietatis hominum, ad quam nos ſiue fortuna ſiue ratio adiunxit, omninoque generis humani, caritatem. Iam vtrique, et illi craſſiori, lucri et voluptatum, et huic acutiori, gloriae et laudis, aculeo locus eſſe nequit niſi in eo coetu, in ea rep. quae iuſtam amplitudinem, iuſtum robur, numero et frequentia ciuium, nacta ſit; in ea rep. in qua rerum ad vitam ſuſtentandam neceſſariarum, quibus natura humana nullo modo carere poteſt, ſatis magna copia prouiſa et parata ſit, in ea demum rep. in qua nondum vnus aliquis ingenia hominum ſregerit et generoſos animi motus oppreſſerit, et, ceteris cunctis ad glandes amandatis, ad ſe vnum vitae commoda, ingenii induſtriaeque fructus pertinere arbitratus ſit. In tali itaque rep. cum homines ſatis copioſi et otioſi multi exiſtant, quos, nihil eſt, quod ingenio indulgere vetet, vbi excellentiae, praeſtantiae et principatus amor in eorum animos inceſſere coepit, tum primum artes neceſſariae, et ad vitae opportunitates inprimis vtiles, hominum ingenia tentant et alliciunt, mox, ſi ſtimulus ille, de quo diximus, commode adhibitus, aut, ſi modo ille, vbi ſua natura ſeſe exerit, non vi et metu auaritiae, libidinis et cupiditatis potentum, quae in dominatione mala eſſe ſolent, retuſus fuerit, etiam liberaliores et ingenioſiores artes, quibus vitae ſuauitas et iucunditas omnino continetur, animos ſollicitant et ſibi adiungunt. Itaque non modo libertas illa, quam iſti dicunt, a qua dominationis vis abeſt, verum etiam rerum bonarum prouiſa copia et affluentia, ad artium ce-

lebritatem conſequendam neceſſaria eſt; quae affluentia, cum a nonnullis perſpectum eſſet, quantam illa vim ad litterarum et artium auctus et incrementa haberet, vt etiam luxus fere eodem cum artibus greſſu incederet, hinc, quod alii libertati, id hi luxui tribuere maluerunt, vt huius beneficio artes recreari et adiuuari dicerent. Nimirum in rep. bene et ſapienter deſcripta et conſtituta eae multorum opes et fortunae ſunt, vt ii per otium et remiſſionem a grauioribus curis ad alia, quae ingenium vellicant, excitant, alunt, ornant, transferre poſſint curas et ſtudia, vtque alios, a quibus proficiant, ſecum in contubernio habere, artium opera et litterarum inſtrumenta apparatusque poſſint parare; inter haec eorum ciuium non omnino nulla ratio habebitur, qui ſingulari aliqua dote ſe commendant, aut aliqua praeſtantia excellunt, eaque ad pulcherrima et ſumma quaeque formantur et inſtituuntur; ea itaque ingenia, quorum inſignis aliqua vis et magnitudo, aut praecipuum acumen et eminens elegantia deprehenditur, honore et laudibus ornabuntur, fauore, plauſu, beneuolentia excipientur; quo exemplo alii cupiditate exiſtimationis et gloriae incendentur, vt et ipſi ingenia acuant et poliant. Poterunt in his eſſe, qui fortunae copiis deſtituti eo, quo contendunt, non facile peruenire poſſint: enimuero interdum bonis reip. inſtitutis, ſaepius potentum luxu et profuſione, raro eorum magnanimitate et liberalitate, plerumque ingenioſorum hominum conſtantia et peruicacitate, efficitur, vt ne ingenia egregiis naturae dotibus conſpicua, inopia et obſcuritate oppreſſa, neglecta et contemta iaceant, ſed ad eam praeſtan-

tiam

tiam ſeſe eleuent et extollant, ad quam a natura deſtinata eſſe videbantur. Magnum ad haec adiumentum ac praeſidium habet, ſi pueritiae et adoleſcentiae inſtitutio et educatio bonis legibus et inſtitutis temperata eſt; ſi ſenſus, amor et ſtudium veri, pulchri et boni, eorum animos informauit, ad quos iudicandorum ingeniorum, munerum reip. et magiſtratuum inſtruendorum, ratio et cura ſpectat; ſi luxus opes et copias non ad artes ludicras, aut ad morbum et inſaniam ſtudii in rebus vanis et futilibus, transfert, nec foeda luxuria et prodigalitate temere effundit, ſed opes et publicas et priuatas ad emendandos fortunae errores, et adiuuandam et amplificandam naturae bonitatem, diligens et prouida cura confert. Ita ſtudium et induſtria propoſita ſibi et conſtituta praemia habet, vt ne iis, qui litteris et diſciplinis addiſcendis annos, patrimonia, vires, conſumſerunt, cum rem familiarem non modo non augere vel ſeruare, ſed etiam atterere et affligere coguntur, in ſumma penuria et egeſtate languendum ſit; cum interea praemia ſibi debita ad eos transferri videant, qui natales, opes, ſeruilis aſſentationis artes, ſtuporem ingenii ipſum, omnes alias cauſſas, praeter vnam virtutis et ingenii, de ſe praedicare poſſint. Quae omnia eiusmodi ſunt, vt in imperio, quod vni paret, non minorem opportunitatem, quam in rep. libera, habere videantur; quid? quod in regio imperio etiam maiorem. In hoc enim princeps, qui omnem publicae auctoritatis, poteſtatis et maieſtatis, vim in ſe quaſi collectam et vnitam habet, cum vniuerſae compagi ciuili maiorem mobilitatem motusque celeritatem impertire

 poſſit,

poſſit, idque, quod velit, cum efficaciter velit, ſi ſemel ad hanc reip. partem animum aduerterit, vt ingeniorum iuſtam aeſtimationem facere et cuiusque praeſtantiae rationem habere velit, cura, auctoritate, fauore, beneuolentia, praemiis ad meritorum dignitatem ſapienter diſtributis, facile, quicquid ſibi propoſitum habuerit, efficere et conficere poteſt. Quae res in ea ciuitate, quae ſingulorum ciuium arbitrio conſtituitur, multo ſecus ſe habet; quod reip. genus, niſi principio optime et ſapientiſſime inſtitutum eſt, nullam mutandi, emendandi, adſtruendi vel affingendi licentiam admittit; neque adeo artibus facile viam patefacit eiusmodi ciuitas, vt, ſi eae ſe in ſinum eius inſinuauerint, id potius ſelici aliqua rerum conuerſione, quam humano conſilio, eueniſſe videri debeat; quamquam, vbi ſemel illa artes intra ſe receperit, ciuiumque ingenia ad earum ſtudium et amorem conuerſa ſint, magna earum celebritas eſſe poteſt. Verum ſi eiusmodi ciuitatum res et fata ex hiſtoriarum monimentis accuratius conſideramus, in earum natura rem, primo adſpectu non adeo magni momenti, deprehendimus, quae tamen, vt artes in iis ad ſummam excellentiam et gloriam effloreſcant, magnam vim habet. Nam in iſtis ad popularem formulam conſtitutis ciuitatibus aliter fieri fere nequit, quam vt eloquentiae ſtudia, propter magnam eorum in reip. adminiſtratione auctoritatem et ad populum continendum vtilitatem, in magna exiſtimatione et in magno honore habeantur. Ad haec cum generoſum quodque et liberale ingenium ſeſe conferat, et per ea ad reip. honores, ad gratiam et dignitatem, contendat: vt

in

in iis excellat, neceſſe habet, vt ad omnem litterarum artiumque diſciplinam, ſine qua magnus orator eſſe nequit, ſeſe comparet. Interea audientium iudicia quotidiano audiendi vſu et multorum, quos audiunt, comparatione acuuntur, ita vt mediocrem oratorem ferre nequeant; quo ipſo oratorum ſtudia, ſi probari volunt, intendi et accendi neceſſe eſt, vt orationis adiumenta et ornamenta ex aliis litteris circumſpiciant. Itaque Athenis, itaque Romae, omnibus ceteris artibus eloquentia aditum primo conciliauit; mox vero cum, per ipſam pueritiae inſtitutionem et diſciplinam, omnium fere ciuium animi iis imbuti eſſent, ſua ſe illae gloria et dignitate tuebantur, ſuis propriis ornamentis, poſt etiam lenociniis, admirationem et amorem ſui retinebant. Accedebant ludorum ſollennia et feſtorum celebritates, inque his lyricae et dramaticae poeſeos honos ex choris et ſcenicis fabulis, ad quas componendas ingenia excitabantur; mox in iisdem ſollennibus conventibus ſcriptores, poetae, muſici, artifices quique praeſtantiſſimi e tota Graecia concurrere, certamina de ingenio et arte inire, et victores, in conſpectu vniuerſae Graeciae, laudem et gloriam immortalem reportare. De cuius moris ſapientia et excellentia, cum nunquam ea ſatis praedicari laudibus et proponi poſſit, tacere melius eſt, quam pauca dicere. Quod ſi itaque in liberis ciuitatibus artes floruerunt, id non tam peculiari iſti reip. formulae deberi, quam omnino prudentibus inſtitutis; non libertati et immunitati a regio imperio et principatu, ſed legum bonarum et prudentis adminiſtrationis bene-

nefi-

neficio, quod in omni bene conſtituta rep. praeſtari neceſſe eſt, ſatis demonſtratum eſſe arbitror.

Quae cum ita ſe habeant, non magno acumine opus eſſe videtur, ad cauſſas perſpiciendas, cur dominatio et imperium iniuſtum et violentum ingenia tam acerbo frigore adſtringat, interdum etiam enecet. Nam non id ab ipſo imperii genere et ipſa dominationis natura effici arbitror. Date enim mihi Dionyſium aliquem tyrannum, ad cuius palatium ſapientes et docti homines e tota Graecia conuolabant, ipſum ingenioſum et doctum hominem, ipſum omnis elegantiae et artis ſtudio flagrantiſſimum; nonne in huius dominatione et regno maiorem litteris honorem haberi, artium decori et ſplendori accuratius conſuli veriſimile eſt, quam in multis rebusp. popularibus, et in multis regnis, in quibus regia vis et auctoritas diligentiſſime circumſcripta eſt? Adſunt enim ea, quae ingenia excitare, alere, fouere poſſint: opes regiae, publici plauſus, honores, tituli, ornamenta, praemia omnis generis. Enimuero, cum in iſto imperio omnia ad vnius rationes, libidines et voluptates, referantur, in illa fortuna guſtus et ſenſus bonarum rerum non facile diu retineri, artium et literarum ſtudium et amor non facile in multum tempus ſeruari poteſt. Deprimuntur ingenia ad vilis adulationis ſtudia; fracti luxurie animi cum domini tum dominationis miniſtrorum et amicorum venantur mollia, vitiis morbisque ſuis blandientia; creſcit in dies nouitatis ſtudium; non bona, ſed noua quaeruntur; ita naturae veritas ſpreta iacet; dominatur opinio paucorum et vnius iudicium de pulchritudine

tudine et praeſtantia rerum ius facit. Ita litterae et artes ſpretae languent, mox contemtae iacent, ingenia obſcurantur, tandem extinguuntur. Atque id non modo in audaci illa et effreni dominatione et tyrannide, quae in ipſa luce et in ore hominum ſeſe iactat, quae caedibus, tormentis et exiliis gaudet, qualis olim Graeciae fere ciuitates, ſi libertatem amitterent, occupabat; ſed et in ſurda illa, clandeſtina et obſcura, accidit, quae ſi non nomine, re tamen vera dominatio eſt, eaque tanto infeſtior et funeſtior, quod in pecunias et patrimonia ciuium ſaeuit, et, dum vitam intactam relinquit, vitae auxilia et ſubſidia eripit, lentaque homines tabe conficit. Cum enim illa, ad inſanum luxum explendum, pecuniae tanquam dira fame ſtimuletur, vt etiam reip. viſcera dilaniet, et non ſanguinem modo, ſed et ſuccum, et humores exſiccet, atque ipſum vitae fomitem extinguat, quae quaeſo alimenta ingeniorum et artium in tam confecto et exinanito corpore ſupereſſe poſſunt?

Sed, quae in bello domeſtico, in acerba dominatione, violentia artes et litteras fugat et ab hominum aditu prohibet, eam non minus in externo, et inter arma, Muſarum ſacra turbare, inprimis, ſi a barbaris impetus et incurſio fiat, cum per ſe ſatis conſtet, non mihi multum in eo laborandum eſſe exiſtimo. Ad illud venio: interdum tempora dominationis calamitoſiſſima cum artium quadam celebritate eſſe coniuncta, atque eas terras, in quibus litterarum nullus aut minimus honos, artium nulla publica cura habeatur, illarum tamen ſi non ſplen-

 dore,

dore, at luce aliqua interdum illuſtrari. Quae res, ſi accuratius expendatur, variis de cauſſis accidere poteſt, quarum nulla ad probandum vel optandum tale imperium inducere poſſit. Nam et veterum inſtitutorum praeſtantiae et maiorum ſapientiae id deberi poteſt, cuius fructus, ab eo inde tempore, cum meliore rep. vterentur, ad ſeram ſaepe poſteritatem et ad ea adeo tempora pertinet, in quibus in eo ipſo laboratur, vt praeclara illa inſtituta conuellantur et ex hominum memoria auferantur. Interdum modo eius, qui dominationem et imperium exercet, modo potentum ingenia, ſummo in luxu, in ſummo bonarum rerum contemtu, artibus tamen nonnullis, friuolis iis quidem et inanibus, dedita ſunt, ſed quae tamen commendationes ſuas et illecebras, interdum ipſa initia vel firmamenta, a liberalioribus artibus petere neceſſe habeant. Cum itaque illae, ad ornatum ſuum, harum ope et adiumento indigeant, lucri, fauoris vel gratiae aura ingenia ad eas impellit. Saepe etiam inter ipſa flagitia et corruptelas inque communi artium nugatoriarum inſania et furore, principis animus honeſtae alicuius et bonae artis intelligentiam ſtudiumque, nonnunquam etiam morbum, habet. Cuius artis opera et artificia dum vndique conquirit, artifices magnis praemiis ad ſe inuitat, ingeniis, qui ſe iis ſtudiis dediderunt, fauet; interdum etiam ad reliquas artes, cum omnium earum tam artum inter ſe vinculum ſit, eius rei fructus pertinet. Verum quam breuis aeui et quam caducus eiusmodi honos et decus artium ſit, vel me tacente facile aeſtimari poteſt.

Inci-

Incidunt etiam tempora, in quibus magni et praeſtantis aliquis ingenii homo exiſtit, qui omnium aduerſitatum, impedimentorum et obſtaculorum repagulis conuulſis et perfractis, praeter omnem hominum opinionem et expectationem, artibus et litteris eum honorem, eas opportunitates et commoditates comparat, vt in ipſis illae procellis et tempeſtatibus portum ſalutis inueniſſe videri poſſint. Verum tale tempus non tam hominum ratione et conſilio prouideri, quam caſu et fortuna offerri, manifeſtis rationibus conſtat.

Eſt alia potentia et dominatio, de qua nihil dum mihi memorandum eſſe putaui, neque multa dicere attinet, nempe ſuperſtitionis, quae artes et litteras forte aliquando iuuiſſe, ſaepius plurimum ipſis obfuiſſe videri debet: verum ea res iuſtae orationis argumentum eſſe poſſit Mihi autem eſt ad finem properandum, ne et patientia veſtra, AA. abuti, et muneris mei non tam auſpicia, quam ipſa initia feciſſe videar. Pia igitur me vota ex more ſuſcipientem beneuole adhuc fauore veſtro proſequimini.

Tu itaque, Deus Optime Maxime, vnice omnis praeſtantiae et excellentiae auctor, cuius ſapientiae et bonitati, quicquid vitae humanae ratio et ſocietas boni, recti pulchrique, habet, id omne debetur; quicquid e litteris artibusque ad reſp. et ciuitates vtilitatis et iucunditatis prouenit, id omne acceptum refertur; ſi nunquam non ſanctiſſimae tuae voluntati omnes meas rationes, omnia mea conſilia et ſtudia obnoxia et deuota eſſe volui, ſi

hoc vnum a te precatus ſum, vt, quamcunque in vitae decurſu ſtationem mihi aſſignares, in ea tuenda et ſeruanda omnem fidem, diligentiam et vigilantiam praeſtarem, ne, quicquid a me ad alios vtilitatis vel fructus peruenire velles, eius vlla pars mea fraude vel culpa intercideret; nunc ita me divina tua vi confirma et ſuſtenta, vt, quod mandati muneris ratio, fides, religio a me poſtulat, ei ſumma cum diligentia et cura ſatisfaciam; nullam niſi de Academiae bono et vtilitate cogitationem ſuſcipiam, ſuſceptam exſequar, Collegas meos nunquam meam fidem, officium et beneuolentiam, florentiſſimam hanc iuuentutem nunquam operam, ſtudium, amorem meum deſiderare patiar. Tuere *Georgium* noſtrum, quem tuorum in his terris beneficiorum diſpenſatorem et arbitrum eſſe voluiſti, eique, orbe terrarum iam pacato, otii generi humano parti ac felicitatis ciuibus ſuis prouiſae, qua ei nullum amplius virtutis praemium perſolui poteſt, diuturnum ſerumque fructum concede. Tuere regiam domum, principes iuuentutis, ſpem duraturae ad nepotes felicitatis publicae. Tuere viros, qui Regi in conſilio ſunt, ſanctitate, integritate, ſapientia a te ornatiſſimos. Tuere Munchhuſium, immortali tuo beneficio huic Academiae, litteris, humanitati, artibus, datum et delectum, eiusque conſilia ita proſpera et ſecunda, vti omnia ea ſucceſſu impertire es pollicitus, quae ab humana virtute et prudentia in communem vniuerſorum ſalutem et felicitatem cogitantur et geruntur. Hanc vero Academiam, eiusque ciues vniuerſos, vrbemque ipſam, eius domicilium, omnibus rebus florentiſſimam eſſe

iube,

iube, ita que ſerua, vt omnis humanitatis, artis, diſciplinae, altrix et cuſtos ad omnem poſteritatem habeatur.

* *   * *   * *
*   *   *

Subieci proluſioni orationem hanc, tanquam argumento non admodum disiunctam; tum vero, quod illa ſenſus, quos per XX. hos annos multis in rebus ac temporibus declaraui, iam tum animo meo inſediſſe teſtatur. Ceterum etſi non pauca ſunt quae nunc diſplicent, reliqui tamen pleraque intacta, vt iudicium de me, qui tum eram, etiamnum fieri poſſit. Nimis late exſpatiatus ſum et mihi indulſi in loco de libertate, etſi ille ſatis oratorie tractatus videri poteſt; verſatus etiam ſum copioſius, quam par erat, in altero, quo libertatem per ſe ingeniis acuendis et humanitatis ſenſui excitando non ſufficere declaratum dare volebam.

ACADEMIAE GEORGIAE AVGVSTAE
PRORECTOR
IO. STEPHANVS PÜTTER D.
CVM SENATV
ANNIVERSARIA INAVGVRATIONIS SACRA
VICESIMA SEXTA
ET SIMVL
DE PACE
AVGVSTISSIMI AC POTENTISSIMI
BRITANNIARVM REGIS
GEORGII III.
SAPIENTIA ET VIRTVTE
ORBI TERRARVM REDDITA
SOLLENNES GRATVLATIONES
A. D. XVII. SEPT. CIƆIƆCCLXIII.
INDICIT

Diſputantur nonnulla de Genio Saeculi Ptolemaeorum

Diem indicimus, Ciues, in a. d. XVII. Sept. non vulgari religione celebrandum, et laetitiae hilaritatisque publicae cauſſis grauiſſimis cumulatum; altera quidem, quae huius diei tanquam propria eſt, cum in eo annus XXVI. exeat, ex quo Academia haec feliciſſimis ſub auſpiciis incunabula ſua habuit, atque indies laetioribus et amplioribus incrementis auctibusque effloruit; altera, quam ille quidem dies tanquam peregrinum cultum adſciuiſſe videri poteſt, quo tamen iure ſuo et merito ſeſe effert et ſuperbit, quod

quod cum anniuerſariis illis votis vota et gratulationes publicae de feliciter conſtituta et confirmata pace coniunctae erunt. Ab inſtaurata enim pace hoc anniuerſarium ſollenne primum redit, quod, reddito Muſis cum tranquillitate publica iucundiſſimo otio, concelebrabimus; cum adhuc ſuperiore anno exeunte, quamuis iam tum liberata ab hoſtili vi et imperio ciuitate, ac dulciſſima pacis ſpe primo quaſi diluculo illuceſcente, inter vicina tamen arma metusque incertorum belli, noua nobis vota ſuſcipienda eſſent. Quid itaque ad huius diei celebritatem conuenientius, aut cum re coniunctius videri poterat, quam, quas grauibus de cauſſis differendas et in commodum tempus reſeruandas iudicaueramus, vt eae gratulationes et ſupplicationes ſollennes propter pacem orbi terrarum redditam, in eum diem conferrentur, quem Academiae noſtrae longe laetiſſimum et omnium maxime ſollennem exiſtimare debemus! quandoquidem nihil ſollennius, nihil religioſius eſſe poteſt eo die, cui ſuum quisque ortum debet, aut a quo cariſſimorum natales numerat. Gratulamur itaque lucem feſtam redeuntem, qua aetati noſtrae annum vnum integrum appendimus. Computant autem et res et opera humana aeuum ſuum, et aetatis ſpatia flexusque numerant: quare ſi cuiusquam rei ſeu voluptate ſeu caritate eximie ducimur, non minus eius duratione et perennitate laetamur, annorumque vertentium acceſſiones inter laeta et fauſta referimus. Gratulabunda itaque commemorabit hoc die Academia noſtra natales ſuos fauſtiſſimis pacis ſub auſpiciis redeuntes; recenſebit gratiſſima recordatione tum ſingula ab omni memoria in ſe collata

bene-

beneficia, tum inprimis ſingularia et admiranda providentiae tutelaeque diuinae, ac curae et beneuolentiae humanae experimenta, quae per ea ipſa tempora habuit, in quibus, cum grauiſſima quaeque et atrociſſima, vt belli caſus ferunt, metuenda ſibi eſſent, mitiorem etiam, quam aliae ciuitates et academiae, fortunam experta eſt. Quae praeclara et inuidenda noſtra felicitas cum, ſecundum almam numinis O. M. ſummi rerum et curarum humanarum arbitri, providentiam, primum Coelitibus iam adſcripti Regis Auguſtiſſimi, huius Academiae Conditoris et Parentis indulgentiſſimi, immortalibus beneficiis et de noſtra ſalute paternis curis; deinde GEORGII III. generis humani Pacatoris, in paternas curas ſuccedentis, magnanimitati et clementiae; denique Conſilii Regis in his terris ſanctioris, et Curatoris noſtri Illuſtriſſimi, pro noſtra ſalute et dignitate et ſplendore, animo et conſilio et labore, excubantis, ſapientiae et ſollicitudini debeatur; aliae ne, ſiue ad gratias ſummo numini, eiusque in his terris vicariis ac miniſtris, clementia et beneuolentia diuinam eius naturam aemulantibus, pie habendas, ſiue ad congratulationem et laetitiam, cauſſae grauiores expectari aut memorari poſſunt? Adeſte igitur, *Ciues*, ceterique *Fautores*, diem celebramus, qualem noſtra Academia neque vidit *), et, ne vnquam iterum videat, pie precamur.

Cum autem fas ſit bonis vtique verbis bonum diem celebrare, quicquid vero aliquam ſiue vtilitatem

*) Nota formula, qua Ludi Saeculares olim per praeconem indicebantur. v. Zoſim. II, 5.

tem ſiue voluptatem honeſtam et eruditam habere poteſt, inter bona verba, ingeniorum liberalium iudicio, numerandum ſit; nos quidem diem hunc indicentes, ſi non auctario et corollario aliquo laetitiam publicam cumulamus, non tamen aſymboli abire et, veſtrae doctrinae copiis ne minima quidem acceſſione facta, plane ieiuni diſcedere ſuſtinebimus; agemus itaque, quantum huius libelli anguſtiae capiunt, paucis, et ſummis tantum rerum capitibus delibatis, de re, tum omnino, propter argumenti rationem, cognitu non iniucunda, nec inutili, tum ab academicis rationibus minime ſeiuncta; de *genio ſaeculi Ptolemaeorum*, h. e. de ingenio eius aetatis, de ſtudiorum, quae tum potiſſimum viguerunt, genere et ratione, et ingeniorum natura ac peculiari charactere, cauſſisque quae quidem harum rerum probabiles afferri poſſunt.

Cum, bellis ab Alexandri Macedonis morte civilibus exortis, in communi prouinciarum et terrarum vaſtatione et vexatione, litterarum ſtudia vehementer afflicta eſſent, vt et, omnis eorum dignitas et celebritas ne extingueretur, metuendum eſſet, tutum et auguſtum praeſidium ac receptaculum iis diuina ſapientia in Ptolemaeorum regia prouiderat; quorum quidem exemplo patuit, quantum, ad addendam litteris ſummam celebritatem, vna regum voluntas valeat, modo aliae opportunitates nec omnino deſint. Erant eae vero praeclarae in Aegypto ſiue a natura obiectae, ſiue regum cura paratae, et in his Alexandria, vrbs bonarum rerum copia florentiſſima, totius terrarum orbis commune

quaſi

quaſi forum, cum in confiniis omnium gentium poſita vtriusque orbis commercia miſceret, et omnium prouinciarum negotia, ſiue maritima ſiue continentis, vna vrbs conficeret; quibus rebus, vt ſumma doctrinas litterasque communicandi opportunitas, cultus vitae humanior, elegantiae ſtudium communius, ingeniorum quaedam maior mobilitas, ſollertia et ornatus, exiſteret, neceſſe erat. Sed ex eadem illa vrbis fortuna aliqua non dico labes, ſed color quidam ingeniis aſperſus eſt, non quidem ille ingratus et inſuauis, ſed quodammodo dilutus et tenuis, quaeſitus tamen et operoſe arceſſitus, nec germanam Graeciam referens, neque Attica venuſtate et elegantia aut ſubtilitate imbutus, quae etiam tum, cum ab Academicis et Peripateticis diu ſuſtentata ingenuae elegantiae diſciplina *) inclinaret, ingenia Attica acuebat, et omnino philoſophorum, ſophiſtarum ac rhetorum ſcripta poliebat. Habent tamen ſcriptores, et inprimis poetae, Alexandrini, antiqui quidem illi, ſuam elegantiam, amoenitatem, et amabilem ſimplicitatem quandam, non horridam illam et incultam, ſed mundam et politam, eoque magis notabilem, quo obſcuriorem eos diligentiam in aliis rebus poſuiſſe apparet, ſed communem tamen cum omnis iſtius ſaeculi vitae elegantia. Miramur adeo in iis et laudamus orationem terſam, nitidam, puram et elegantem. Sed, primum, omnia fere eius aetatis ingenia argumentum tenue et ſubtile ſectari videas; nihil in iis celſum, generoſum et ſublime, nulla audacia; diuino illo impetu et furore

*) v. Cic. de Fin. V, 3.

rore abripi ſe non facile patiuntur; vt Democriti, omnia ingenio tribuentis, iudicio *) nihil ipſi tribuiſſe videantur. Legere littus, radere humum pennis dixeris, non facile alto ſe committere, aut ſublime ferri. Verum, vti a magnorum et nobilium ingeniorum vitiis fere tuti ſunt, et, dum erroris opportunitates vitant, labeculis illis honeſtis carent, quibus, modo coniunctas cum iis virtutes aſſequare, carere nolis, ita, quod Longinus de toto hoc ſcriptionis genere acute notauit **), ad memorabilem aliquam praeſtantiam non aſſurgunt, nec magnam ac praeclaram laudem aſſequuntur. Nam neque nobili argumento, nec magnis ſententiis, nec ſplendidis figuris ac luminibus, aut grandibus imaginibus et viuidis coloribus oculos animumque praeſtringunt, ſed vnam hoc in genere ſibi laudem vindicant, vt, quod idem Longinus de Eratoſthene iudicat, *per omnia inculpati* ***), *nulli lapſui obnoxii* ****), et *aequali quadam mediocritate non ſint contemnendi* *****). Nullus itaque vehementior impetus, quo animus legentis iucunde impellatur ac perturbetur, nulla inuentorum fecunditas, aut ſententiarum copia, aut numeroſa oratio, quae omnia a diuino illo ſpiritu incaleſcentibus adeſſe ſolent. Limpidos et amoenos riuulos per prata properare videas, non magnum ac vaſtum flu-

men

*) Horat. Art. 297.

**) Sect. 33.

***) διὰ πάντων ἀμώμητον. ibid.

****) ἄπτωτος. ibid.

*****) Quinct. Inſt. X, 1. 54. contra quod Rhetoris iudicium tamen eſt, quod moneri poſſit.

men deuolui. Quare, ſi qui inſigniorem aliquam laudem conſequuti ſunt, verſantur ii fere in genere tenui et ſubtili. Quae enim alia Theocriti, qui, quod ſibi precabatur, vt Charitum indiſſolubili vinculo adſtrictus viveret *), magna felicitate conſequutus eſt, aut Bionis et Moſchi, elegantiſſimorum hominum, laus eſt? Callimachus, quod nomen habet, id fere elegis debere videtur; nam in ſumma doctrina et arte ingenium quidem ei defuiſſe, niſi res loqueretur, non obſcure veteres ſignificant **). Cogitate vobiscum argumenta ſcriptorum Nicandri et Arati, aut fragmenta Eratoſthenis, quorum omnis ars in didactico genere verſatur. Qui vero ſpiritus ſumere et ad heroici carminis gloriam adſpirare auſus eſt, Apollonius Rhodius, politus, venuſtus, eruditus, ornatus poeta, in operis ſumma, eiusque inuentione et ad epici carminis rationes diſpoſitione, minus felix fuiſſe deprehenditur. Sed quae eius ſaeculi multo etiam interior et notabilior indoles eſt, mirum aliquod multae et variae doctrinae, et inprimis fabulae atque hiſtoriae antiquae ſtudium omnia ingenia occupauiſſe videas, quod etiam inepte oſtentare, eiusque laudem intempeſtiue captare dicas. Curioſi eſſe malunt, quam ingenioſi; Quae res in ipſis poetis adeo obuia eſt, maxime in Callimacho et in Apollonio Rhodio. Itaque argumenta etiam operum ex antiquis fere fabulis, aut ex ſubtili diſciplina, ex aſtronomicis, phyſicis, geographicis et apoteleſmaticis, eos petere, tum ex iis, quae adhuc

*) Idyll. XVI. extr.
**) Ouid. I. Am. XV, 14. Lucian. de conſcrib. hiſt. §. 57. loco valde notabili.

adhuc extant, tum multo magis ex deperditorum librorum indicibus apud Fabricium, Voſſium, Jonſium, Meurſium, cognoſcas. Quid? quod omnes fere illius ſaeculi homines ingenioſi et poetae varia et copioſa doctrina nobiles fuere, qua ingenium non tam ali quam obrui neceſſe erat. Nullus ex iis nomen habet, qui non et poeta, et grammaticus, et philoſophus et mathematicus praeclarus haberetur. Eratoſthenes vero vnus omnium diſciplinarum bibliotheca videri poterat. Itaque ex vniuerſis eruditiorum gregibus nulla familia numeroſior fuit, quam grammaticorum, quae etiam inſequentibus temporibus omnes propemodum Alexandriae ſcholas occupaſſe videtur. Noti Zenodoti, Ariſtarchi, Ariſtophanes, Didymi. His Alexandrinis grammaticis emendatiores, quas habemus, Homeri recenſiones, his, quicquid bonae frugis in Homeri aliorumque poetarum commentatoribus antiquis latet, his omnino graecae linguae accuratam rationem debemus. Inceſſit, cum hoc antiquae hiſtoriae et fabularum amore, omnino res nouas, mirabiles et peregrinas cognoſcendi et tradendi ſtudium; itaque ipſos hiſtoricos, quanquam ii fere omnes interciderunt, aut antiquas fabulas et vrbium ac populorum origines, aut res admirandas, etiam hiſtoriam naturalem cum tradere vellent, aut Indica, Parthica, Scythica et eiusmodi alia compoſuiſſe et commemoraſſe legimus. Ex eo tempore peregrinationum et nauigationis ſtudium increbuit; vnde tot Indicarum rerum ſcriptores, tot Peripli, et terrarum deſcriptiones prouenerunt, omninoque geographiae cognitio inclaruit. Iam in ceteris diſciplinarum doctrinis, non minus

ſingularis aliqua ingeniorum facies et indoles non obſcure elucefcit. Philoſophiae certe ſtudia tum ex mythica totius orientis philoſophandi ratione, tum ex Aegyptiaca antiquitate et Alexandrinorum hominum leuitate plurimum traxere. Verum neque in haec, neque in cauſſas harum rerum inquirere nunc vacat, quas in natura ingenii humani, quod ipſa expolitione et humanitatis cultu atteritur, et aſperitate deterſa robur, ſimplicitate detracta natiuam vim amittit; in copioſae vagaeque doctrinae incommodis, eaque noxa, quam litterarum multarum copia ingeniis omni tempore intulit; in otioſa et ab omni reip. tractatione excluſa eruditorum vita, tum in ipſa regum munificentia, in praemiis litterarum ſtudiis propoſitis, Muſei conuictu, bibliothecae opulentia, certaminum inter poetas et rhetores lege, in vrbis frequentia, inter commercantium auaritiam et aulicorum vanitatem ad inania ſtudia abreptis animis; in ipſo Alexandrinorum ingenio vano et leui, etiam in indigenarum Aegypti, ex longa ſeruitute eiusque comite perpetua, ſuperſtitione, contracta imbecillitate facile reperiremus, ſi nunc indagare eas liceret. Sed haec, quanquam in maxima argumenti copia, ſufficiant. Vos autem, Ciues, in ea tempora ſeruatos vos eſſe laetamini, in quibus Regum Ptolemaeis illis ſimillimorum munificentia omnium diſciplinarum ſcholas vobis aperuit, viros, quales olim in Muſei conuictum illi adſcribere optauiſſent, omnigena doctrina inſignes, in hanc Academiam congregauit, bibliothecam ornatiſſimam veſtris uſibus liberaliſſime comparauit, eumque Virum ſummum et immortalem harum rerum Curatorem eſſe voluit, qualem ipſe ille

Ptole-

Ptolemaeorum inauditus litterarum et artium amor, earumque ornandarum ſtudium, fruſtra in humano genere ſibi dari exoptauit. Gratias itaque nobiscum Deo O. M. agite et, vt vobis tantorum beneficiorum fructum perpetuum et conſtantem eſſe iubeat, precamini. Quod vt ſollennius fiat, cras ab hora inde X. concione habita praeibit verba Profeſſor Eloq. oratione publice recitanda *), et pro Rege, pro domo Regia, pro Conſilio Regis ſanctiore, pro Curatore noſtro, pro patriae noſtrae et huius Academiae ſalute et otio ac tranquillitate, publico nomine pia vota ſuſcipiet. Conferentur porro ab inclito Medicorum ordine honores ſummi academici candidatis nonnullis digniſſimis **). Cui panegyri S. R. I. Illuſtriſſimi Comites, generoſi, auorum claro nomine, ac virtute doctrinaeque ſtudiis nobiliſſimi Commilitones, vt volentes, fauentes, intereſſe, et vel ipſo conſpectu veſtro ſiue praeſentis aeui felicitatem, ſiue futurae noſtrae felicitatis bonum omen exhibere velitis, rogamus humaniſſime, paterna pietate admonemus. P. P. a. d. XVI. Sept. cIↃIↃccLXIII.

* * * * * *
* * *

Etſi argumentum huius ſcriptionis, vt pro dignitate et grauitate ſatis accurate explicetur, libri molem ſibi poſtulat, quem vtinam alius otio et litterarum copiis me inſtructior aliquando abſoluat! adiiciam tamen nonnulla, quae pro commentario eorum, quae a me ſummatim et ſtrictim memorata ſunt, haberi poſſunt.

 Iu-

*) *Oratio de Pace* excuſa prelo eod. a.

**) Fr. Iac. *Feiſe*, Luneburg. Iuſt. H. *Heckenberg* Brunſv. Wolf. Marc. F. *Hargens*, Holſat. Iuſt. I. H. *Ribock*, Luneb.

Iucunda eſt ad animum cogitatio, quae cum generis humani, tum inprimis litterarum facies et conditio fuiſſet, ſi Alexander regnum Aſiae per XXX. aut XXXX. annorum decurſum rebus pacatis tenuiſſet; ipſe litterarum ſtudiis tam praeclare imbutus, eo quidem praeceptore, quo diuinius ingenium natura aliud vix vidit, quique philoſophiae ſtudium ad naturam ex ſe ipſa eruendam et cognoſcendam reuocavit; populorum naturas, mores, leges et inſtituta indagauit: hoc viro eiusque familiaribus auctoribus, quae litterarum incrementa, quas copias et opes, proventuras fuiſſe putabimus, ſi in iis orientis populis, qui ſapientiae ſtudiis celebrabantur, Graeci philoſophi otium litterarium perſequi potuiſſent! naturae ſtudium quam materiem, quantas opes, ex tam diuerſis terrarum plagis nacturum fuiſſet! religionum commerciis inter Orientem et Occidentem iunctis, quae tandem generis humani de rebus diuinis perſuaſio animis inſidere debuiſſet! Verum diuinae providentiae aliter placuit, cui in rebus humanis eae fere rationes probantur, quae a noſtrae intelligentiae calculis alieniſſimae ſunt, maxime tum, cum de generis humani felicitate ex litterarum augmentis et acceſſionibus agitur; ſedulo enim id ipſum prouiſum eſſe dixeris, vt ne ſapientia humana aut numeros ſuos expleat et in eum locum euehatur, in quem reponi poſſe illam probabile ſit, aut vt tam altas radices agat et fructus tam late quam quo peruenire illi poſſint diſſeminet. Mors Alexandri immatura, bella inde orta ciuilia, extremi orientis defectio, prouinciarum vexationes, direptiones vrbium, populorum incerta fortuna, inde regum modo inertia et luxus

modo auaritia et immanitas ſpes laetiſſimas praecidit. Subnata tamen hinc eſt ſeges etſi alia ac diuerſa, tamen ad omnem generis humani poſteritatem frugum ditiſſima; primo quidem ſermonis Graeci et litterarum commercia illa, quibus Chriſtianae religioni ex Palaeſtina progreſſae via praeclare fuit praemunita, id quod a doctiſſimis theologis admodum probabiliter eſt diſputatum; tum vero litterarum ex reliquis Aſiae partibus exulantium confugium et portus Alexandria; vnde, Ptolemaeo Phyſcone in eas ſaeuiente, fugatae, iterum in inſulas et Graeciam receptae, vetus hoſpitium recuperarunt *); dum interea Pergamus

*) Athen. IV. extr. p. 184. B. Οὐ γὰρ οἶδας ἱστοροῦντα Μενεκλέα τὸν Βαρκαῖον, (cuius συναγωγὴν laudat lib. IX. p. 390. B.) συγγραφέα, ἔτι δὲ Ἄνδρωνα ἐν τοῖς χρονικοῖς τὸν Ἀλεξανδρέα, ὅτι οἱ Ἀλεξανδρεῖς εἰσιν οἱ παιδεύσαντες πάντας τοὺς Ἕλληνας καὶ τοὺς βαρβάρους, ἐκλειπούσης ἤδη τῆς ἐγκυκλίου παιδείας, διὰ τὰς γενομένας συνεχεῖς κινήσεις ἐν τοῖς κατὰ τοὺς Ἀλεξάνδρου διαδόχους; ἐγένετο οὖν ἀνανέωσις πάλιν παιδείας ἁπάσης κατὰ τὸν ἕβδομον βασιλεύσαντα Αἰγύπτου Πτολεμαῖον, τὸν κυρίως ὑπὸ τῶν Ἀλεξανδρέων καλούμενον κακεργέτην. Οὗτος γὰρ πολλοὺς τῶν Ἀλεξανδρέων ἀποσφάξας, οὐκ ὀλίγους δὲ καὶ φυγαδεύσας τῶν κατὰ τὸν ἀδελφὸν αὐτοῦ ἐφηβησάντων, (h. συνεφηβήσαντας τῷ ἀδελφῷ, cum ipſo nutritos) ἐποίησε πλήρεις τάς τε νήσους καὶ πόλεις ἀνδρῶν γραμματικῶν, φιλοσόφων, γεωμετρῶν, μουσικῶν, ζωγράφων, παιδοτριβῶν τε καὶ ἰατρῶν, καὶ ἄλλων πολλῶν τεχνιτῶν, οἳ διὰ τὸ πένεσθαι διδάσκοντες ἃ ἠπίσταντο, πολλοὺς κατεσκεύασαν ἄνδρας ἐλλογίμους. Locus claſſicus et vnicus, qui exemplo eſſe poteſt, ex iis ipſis aetatibus, quae ſcriptorum diligentia celebratae ſunt, multas res nos ignorare poſſe ad populorum fortunam vel maxime memorabiles. Habet Phyſconis ſtulta crudelitas ſimilitudinem aliquam cum expulſis a Ludovico XIV. Caluini aſſeclis ſublato edicto Namnetenſi. Referenda autem res in annum regni nonum Ol. 160, 4, ante C. N. 135. Rex alioquin erat litteris praeclare imbu-

gamus noua iis praeſidia paraſſet. Ita per plures terras ſparſae mox inter bellorum a Romanis illatorum furores non omnes litterae interiere.

Inter haec litterarum ſtudiis in Aegyptum immigrantibus et ſedem primariam nactis Alexandriae, accidit vt ab eo inde tempore Graecis litteris, religionibus et philoſophiae, adſpergeretur labes aliqua ex Orientis genio et ex Aegyptiacis maxime ſuperſtitionibus, quae tandem omnem Graecam litteraturam, etiam extra Aegypti fines, tanquam contagio aliquo peruaſit, maxime poſtquam exhauſta opibus virisque Graecia cum ipſis Athenis defecerat; nam ad illud tempus elegantia aliqua ſermonis et doctrinae apud Atticos remanſit, et, licet oratorum et philoſophorum ſtudia ad ſophiſtarum argutias abiiſſent, ab Academicis tamen et Peripateticis cum ingenii tum doctrinae et ſermonis Attici color aliquis transmiſſus *) non omnino penitus euanuit.

Litterarum quidem ſtudia in Alexandriam primus ſtatim regni conditor, Ptolemaeus Lagi, intulit, in quo quid ille ſequutus ſit, etſi a ſcriptore traditum non memini, probabile tamen ſit, cum *colonia militaris* eſſet noua vrbs, litterarum humanitate eum ingenia mollire voluiſſe. Erat ſane et in ipſo re-

imbutus, Ariſtarchi diſciplina vſus, et Commentariorum libros XXIV. reliquerat (ὑπομνημάτων, vt ap. Athen. XIV, 20. p. 654. B. D. XII, p. 549. F. XIII, 576. F. II, 71. B. Verſum Homeri ab eo emendatum vid. ibid. II, p. 61. C.) Idem mox edicto inuitauit peregrinos vt Alexandriam habitatum venirent. Iuſtin. XXXVIII, 8, 7.

*) cf. Cic. de Fin. V, 3. Hoc eſt, quod noſtrates ſolent eloqui: *bonus guſtus non prorſus apud eos interiit.*

rege litterarum et artium amor; nam et Alexandri vitam perſcripſit, quam Arrianus adhuc legerat, et philoſophos ad ſe vocauerat Stilponem Megarenſem, Stratonem Peripateticum, Theodorum Atheum, Diodorum Cronum *). Philadelphi nomen tam clarum eſt, vt de eo quidquam addere ſuperſedeam; magiſtros habuerat Stratonem modo laudatum, Theophraſti diſcipulum, et Philetam Coum grammaticum et poetam. Euergetes, peragrata victore exercitu Aſia, reportatisque inde vaſis pretioſis ſtatuisque, tum regionibus ad mare rubrum ſubactis, regni fines protulerat. In tanto regum, qui ſequuti ſunt, luxu, profligatis aulicorum moribus, bellis ciuilibus et externis, opulentum tamen rerum ſtatum incolentiumque multitudinem mirabantur Romanorum legati Phyſconis tempore miſſi **). Qua in re etſi vix credere licet, amorem illum et ſtudium litterarum per tot regum ſucceſſiones, quam vulgo putant, tam valde caluiſſe; aut aulicorum iudicia de litteris et eruditis viris fuiſſe valde diuerſa a leuitate vel arrogantia noſtrorum hominum ***); opportunitatem

F 5 tamen

*) Stilponem vocatum non veniſſe narrat Diog. Laert II, 115. De Stratone id. V, 58. de Theodoro II, 101. de Diodoro II, 111. vnde etiam diſcimus Ptolemaeum philoſophos apud ſe habuiſſe eosque differentes audiiſſe, quaeſtionibus propoſitis: quemadmodum Diodorum, cui nomen Croni h. fatui impoſuit, quod interrogatus confeſtim reſpondere non poſſet.

**) ap. Diodor. Exc. Legat. n. 32. ante C. N. 133.

***) Reges ipſos interdum ilocaliter potius luſiſſe litteratos homines et riſum ex eorum ſubtili diſputatione quam doctrinae fructus inde ſibi quaeſiuiſſe videas. Exemplo ſunt dicteria in Diodorum Cronum ap. Diog. l. l. in Soſibium λυτικὸν Athen. XI, 12 iacta.

tamen litterarum ſtudiis facere debuit Muſeum et Bibliotheca, tum ipſa vrbis frequentia, commeantium et nauigantium vtilitas.

Cum ex reliquis litteris politiorum litterarum et artium ſtudia ea fuerint, quae primo in Aegyptum cum Ptolemaeo Lagi immigrauerint, age initium faciamus ab his. Atque hic ſtatim incidimus in rerum conditionem valde memorabilem, quae ad litterarum faciem immutandam vim magnam habuit: *Oratorum ſtudia* iam illo tempore in ipſa Graecia *ſophiſtarum et rhetorum artibus* ceſſerant: qua vna rerum viciſſitudine dici non poteſt quanta conuerſio neceſſario facta ſit. Oratorum enim ſtudia cum republica adminiſtranda, rebus agendis, cauſſarum veritate erant coniuncta; ingenia itaque iis maxime litteris imbuebantur, quae copiis idoneis illa inſtruerent, et quarum vſus ad vitam eſſe poſſet; animisque in hunc modum imbutis et informatis, quicquid ſcriberent ac dicerent homines, ad vtilitatem vitae referebant. A Sophiſtis a rerum actu et a rep. ad vmbram et otium omnia ſtudia ſunt reuocata: ad notionum verborumque ſubtilitates migrauit philoſophia; hiſtoria autem vitae magiſtra in rhetoricis areolis ſe iactauit, et delectationem ſcribendi finem conſtituit, hancque ipſam non in grauitate rerum et vtilitate, ſed in rerum figmentis oratoriaque exornatione collocauit. A corruptis his litteris, dum partim ad otioſas ſubtilitates et ad perditam licentiam ſpectant, partim animi corporisque vires frangunt, ea mala ſubſequi ſolent, quae iure dubitationem facere poſſunt, annon barbaries et ignoratio litterarum iis praeferenda ſit. Iam in regno

et

et aula nemo facile expectet, vt oratorum libertas multum ſe probare poſſit. Sophiſtarum ſtudia an Ptolemaeis ſtatim prioribus probata fuerint, cum ex iis ſaeculis nihil, quod id arguat, ad nos peruenerit, aſſeuerari nequit. *) Demetrius quidem Phalereus, qui Athenis profectus in aula Ptolemaei Lagi vixit, et a nonnullis Muſeo et Bibliothecae praefuiſſe memoratur, eruditiſſimus ille quidem, orator habitus eſt *remiſſior et mollior, non tam armis inſtitutus quam palaeſtra - hic primus inflexit orationem et eam mollem teneramque reddidit, et ſuauis, ſicut fuit, videri maluit quam grauis, ſed ſuauitate ea, qua perfunderet animos, non qua perſtringeret***). Huius hominis auctoritas Alexandriae ſatis valere debuit, vt ab antiquo orationis colore paſſim deſciſcerent.

Serioribus annis Sophiſtarum ſcholae Alexandriae floruere, e quibus ingenii ſuauitate et doctrinae elegantia inſignes homines prodiere numero plures; manſitque celebritas ac fama iis ſcholis per plura ſaecula, cum iam diuinior Chriſti diſciplina in iis terris inualuiſſet, vt etiam doctiſſimi patrum eccleſiae doctrinae ſuae copias inde hauſerint. Nam Clementem Alexandrinum, Origenem, Athanaſium, Ammonium, multos alios eius diſciplinae alumnos fuiſſe conſtat. Inter Sophiſtas vero cum alii tum Polemo ab Imp. Adriano Muſei Alexandrini collegio fuit

*) At Philoſtratus memoratur Aegyptius, Cleopatrae reginae συμφιλοσοφήσας καὶ σοφιστὴς προσρηθεὶς, ap. Philoſtr. de Vit. Soph. I, 7. Plutarch. in M. Anton. p. 953.

**) Cic. Brut. de Or. II, 23. Or. 27. Off. I, 1. Quinctil. Inſt. X. prooem. 80.

fuit adſcriptus *): Eadem ex ſchola prodiit Ariſtides, doctus et venuſtus Sophiſta. Omnino Adriani ſaeculo Sophiſtarum ſtudia inprimis floruere: haud dubie imperatoris in ea ſtudio excitata. Subtilitatem enim in litteris ille venabatur, Sophiſtisque fauebat adeo, vt, cum Alexandriae eſſet, Muſeum ingreſſus cum iis diſputaſſe memoretur **).

Poeſis nihil ab Aegyptiis mutuari potuit; quandoquidem ea gens nullam omnino poeſin habuiſſe videtur: neque enim carmina omnino memorantur metro concepta ***), et apud Dionem (Or. XI, p. 162. D) ſacerdos diſerte affirmat; *apud Aegyptios non licere quicquam verſu efferre, neque vniuerſe vllam eſſe poeſin;* etſi cauſſae parum tribuo, quam ille affert, noſſe enim eos, voluptatis delinimentum illam eſſe ad audientes. Quae de *poetis* a me in proluſione dicta ſunt, conueniunt fere cum virorum dictorum iudiciis quae paſſim habentur. Ingenium elegans, amoenum, cultum in iis, quorum carmina habemus, facile agnoſcas, ſed neque inueniendo, quae poetices ſumma eſt, felix, nec ſublime, celſum, elatum. At dulcedinem habet oratio terſa, nitida, caſta, et in primis aetatibus natiua ſimplicitate aliqua ſe commendans; mirationem autem facit ingens doctrinae copia, ma-

*) Philoſtr. in ei. Vita. 3.

**) Spartian. c. 20.

***) Res valde memorabilis, quaeque ad Aegyptiorum ingenia haud exigui momenti eſſe debuit. Apud Eunap. quidem in Proaereſio p. 167. Aegyptii poetices ſtudio mirum in modum dediti dicuntur: τὸ δὲ ἔθνος ἐπὶ ποιητικῇ μεν σφόδρα μαίνονται. At vero hoc ad multo diverſa tempora et ab iſtis valde remota ſpectat.

magnum ſtudium fabularum et hiſtoriae antiquae, interdum nec ab oſtentationis reprehenſione vacuum: Quod neminem fugere poteſt, qui vel hymnos Callimachi vel indicem fragmentorum inſpexerit. Notum eſt de eodem iudicium Ovidii *), quod, probabile ſit, non ab ipſo profectum, ſed ab aliis mutuatum; nam non adeo praecellebat proprio aliquo acumine Naſo. Hac eadem aetate vixere, etſi inter Alexandrinos non referendi, colore tamen ac ſpecie ſimiles, *Nicander* et *Aratus*, carmine didactico vterque nomen conſequuti, dignus vterque qui ſuos interpretes inter noſtrae aetatis viros doctos tandem aliquando nanciſcatur; ſimplicitate, puritate, elegantia, fabularum ſuauitate quem cum iis compares vix reperias. Nec tamen multo altius aſſurgere potuit, qui argumentum operis tale ſibi ſumſerat, vt ſpirare paullo acrius et ferri ſublimius poſſet, *Apollonius Rhodius*, Argonautico-

*) Ouid. I Am. 15, 14. *Battiades ſemper toto cantabitur orbe, quamis ingenio non valet, arte valet.* Ad doctrinae copiam, qua expromenda indulgebat ſibi Callimachus, refero iudicium Luciani de conſcr. hiſt. ſ. 57. Homerus Tityum, Ixionem, leuiter praeſtringit, εἰ δὲ Παρθένιος ἢ Εὐφορίων ἢ Καλλίμαχος ἔλεγε, πόσοις ἂν οἴει τὸ ὕδωρ ἄχρι πρὸς τὸ χεῖλος τοῦ Ταντάλου ἤγαγεν; εἶτα πόσοις ἂν Ἰξίονα ἐκύλισε; Luciani verba fruſtra in alium ſenſum detorquent nonnulli eius et Callimachi interpretes; nos ſi Hecalen, Αἴτια et alia eius ſcripta haberemus, de veterum iudiicis vix dubitaremus. Quae vero ab aliis Callimacho tribuitur *ſubtilitas et tenuitas*, non in reprehenſione, ſed in laude habenda eſſe videtur; quia pro argumenti et materiae ratione vſus eſt tenui nec inflato carmine. v. Propert. II, I, 40. II, 34, 32. III, 1, 1. vbi v. Intpp. quemadmodum λεπτότης Arato, etiam in nobili Ptolemaei regis epigrammate et in altero Callimachi, quod egregie Excurſu ſuo illuſtrauit b. Erneſt. p. 333.

ticorum ſcriptor, doctiſſimus poeta, politus, venuſtus, ornatus, ſed, ex veterum iam Grammaticorum nota cenſura *), *aequali quadam mediocritate* laudandus; in ſumma tamen operis hactenus infelix, quod argumentum ſumſerat ingratum et malignum, temporum tamen genio accommodatum in hoc, quod fabulis exponendis et ſuauiter enarrandis locum faceret. *Lycophron*, qui hos anteceſſerat, dum Genio ſaeculi litabat, totum ſe fabularum pelago immerſit, argumento ſumto in Alexandra, quod omnes a clade inde Troiana hiſtorias exponendi facultatem ſuppeditaret; cumque a Caſſandra vaticinante carmen expromeretur, obſcuranda erat narratio ſeu figurarum et troporum inuolucris ſeu breuitate **). Verum de poetis his iudicandi licentiam nemo ſibi arroget, qui ea tantum, quae ad noſtra tempora ſeruata ſunt, ſcripta inſpexerit; fragmenta expendenda ſunt et tituli amiſſorum operum numero et recenſu haud paullo numeroſiorum: quibus perlectis demum intelligitur, quae

*) Quinctil. I, 1, 54. Longin ſ. 33. ἄπτωτος quod in tenui carmine aequalitatem ſeruauit, nec loca inflatiore ſpiritu elaborata intexendo reliquae orationis nitorem offuſcauit. Sunt tamen in eo loci, qui tanquam lumina reliquum carmen diſtinguunt, adeo pulcri, ingenioſi, inſignes, vt cum pulcherrimis aliorum comparari poſſint. Operam itaque in poliendo et emendando ſuo carmine collocare debuit longe maximam, vt vere adeo de eo narratum ſit, quod aiunt, cum iuueniliter effuſum carmen cum ſibilo exceptum eſſet, eum Rhodum ſeceſſiſſe ibique illud ita expoliiſſe, vt meliore cum fortuna iterum in certamen deſcenderet.

**) Simili obſcuritate ex nimia doctrina laboraſſe videntur Callimachi Αἴτια et Euphorionis σύμμικτα vnde et γυμνάσιον ἐς ἐξήγησιν γραμματικῶν ἔκκειται ἅπασιν. Clem. Alex.

quae illa aetate ſcripta fuerint carmina, eruditi pleraque et exquiſiti argumenti fuiſſe. De *Manethone* difficile eſt pronuntiare: cum non ſatis probabilis, ſaltem controuerſa, res ſit, an carmen apoteleſmaticum, h. e. de viribus et effectis aſtrorum, recte eius nomine inſcribatur *). Verſati tamen ſunt in eodem tenui

Alex. Strom. V, p. p. 676. *Pott.* In eundem cenſum Ibin Callimachi referas, quod vel ex Ouidii Ibide imitatione expreſſo intelligas.

*) Carmen hoc Manethonis nomen rectene an falſo prae ſe ferat, pronuntiare equidem non auſim, cum ad dubitandum quidem ſatis idonea, ad affirmandum vel negandum non grauia ſatis argumenta ad manum ſint. Laborat carmen vitiis foediſſimis: quorum tam magnam partem eluit Doruillius ad Charitonem, vt, niſi noua nunc recenſio ad eius caſtigationem facta fuerit, omne de eo iudicium turbari neceſſe ſit. Praeterea interpolatio totum carmen non minus, quam Manilium, occupauit; ita vt cum animo valde remiſſo nuper legerem, in verſus inſititios plus quam quinquagenos inciderem. Neque id mirum videri debet in carmine, ad cuius marginem homines ſuperſtitioſi aliunde obſeruata adſcriberent. Verum et loca multorum verſuum, cum prologis librorum, fraude hominis neſcio cuius aſſuta videntur; vt quae de Petoſiride narrantur. Itaque nec ſatis tuto ſtatuere licet de verſibus nonnullis, quos ad ſeriora Romanorum tempora ſpectare dixeris. Ita lib. VI, 734. 5. 6. de matheſi vetita ad Principum edicta animum reuocant. Lib. II, 228. memorantur ii, *qui in templis a populo auſcultantur*: οἳ ἐν χείλεσσιν ἑοῖσι φθέγξοντ' εἰν ἱεροῖσιν ἀκουόμενοι ὑπὸ λαῶν. Quod vix niſi Chriſtianorum aetate dictum eſſe poteſt. Carminis tamen argumentum nec ab Alexandrinorum ingeniis nec ab Ptolemaeorum aetate alienum. Sunt porro loca, v. c. de conditura corporum, quae Alexandrinum hominem arguunt: etſi alia mentiuntur antiquam auctoritatem, non produnt. Cum carmen didacticum ſit, non epicum, oratio, ſi cum Nicandro vel Arato comparetur, non adeo abhorrere dicenda eſt a ſaeculi genio, ſaltem magna

tenui genere, argumento ex diſciplinis petito, *Alexander* Aetolus, *Eratoſthenes* Cyrenaicus, *Euphorion*, atque cum his *Parthenius*, qui Auletae aetate vixit, Virgilii praeceptor, vt apud Macrobium (Sat. V, 17.) traditum *).

Tra-

magna locorum parte; librum ſextum ceteris praeferas. Videntur adeo multae multorum laciniae adſutae eſſe, et permixta deteriora melioribus. Extitere autem plura eiusdem argumenti carmina, e quibus vnum ſervatum eodem Cod. Mediceo, cui alterum illud debemus. Maximo illud vulgo tribuitur περὶ ἀπαρχῶν inſcriptum, (a Fabricio To. VIII. Bibl. Gr. inſertum) Alexandrinum tamen poetam auctorem habere iudicant viri acuti Weſſeling. Probab. c. 17. et Ruhnken. v. Virgil. T. IV. p. 236. Graecam, non barbaricam ſphaeram, proponi docuere viri docti; quo nomine Iablonſkius dubitabat, an Manetho Aegyptius auctor carminis habendus eſſet: Panth. III, 6, 1. cf. proleg. p. 67. ſq. Haec cum olim ſcripſiſſem, video nunc acutiſſimum virum, Tyrwhitt praef. ad Lithica p. XII. locis nonnullis comparatis cenſere, imperio Romano iam vergente ſcriptum eſſe carmen; nec eſſe totum ab vno eodemque auctore profectum; libros quidem I et V. a ceteris multum abhorrere.

*) *Alexandri* Aetoli praeter tragoedias fuit carmen elegiacum, Ἀπόλλων inſcriptum, quod fabulas vaticinantis ore expoſuiſſe colligo exemplo ap. Parthenium c. 14. proſtante; (alius *Apollo* fuit Simmiae Rhodii, ap. Steph. Byz. et Antonin. Lib. Metamorph. 20.) aliud *Muſarum* nomine, argumento e litterarum diſciplinis petito. *Eratoſthenes* plura ſcripſerat, inque his *Erigonen*, Longino iudice, *ſect. 33*, διὰ πάντων ἀμώμητον ποιημάτιον, nempe quod in tenui genere verſabatur, nec vt facile ingenii impetu diuino abreptus aſſurgeret ille; adeoque aequalitate probabili ſcriptum; qualis fere laus Apollonii Rhodii, quod erat ἄπτωτος c. 33, 6. Expoſita autem erat fabula Attica de Icario eiusque filia, forte cum reſpectu ad ſidus in quod illa fuit mutata (Apollod. III, 14, 7. et Not. p. 841.) etſi in Cataſteriſmis illam fabulam

Tragici et *Comici* poetae Ptolemaeorum aetate fuere multi, e quibus adeo Pleias confecta eſt, Tragicorum quidem ſatis nota illa, forte tamen et alia Comicorum, vt ex Athenaeo (XIV. p. 654.) colligas. Praeter Lycophronem tamen nullus aetatem tulit. Nec vero aut frequentia Comicorum fuit tanta, quanta Athenis his ipſis temporibus, in Comoedia noua; nec ſcenae honos Alexandriae diu perſtitit *). Nam neque ſequentibus aetatibus poetae dramatici alicuius mentio fit, et Dio (in Or. ad eos) Alexandrinos obiurgat propter ſtudium rerum friuolarum, ſcommatum ſcurrilium, cantillationis, curſus equeſtris et ſpectaculorum nouitate et ad ſenſus voluptate delinientium; Sophiſtarum tamen et poetarum declamationes memorat; vti olim a Ptolemaeis certamina poetarum et aliorum ſcriptorum inſtituta narrat Vitruuius **).

Sil-

bulam non adoptauit. Aliud fuit carmen Ἑρμῆς, hexametris conſcriptum, quod de diſciplinarum originibus egiſſe videtur, vt ex fragmentis de ſphaera et zonis colligo. Nobile eſt eius epigramma de cubi duplicatione, ad calcem Epiſtolae ad Ptolemaeum regem, ab Eutocio ſeruatum Comment. ad Archimed. de Sphaera et Cylindro ed. Baſ. 1544. p. 22. vnde verſus repetiti ſunt a Fello et retractati a V. C. Brunckio in Analect. T. I. *Euphorionis* cum multa alia, tum carmen fuit Μοψοπία ſ. ἄτακτα, h. e. fabulae ſ. hiſtoriae miſcellae: de quibus cf. ad Virgil. T. IV, p. 218. 9.

*) Nobilem Comicum, qui Alexandriae fabulas docuerit, memorat Athen. XIV. extr. Machonem Sicyonium. Fulgentius Mythol. I, p. 15. 16. ed. Munck. Comoediam et Tragoediam poſt Satyram et Epigramma inter ſtudia refert, quae Alexandriae viguerant.

**) Vitruv. praef. lib. VII. Attalicorum regum in libris comparandis ſtudio incenſum Ptolemaeum tradiderat:

itaque

Sillos, Satyrae genus, Timon Phliaſius in celebritatem adduxit Philadelphi aetate; idem comicus et philoſophus ſcepticus, qui dogmaticos ſillis ſuis caedebat*).

Si quam gloriam ſibi peculiarem habet ſaeculum Ptolemaeorum, eam in generis *bucolici* inuentione et expolitione poſitam dicam. Vixere quidem poetae iſti in Sicilia plerique, frequentatam tamen ab iis Alexandriam ſatis conſtat: in ſumma ſimplicitate mira aliqua ſuauitas, in aliis venuſtas et χάρις aulae et caeli temperatam aliquam et mixtam mollitiem ſpirat. Fuit in iis Lycidas, ſi admittendi ſunt verſus Moſchi (Id. III, 96. 7. 8.) Theocrito laudatus (Id. VII, 11. ſqq.) cum Aſclepiade Samio et Phileta (ibid. v. 40.) etſi horum maior fuit celebritas alterius ex epigrammatibus, alterius ex elegis.

Magnam poetarum in fabulis ſubtiliter explicandis collocatam fuiſſe operam et curam paullo ante dictum eſt; neque vero illa eſſe potuit ſine multa lectione et inueſtigatione veterum ſcriptorum ac poetarum, vnde eae fabulae et hiſtoriae antiquae eruerentur. Itaque illa aetate multorum ingenia exercuit polyhiſtoria aliqua, polymathia et philologia, dictique illi *Grammatici*, quorum ſtudia tum fuere valde clara,

itaque Muſis et Apollini ludos dedicauit, et quemadmodum athletarum, ſic communium ſcriptorum *victoribus praemia et honores conſtituit.* Hinc inter iudices lectos *Ariſtophanem* commemorat. Referenda adeo narratio ad tempora Epiphanis aut Euergetae. Sed de h. l. infra accuratius diſpicietur.

*) cf. ad Ammian XXII, 16.

clara, eorumque numerus ingens, nec fuit facile quisquam aut philoſophus aut mathematicus, aut alius doctus homo, qui non eſſet grammaticus: adeo multa lectio, variarumque inprimis priſcarum rerum cognitio, in laude et honore habebatur; cui rei bibliothecae Alexandrinae copiae locum et opportunitatem fecere. Itaque nec poeta tum fuit, qui non eſſet grammaticus, nonnullique vtroque nomine clariſſimi, vti *Callimachus* (cf. Strabo XVII. p. 838. (1195.) cuius operum quoque, quae periere, magna pars *) in antiquis hiſtoriis quaeſtionibusque grammaticis verſabatur. *Apollonii* Rhodii, *Arati* et *Nicandri* quam multi iique eruditi libri memorantur qui interciderunt **)! *Alexander* Aetolus poeta fuit idemque grammaticus, *Eratoſthenes* et grammaticus et poeta et philoſophus inſignis habitus eſt ***): quod quantum eum a ſolida philoſophia abduxerit, Strabo ſeuera cenſura declarat (lib. I. p. 28. et al.) Hinc fieri aliter non potuit quam vt et eſſet et diceretur *Beta*, qui omnibus in diſciplinis ſecundas teneret, cum, ſi in vna habitare maluiſſet, primas haud dubie fuiſſet adeptus. Ingens ſcriptorum ab eo numerus editur argumenti grammatici, hiſtorici, geogra-

 phi-

*) vt Ἄιτια, ſ. de cauſſis ant. fabularum. Ἐθνικαὶ ὀνομασίαι. κτίσεις νήσων etc.

**) Nicandri quidem multa antiquam hiſtoriam et origines vrbium enarrantia, non nulla etiam grammatica extitere, Arati autem multa aſtronomici, phyſici, grammatici argumenti. De quibus plura quam in Fabric. Bibl. Gr. occurrunt afferri poſſunt et afferentur ab iis qui nobis doctiſſimum hoc opus noua recenſione redhibebunt.

***) v. Plin. II, 108. Strab. XVII. p. 1195. Sueton. Gramm. 10. eum primum philologum appellari voluiſſe ait.

phici, geometrici, aſtronomici. Ex Ariſtarchi diſciplina *Apollodorus* prodiit, cuius ſcripta omnis generis extitere doctiſſima, et extat adhuc Bibliotheca. *Rhianus* poeta ex Suetonii Tiberio notus, Eratoſthenis aequalis, idem hiſtoricus fuit et grammaticus.

Hactenus grammaticos vidimus, omnis doctrinae accuratioris, quatenus illa ex antiquis ſcriptis petitur, peritos intelligentesque *): verum haec ipſa multa, varia et aſſidua, lectio **) eos ad grammaticae proprie dictae, philologiae et criticae, ſtudium adduxit; adeoque nunc demum exorta eſt ea diſciplina, quae niſi anteceſſerit, nulla alia firmis ſatis talis incedere poteſt: niſi enim tradita et expoſita a veteribus, ex quibus argumentamur, probamus, narramus, recte et ex critices ſeueritate conſtituta, et ex eorum qui ſcripſerunt ſenſu, iudicio, opinione declarata fuerint, vana et inanis eſt omnis hiſtoria, philoſophia, theologia, omnesque aliae artes et litterae, quatenus illae ex libris et ex iis, quae ante nos memoriae tradita ſunt, hauriendae ſunt. Nec vlla alia fuit diſciplina inuentu difficilior, aut naſcendo tardior aut expoliendo per plura ſaecula operoſior: Cuius incunabula Alexandrinis debentur, inprimisque bibliothecae opibus, muſei autem congregato coetui, coniunctaeque plurium operae. A tenuibus itaque initiis profecta ars ſatis laetis incrementis aucta mox effloruit, et ſi nihil aliud Ptolemaeorum de lit-

*) Eratque adeo grammatica *encyclopaedia eius aetatis* et eruditionis ambitus.

**) Vitruv. praef. lib. VII. de Ariſtophane Byz. *qui ſummo ſtudio ſummaque diligentia quotidie omnes libros ex ordine perlegeret.*

litteris curae debuiſſet aetas, hoc vtique beneficium omni ſanctiorum litterarum fructui vero ac genuino, (niſi enim oracula diuina ex vatum ipſorum ſenſu et acceptione interpreteris, inanis et vana eſt omnis de rebus diuinis diſputatio) omni ſaniori philoſophiae et hiſtoriae, proluſit. Fuit primo loco Zenodotus, fuere Crates, Ariſtarchus, eiusque magiſter Ariſtophanes Byzantinus, cuius vtriusque ſchola fuit florentiſſima, e qua prodiere alii: quorum recenſus videri poteſt apud Fabricium, (B. Gr. To. VII.) durauitque grammaticorum ſchola, etſi varia fortuna iactata, nouis auctibus ſub Auguſto, Tiberio, Adriano, Antoninis, recreata, magno cum litterarum beneficio *), vsque ad vrbis excidium (a. C. 640.). Sed ſaec. IV. et V. reuixerat poeſis, quae tamen multum ab antiqua elegantia abeſſet. Habemus ex his temporibus Syneſii Hymnos, Nonni Panopolitani Dionyſiaca, ne commemorem Apollinarem, Gregorium Nazianzenum, Proclum philoſophum, forte et poematii de Hero et Leandro auctorem, nec non, niſi antiquior eſt, Quintum Smyrnaeum, ex melioribus tamen conſarcinatum, Tryphiodorum et ſaeculo ſexto Coluthum.

A *grammaticis* quoque, quibus Ariſtoteles de poetica proluſerat, cauſſae et principia *poetices* variorumque generum indagari et elici coepere. De *re tragica* egere multi; cum de componendis vel interpretandis fabulis praeciperent: in his Duris Samius, Didymus, Ariſtoxe-

 nus

*) Hi ſunt *diſciplinarum magiſtri, quos quodammodo ſpirari etiam ſuo tempore* Ammian. ait. XXII, 16.

nus muſicus, Hephaeſtion; de *re* vero *comica* Eratoſthenes, Lycophron, idemque Hephaeſtion. Ariſtophanes autem Machone poeta comico magiſtro vſus narratur in iis quae ad comoediam ſpectarent *).

Scriptorum quoque antiquorum claſſes certas conſtituerunt, et ex iis principes in canonem aliquem redegerunt, de quo digna ſunt quae legantur, Ruhnkenii V. Cel. diſputata in hiſt. crit. orator. Graecor. p. XCIV. ſq.

Inprimis vero inſignem operam poſuere grammatici Alexandrini in Homeri carminibus recenſendis, emendandis et edendis. Itaque poſt illam ab Ariſtotele ſuſceptam in Alexandri gratiam, *ἀπὸ νάρθηκος* vulgo dictam, recenſionem memorantur paſſim *ἐκδόσεις* et *διορθώσεις* Arati Solenſis, Zenodoti Epheſii, Ariſtophanis Byzantini, Ariſtarchi; eodem fere tempore Pergami Cratetis Mallotae, qui idem grammatices ſtudium primus Romam intulit ab Attalo rege ad ſenatum miſſus (Sueton. ill. 2 Grammat. 2.) Sed notiora haec ſunt, quam vt in iis morari poſſim. Magnus quoque ex iis numerus in Homerum commentari coepit, quorum extitere *ὑπομνήματα*, *ἐξηγήσεις*, *ζητήσεις*, e quibus fruſtula paſſim et ramenta ad nos peruenere limo lutoque obruta.

Studium hoc commentandi, illuſtrandi, impugnandi et propugnandi, ſemel natum mox ad alios ſcripto-

*) Athen. VI. p. 241. F. Μάχων ὁ κωμῳδοποιὸς, διδάσκαλος γενόμενος τῶν κατὰ κωμῳδίαν μερῶν Ἀριστοφάνους τοῦ γραμματικοῦ.

ſcriptores proceſſit, et ſcribi coepere non modo in Heſiodum et alios, verum etiam in recentiores, Callimachum, Lycophronem, Apollonium, ſcholia. Quae etſi pleraque periere, non tamen omnino nullum ad litteras fructum, qui ad nos perueniret, habuiſſe putanda ſunt. Scilicet vt in rerum natura, ſeu muta ſeu vocali, in plantis et in animantibus, innumera creantur, innumera intereunt, quorum ſemina multo poſt, caſu, quem nos ſolemus dicere, in opportunum locum delata laetius, quam antea factum erat, progerminant: ita in encyclio hoc orbe, quem humani ingenii vis procreauit, innumera vtique ſcripta, inuenta, cogitata, ſuperiorum aetatum, et ortum et interitum ſuum habuere: nec tamen nihil omnino inde fructus ad nos ſeriores proueniſſe putandum eſt: nam primo infinitarum rerum, latius et copioſius olim diſputatarum, ſumma ſeruata eſt ab iis, qui vna vixerant, aut ab his, qui, cum ſerius viuerent, audita vel lecta in libris, qui deperditi ſunt, perſcripſerant; tum vero innumera alia ab iis, qui aetate ipſos auctores attigerant aut eorum ſcripta legerant, mente et animo concepta ſcriptisque mandata, etſi alio nunc nomine, verique auctoris nomine temporum iniuria ſublato, ad noſtram memoriam ſeruata in cenſu earum rerum habentur, quae nunc vaſtum hunc litterarum ac diſciplinarum penum conſtituunt: itaque eorum quoque, quae quis primus inueniſſe aut excogitaſſe dicitur, maxima pars aliis, qui antea vixerant, deberi videtur; niſi enim alii materiem adornaſſent, exemplis praeiuiſſent, analogum quid reliquiſſent, viam paraſſent, nullum vnquam, niſi quod fors obtulerat, humani ingenii inuentum extitiſſet.

Verum cauſſas continua ſerie antegreſſas mens humana in numerato habere nec ſolet nec facile poteſt.

Inter haec, quae humani ingenii eſt infirmitas, ipſa illa grammatica eruditio prima corruptelae ſemina litteris attulit; nam grammatica ſubtilitate ingenia attenuata et in anguſtum coarctata ad minutias et inanes argutias deducta ſunt: vt de multis valeret, quod de Herodiano Alexandrino Ammianus ait, fuiſſe eum *artium minutiſſimum ſciſcitatorem* (XXII, 16.) In quibus minutis explorandis, cauſſisque exquirendis, cum haererent animi: attritis viribus ad magna et ardua aſſurgere non audebant; miratio ſubſiſtebat in ingenioſis luſibus, aut doctae et obſcurae quaeſtionis ſolutione; altum et acrem ſpiritum quis inter haec retinere potuit? Antiquo bonae mentis illo ſucco exinanita, ſententiarum a rerum vſu et experimentis ductarum luminibus orbata, oratio ad argutias et ſubtilitates modo rhetoricas modo philoſophicas redacta, tamquam tabe aliqua confecta et conſumta, *vix oſſibus haeret*; febris tamen tanquam ardore ſubinde mirum in modum excandeſcit. Quod vero ſaepe miratus ſum, mature ſatis et iam Philadelphi aetate increbuere luſus illi pueriles, vt Simmiae Rhodii Ouum, Alae et Bipennis. Doſiadae quidem, Ararum auctoris, aetas incerta; ſed Lycophron Philadelphi gratiam arguto anagrammate meruiſſe fertur *).

Studium illud antiqua et minus vulgo nota cognoſcendi, quod, vt ſupra vidimus, homines Ptolemai-

cae

*) Tzetza in ei. Vita. Theocrito tribuunt Syringem.

cae aetatis tenuit, vt curioſi magis quam ingenioſi eſſent *), etiam eos, qui hiſtorias perſcribebant, invaſit, vt partim in antiquis hiſtoriis et mythis haererent, partim mirabiles hiſtorias venarentur, vtque, dum materiem anquirerent idoneam, exterarum gentium ac terrarum res perſcriberent. Illud vero narrandi genus, quod rerum actum, cauſſas et opportunitates, ita perſequitur, vt prudentia vitae inde hauriatur **), quod iam in Polybio magna ex parte ad ſententias locosque communes redit, vt hominem facile agnoſcas cogitatione potius quam actione in rebus geſtis verſatum, vix auctore aliquo inſigniore commendatum fuit; etſi iudicium ſatis exploratum ferri nequit, quandoquidem ex omni hoc hiſtoricorum numero nullus ad noſtram aetatem ſeruatus eſt ***); niſi quod manibus terimus ea, quae ex iis hauſta ſunt. Omnino mirationem facit, quod e Ptolemaeorum temporibus, tanta litterarum luce illuſtratis, tam pauci libri ſoſpites ad nos peruenere, rerum quoque geſtarum fere omnis memoria intercidit. Ita in monumento Adulitano victoriarum titulos legimus, quarum memoria alia extat nulla.

Interea *geographiae* ſtudium alimenta nactum eſt inprimis ex Alexandri expeditione in Perſas et In-

 dos,

*) Vt Ciceronis verbis vtar de Fin. V, 18. extr.

**) Quod τὸ ἔμπρακτον καὶ τὸ ἀληθὲς τῶν ἐννοιῶν ſectatur.

***) Nobiliſſimi fuere Marſyas Pellaeus. Hecataeus Abderita. Hieronymus Cardianus. Duris Samius. Timaeus. Phylarchus. Quod vero nequidem Ptolemaeus Soter aut Euergetes II. hiſtorias ſuas ad poſteritatem propagare potuere, imbecillitatem humanam arguit, cum ne fortuna quidem regia conſequi potuerit id quod tot monachis indoctiſſimis contigit.

dos, tum Ptolemaeorum curis nauigatione per mare rubrum ad Taprobanenſes et Indos inſtituta *). Vtinam hoc ſaltem ſcriptorum genus, qui et locorum naturas et mores hominum tradiderant, nobis non inuidiſſet fortuna! cuius generis multa in Ariſtotelis et Theophraſti libros **) deriuata fuiſſe probabile fit. Ipſe Alexander naturae curioſus et nouarum rerum viſendarum cupidus locorum, quos peragrabat, deſcriptiones a peritiſſimis viris, Diogneto et Baetone fieri curauerat ***). Memoratur quoque eius Hodoeporicum et Ephemerides, eius ſaltem iuſſu factae. *Nearchus* autem ab eo miſſus Oceanum Indicum adiit; cuius ſupereſt quoque *Periplus*. Ab eo inde tempore peregrinandi ſtudium increbuit; hinc tot Peripli, quorum nonnulli extant in Geographis Hudſon. inprimis rerum Indicarum auctores plures, ſed iidem mentiendi licentia praecipites, qua de re Strabo acerbe conqueritur ****). In iis nobiliſſimi Daimachus, Megaſthenes, Oneſicritus. Ex Geographicis tamen huius aetatis pauca fragmenta poſteritati legauit fortuna, cetera inuidit, niſi quod iis vtimur, qui inde hauſere, inprimis Strabone; nonnulla etiam in Dionyſio Periegete, Plinio et Stephano Byzantino ſuperſunt.

Cum

*) Ill. de Schmidt diſſ. *de nauigat. et commerciis Aegypt.*

**) Euoluat, cui res cordi eſt, titulos deperditorum librorum ap. Fabric.

***) Strabo II. p. 69.

****) lib. II, p. 70. XV. p. 698. De iis ſcriptt. cf. Plinii Index libb. XII. XIII. Gell. IX, 4. praeter Fabric. Voſſ. H. Gr. I, 11. 12. Dodwell. Diſſ. de Nearcho.

Cum iisdem peregrinationibus per terras longinquas naturae cognoſcendae ſtudium, adeoque *hiſtoria naturae* vires accepit. Nota res, qua liberalitate Alexander Ariſtotelis ſtudia adiuuerit; nota Theophraſti diligentia. Aegypti autem reges maximeque in his Philadelphum, ad longinquas regiones cognoſcendas miſiſſe homines, e Strabone conſtat *). Negari tamen nequit ad res potius nouas et mirabiles animos fuiſſe conuerſos. Sic *Philoſtephanus* Cyrenaeus, Callimachi familiaris, de *mirabilibus fluuiis* ſcripſerat **). Habemus *Antigoni Caryſtii*, qui ſub Philadelpho vixiſſe creditur, *mirabilium narrationum collectionem* ***) e variis libris factam, etiam e ſimili Callimachi libro. Magnum numerum aliorum ſcriptorum *de mirabilibus* dabit Ionſius ****). Multarum rerum ſtudium ipſa nauigatio et mercatus inferre debuit: cuius vtinam haberemus copioſiores notitias! quippe quae

*) lib. XVII, p. 1138. B. (789.) Add. Diodor. III, 19. Copioſe de his de Schmidt V. C. loco laud. p. 185. Animantia Alexandriae in palatio nutriri ſolita ex regis Ptolemai Commentariis narrat Athen. XIV, p. 654. B. opportunitatem naturas animantium cognoſcendi ſaltem ea res praebuit: conſiliumne fuerit illud, dicere non audeo. Etiam Romae exterarum ferarum ſpectacula locum hiſtoriae naturali facere potuiſſent, non minus quam extiſpicia. Sed praeiuere haec omnia naturae ſtudio; ſtudium ipſum ſerius ſubſequutum eſt; namque illud, iam inchoatum, tam praeclaris ab Ariſtotele iactis fundamentis, mox omiſſum et neglectum iacuit, nec niſi noſtris aetatibus veros auctus accepit.

**) περὶ τῶν παραδόξων ποταμῶν ap. Athen. VIII. p. 331.

***) ἱστοριῶν παραδόξων συναγωγήν.

****) περὶ θαυμασίων. Ionſius de ſcriptt. hiſt. philoſ. II, 12. p. 175. ſq.

quae ad omnes iſtorum et ſequentium temporum hiſtorias intelligendas magni momenti forent*).

E diſciplinis ſeuerioribus inprimis *matheſis* Ptolemaeorum aetate praeclara incrementa habuit: et exiiſſe e ſchola Alexandrina legimus, quicquid nobiliſſimorum mathematicorum et aſtronomicorum inter antiquos fuit, Euclidem, qui in Aegypto peregrinatus eſt (Diod. V, 36.) et Alexandriae matheſin docuit, Cteſibium mechanicum, Phyſconis tempore, Apollonium Pergaeum, nobilem Sectionum Conicarum interpretem. Inprimis autem aſtronomia ab incunabulis ſuis ad pueritiam et tantum non iuuenilem vigorem adoleuit, clariſſimis viris auctoribus, magnam partem patria quoque Alexandrinis**). Floruit

*) Ita ſuſpicari licet Syriae occupandae conſilia Ptolemaeis ſubnata eſſe e ſiluarum Libani vtilitate ad claſſes exſtruendas. Non enim conſtat, vnde Aegyptus materiem nauium faciendarum petierit. Porro commercia Indorum per rubrum mare facta ſunt duplici itinere, altero foſſa regum ad Arſinoen, altero a Copto Berenicen: quia difficillima eſt in hoc mari nauigatio propter eteſias, eaque paucis menſibus abſoluenda: vt diſcimus e peregrinatoribus, etiam recentioribus.

**) Extant nonnulli Alexandrini in Aſtronomo paruo, et aliorum obſeruationes in magna Syntaxi. Sed in his nolim diſertus eſſe, cum Fabricii diligentia vti quiuis poſſit; et proſtat *Montucla* (*Hiſtoire des Mathematiques*) P. I. lib. IV. quem, ſuae diſciplinae callentiſſimum virum, litteris antiquis tam parum imbutum eſſe doleas, vt pauca ille cum fide tradat, niſi quae ex recentioribus libris deſcripſit, nomina vero graeca miſere vexet et corrumpat. Multo vero magis de ingenioſiſſimi viri, *Bailly*, opera in hac operis (*Hiſt. de l'aſtronomie anc.*) parte, qua antiqua perſequitur, quod conquueraris, habes: nam idem leuitate et ieiunitate rerum ex antiquitate

ruit quoque Alexandriae hoc mathematicarum diſciplinarum ſtudium vsque ad extrema tempora *): nec vllum eſt ſaeculum, quo non nobilis alicuius mathematici vel aſtronomi aut mechanici nomen celebratum ſit **).

Sed nec defuit aſtronomiae perpetua ſimia *aſtrologia* iudiciaria et apoteleſmatica: ſiue deprauatis ingeniis ex antiquo planetarum cultu apud Aegyptios, ſiue ex noua ſuperſtitione et philoſophia phyſica praua. Ne Manethonis Apoteleſmatica memorem, praeter hunc ingens ſcriptorum fuit numerus, qui paſſim adhuc in bibliothecis latent inediti ***). En ſortem rerum humanarum! praeſtantiſſima pleraque interiere, nugas et deliramenta ſeruauit fortuna integra et illibata. Tam parum vſu firmatur, quod iactari ſolet: aeternitatem non contingere libris, niſi qui ea digni ſint.

Eadem ſuperſtitio infecerat *medicinam*, quae Alexandriae et Ptolemaeis multa incrementa debuit, inprimis in anatomicis; regum enim beneficio non

tate narratarum et ad hypotheſes recentiſſimas deflexarum vnicuique paullo accuratius docto ſtomachum mouet.

*) Ammian. XXII, 16, de Muſeo; *nudatur ibi geometrico radio quicquid reconditum latet — et recalet apud quosdam adhuc, licet raros, conſideratio mundani motus et ſiderum, doctique ſunt numeros haud pauci: ſuper his ſcientiam callent quae fatorum vias oſtendit.*

**) Percurrat aliquis Fabric. B. Gr. Vol. II. lib. III, 5. 14. 18. 22. 23. 24.

***) V. Fabric. T. II, p. 505.

non modo mortuos, verum viua quoque corpora nocentum hominum diſſecuere et ſcrutati ſunt Eraſiſtratus et Herophilus, (ap. Celſum in praef.) quorum ſcholae multos clariſſimos medicos habuere, multosque in iis Alexandrinos *). Nec tamen ſuperſtitio, vetus illa peſtis, quae eam in antiquis ſaeculis contaminauerat, ab ea arceri potuit, quo minus ſubinde immigraret et diſciplinae intimos receſſus permearet, ita vt medecina tantum non ad praeſtigias, incantationem et magiam, non quidem naturalem illam, qualis forte e cognitis rerum naturalium virtutibus ad vulgus parum notis aut occultis proficiſci potuit, ſed ad praeſtigiatoriam illam (γοητείαν) prolapſa aliquando vix diſciplinae ac ſcientiae nomine digna eſſet. Plinio quidem auctore (lib. XXX. pr.) *natam* (magiam) *primum e medicina nemo dubitat, ac ſpecie ſalutari irrepſiſſe velut altiorem ſanctioremque medicinam — ita addidiſſe vires religionis — atque miſcuiſſe artes mathematicas.* An eo ordine res proceſſerint, valde dubito. Floruere tamen Alexandriae illa ſtudia ad ſeriora vsque tempora. Galenus ipſe Alexandriae vixerat medicinae addiſcendae cauſſa: eiusque ſchola in ea vrbe floruit **).

Inter

*) cf. *Le Clerc Hiſt. de la Medecine* II. P. Liv. I. chap. 3. ſq. 7. 8. ſq. In iis, quae poſt Galenum commemoranda erant, nimis breuis et anguſta eſt eius diſputatio.

**) Fulgent. Mytholog. I. p. 16. Calliope loquitur, Alexandriae ſe ſubſtituram fuiſſe: *niſi me etiam exinde bellis crudelior Galeni curia excluſiſſet, quae paene cunctis Alexandriae ita eſt inſerta angiportis, quod chirurgiae carnificinae laniola pluriora habitaculis numerentur.* Scriptor is eſt ſaec. IV. Laudatur ad e. l. Anonym. Cosmogr. a Godofr. ed. p. 23. (a Iac. Gronov. c. Scylace p. 261. Sed iam exeunte ſaec. IV. Ammian l. c. *Medicinae autem — ita ſtudia augentur indies* (Alexandriae) *vt*

Inter mathematica ſtudia floruit quoque *muſica* et *harmonica.* Scripta in eo genere fuere Eratoſthenis; extant Euclidis ac ſeriore aeuo (ſub Antoninis) Claudii Ptolemaei *). Alexandrinos quidem muſicorum ludorum inprimis cupidos fuiſſe ex Dione Pruſenſi nouimus, qui ſtudium eorum reprehendit, tanquam nimium et inſanum **); quodque cum tumultuatione et petulantia ſe gererent in ſtadiis et theatris ludorum tempore, et pſaltriarum ac ſaltatricum et citharoedorum inſano ſtudio ſe perditum irent; (Or. in Alex. p. 375. ſqq.) vt et applaudentes exultarent et canentem θεὸν καὶ σωτῆρα appellarent (p. 377. en noſtrum *brauo*) Obiurgat porro eos tanquam non niſi molles modos et fractos cantus ſequentes ***) (p. 381.) Nota ſunt Ptolemaei Auletae inſana ſtudia ti-

vt pro omni experimento ſufficiat medico ad commendandam artis auctoritatem, ſi Alexandriae ſe dixerit eruditum. v. ibi laudd. a Valeſ. add. Liban. Epp. Wolf. 1178. 668.

*) Alios v. in Catalogo deperditor. muſicor. T. II. Biblioth. Gr. Fabric. p. 267.

**) vt tota eorum vita videretur κῶμος εἷς p. 382. *comiſſatio perpetua.* Omnino Muſica praeter ceteras artes efflorefcere debuit non modo inter theatrales apparatus et chororum feſtiuitates, verum multo magis per certamina muſica, quae cum aliis locis tum Alexandriae incredibilibus ſtudiis agitata fuere. Inprimis ea ad feſta Dionyſiaca ſpectabant. Coibant quoque muſici in ſodalitia ſeu Collegia Dionyſo ſacra. Hi τεχνῖται Διονυσιακοὶ ſaepe in marmoribus memorantur.

***) Muſica videtur fuiſſe valde mollis. Nam et *Niliaci modi* hactenus famoſi: Ouid. Art. III, 318. cf. Triſt. I, 2, 80. Martial III, 63. Canopi vero luxu et mollitie nihil infamius. Omnino v. Dio l. c. p. 380. Multus apud Alexandrinos *monaulus*: de quo v. Athen. IV. p. 514. et ibid. pp. ſqq. inſtrumenta alia in honore habita.

tibiae inflandae, qui et in ludis certauit: quem idem Dio non male dicit tibia canendo, Alexandrinos ſaltando, remp. perdidiſſe, (p. 383.) ita vt praeter panem et circenſes nullius rei cura eſſet (p. 370.) Durauit muſices ſtudium ad ſeriora tempora: Ammianus l. c. *nondumque apud eos penitus exaruit muſica, nēc harmonia conticuit* *).

Philoſophiae ſtudiorum quae per tot aetates viciſſitudines fuerint, integri operis argumentum eſt. Mirari licet rerum in orbem redeuntium viciſſitudinem; cum antiqui illi ſapientes, Orpheus, Thales, Pythagoras, Democritus, Plato, Aegyptum adiiſſe et a ſacerdotibus multa petiiſſe narrati eſſent, nunc cum Graecis in Aegyptum poſtliminio quaſi rediere olim inde accepta, ſed valde aucta, inflexa et immutata. Quod vero multo magis memorabile eſt, induit nunc Graeca philoſophia habitum aliquem nouum ſub caelo Aegyptio: cuius rei cauſſas facile indagare licet, ſi permixtis veterum Aegyptiorum et Graecorum aduenarum litteris noua monſtra gigni debuiſſe reputes. Etſi longa ſeruitute vulgi ingenia ad humum depreſſa, ſacerdotum autem collegia cum templis et ſacris magnam partem erant ſublata: tamen ſub primis ſaltem Ptolemaeis ſupereſſe potuere, qui antiquam illam philoſophiam ac theologiam ſymbolis et hieroglyphis inuolutam varioque ac multiplici acumine explicari ſolitam non prorſus ignorarent; quod poſtea factum e Strabone conſtat (XVII. p. 1159.) Probabile fit, fuiſſe ex iis Aegyptiis qui Graeca addiſce-

*) Cf. Athen. IV, p. 183.

diſcerent; fuiſſe etiam Graecos, qui Aegyptia. Alexandriae tamen ſerius inualuiſſe videtur Aegyptiaca ſuperſtitio, cui acceſſit poſtea Iudaica totiusque orientis, tandemque Chriſtiana. Ab initio quidem diverſarum ſectarum e Graecia ſubtilitas immigrauit, cum ſophiſtarum, ſi bene iudico, artibus copulata; Stoicos tamen Alexandriae memoratos meminimus paucos *): qui contra in Macedoniae regum aula florebant; nam Antigonus Gonatas Zenonem Citienſem et Cleanthem arceſſiuerat; (Laert. VII, 169.) erat in ea quoque Perſaeus (ib. VI, 9, 36.). In aulam regum Pergamenorum Stoici non minus admiſſi: etſi contrariis aliorum ſtudiis. Nota narratio de Cratete Mallota et de Athenodoro Cordylione, bibliothecae Pergamenae cuſtode, qui e libris Stoicorum exſcidiſſe narratur ea, quae ſecus quam ſibi placerent ſcripſiſſent. Quid quod Babylone ſectae Stoicae fundamenta reliquerat Archedemus Athenienſis exul in his terris **). Alexandrinis vero Stoicorum diſciplinam ſeueriorem parum probatam fuiſſe nemo miretur; vt nec ſubtilitatem dialecticam. Nec Peripateticorum Alexandriae magnus fuit honos ***).

Vnus

*) A Stratone Lampſaceno Stoico eruditum eſſe Philadelphum, conſtat. Ad Philopatorem Sphaerus miſſus a Cleanthe. Laert. VII, 185.

**) Plut. de Exil. p. 605. Menag. ad Laert. VII, 169.

***) Fuere tamen Ariſtotelicorum conuictus (συσσίτια) Alexandriae, quos cum aliis eorum commodis ſuſtulit Caracalla, odio Ariſtotelici nominis et ſtudio in Alexandrum M v. Dio LXXVII, 7. Ariſtotelicae ſucceſſionis (διαδοχῆς) ſcholam reſtituere volebant Alexandrini Anatolio conſtituto, Chriſtiano homine ſed docto, ante a. 269. Euſeb. H. E. VII, 32.

Vnus Epicureus Colotes regi Ptolemaeo (qui ex prioribus vnus eſſe debuit) librum obtuliſſe fertur apud Plutarchum (lib. adv. Colot. pr.). Cynicorum Alexandriae frequentiam fuiſſe conſtat e Dione Pruſaeo (p. 363. C. D.) qui eorum mores impudicos Alexandrinis ſimiles, ſcurriles autem in viis et angiportis ſermones corrumpendae iuuentuti accomodatos eſſe ait. Cyrenaica diſciplina, quae ad voluptatem omnia referebat, regum libidinibus palpabat, fuitque adeo grata iis et accepta; ſaltem tanta Theodori fuit auctoritas, vt a Sotere legatus ad Lyſimachum mitteretur *). Hegeſiam a Ptolemaeo vetitum de morte diſputare, nota narratio eſt **). At gratiſſimum hoſpitium vrbem Alexandriam habuit Platonica philoſophia, ſub Romanis ſaltem, eaque mox tot opinionum monſtris, ſuperſtitionibus, ex Aegypto totoque oriente deriuatis, corrupta, vt ad goetiam et theurgiam delaberetur, foediſſimam ingenii humani corruptelam. Sed, vt dixi, ſingularis, eiusque accurati, operis argumentum hoc tantum non intactum nobis dimittendum eſt.

Supereſſet, vt de *artium* liberalium diſciplinis earumque ſub Ptolemaeis conditione agerem. Si tamen potiora tantum commemorare vellem, a Winckelmanno pleraque iam delibata repeterem; ſin ſubnotare vellem ea, quae ab eo omiſſa aut perperam tradita ſunt, deſcendendum mihi eſſet ad ſubtilem diſputationem, quae alieno loco appoſita parum eſſet probanda. Vt paucis complectar, etſi iſtorum tem-

*) Ap. Laert. II, 102.

**) Cic. Tuſc. I, 34.

temporum opera et monumenta nulla extant maioris molis, ex iis tamen minoribus, quae ſuperſunt, tum ex narrationibus apud Diodorum, Athenaeum, Plinium, aliosque obuiis, ſequentia explorate tradi poſſe videntur: primorum ſtatim regum ſtudia artium et cupiditates operum ad faſtum et magnificentiam potius ſe inclinaſſe, quam ad iudicii elegantiam aut verae pulchritudinis ſenſum: ex ipſis enim regni opibus mature luxus et mollities orta aulam et vrbem tanquam peſtilenti ſidere afflauit. Teſtantur id pompae Dionyſiacae, quarum ex Callixeno deſcriptio apud Athenaeum habetur; (lib. V, 5.) et faſtus Aſiatici Graecorum animos obſidentis certa veſtigia iam habet funus Alexandri Babylone Alexandriam ducti (Diodor. XVIII, 26. ſq.) cum Hephaeſtionis funere ab Alexandro curato. In numis ſimplicitatem agnoſcas notabilem, cum elegantia artis, in priorum ſaltem regum numis. Architecturae laude haud dubie excelluiſſe videtur Ptolemaeorum aetas; ſaltem Alexandria aedificiorum magnificentia admirationem fecit.

Cum ſaeculi Ptolemaeorum Genium aliquem, valde notabilem, ſatis declaratum dederim, in litterarum quidem ſtudio, polymathiae et polyhiſtoriae amorem, in hiſtoriis, rerum mirabilium, nouarum et inſolitarum: cauſſas eius rei, etſi iam in ipſa narratione interpoſitas, nunc ſeorſum breuiter perſtringere placet.

Et initio quidem ipſa ingenii humani doctrinaeque humanae natura haud facile alium rerum

curſum admittit, quam vt doctrinae auctus ingenii damna ſequantur; infringitur ipſa rerum copia ingenii vis ac vigor; ſubtilitas grammatica, hiſtorica ac philoſophica, in rebus exquirendis ac diluendis, magnos et audaces animi ſenſus incidit; luxuriantius ingenium a ſimplicitate ad cultum et ornatum, hinc ad fucum et laſciuiam prolabitur. Eſt idem animorum et ingeniorum, qui vitae et reip., ab auſteritate ad elegantiam, ab hac ad luxum et delicias, progreſſus; quo gradu vbi ſemel rerum vices conſtitere, ad interitum eas vergere neceſſe eſt.

Alexandriae autem maturior litterarum mutatio facta, quia incerta regum lubido, aulicorum vanitas, vrbis luxuries, ciuium leuitas, ipſae ſtudiorum opportunitates, motui rerum iam per ſe inclinato momenti et impulſus haud parum addere debuere. Regum quidem munificentia et amor litterarum fuit, qualem vix alia aetas vidit. Lagidae et Philadelphi laudes commemorabuntur, quamdiu litterarum vllum erit nomen. Philopator, vtvt luxuriae et omni corruptelae deditus, tamen cum Sphaero Stoico vixit (Laert. VII, 185.), Homero aedem cum ſtatua poſuit (Aelian. v. IV. XIII, 22.) naues autem longe maximas aedificauit: de quibus diſertus locus apud Athenaeum (lib. V. p. 203. ſqq.) Ipſe Euergetes II. ſeu Phyſcon, monſtrum hominis, fauebat litteris, ipſe ab Ariſtarcho eruditus (Athen. II. extr.) hiſtoriarum libros XXIV. compoſuerat magnae auctoritatis ſcriptor, Homericam quoque lectionem emendaſſe fertur; etſi crudelitate ſua in Alexandrinos idem viros doctos ſugere metu et in Graeciam et Aſiam

ſe

ſe recipere coegit: vt iam ſupra monitum. (Athen. IV. extr.) Mox tamen alios nouos colonos ad ſe inuitauit. Bibliothecam Alexandrinam ab eo ditatam narrat Galenus loco paullo poſt excutiendo. Panaretum Arceſilai diſcipulum XII. talentis annuis donauit. Cleopatra vero, quam vltimam reginam Aegyptus vidit, multarum linguarum et litterarum perita fuit. (Plutarch. Anton. p. 913. F.) Regum itaque liberalitas multos viros doctos inuitauit: quibus, cum regiis ſtipendiis ſuſtentati viuerent, id ſtudii erat, vt dictis ſcriptisque regi et aulicis ſe probarent. Inde adulatoria et paraſitica illa laudandi licentia in optimis horum temporum ſcriptoribus. Inprimis vero regum liberalitas Muſeo et bibliotheca condita inclaruit.

Muſeum quidem, vnicum illud per totum terrarum orbem, quantum quidem conſtat, ſui generis inſtitutum litterarium *), Ptolemaeorum nomen

*) Similitudinem aliquam habere forte poteſt Scientiarum et artium Inſtitutum Bononienſe, ab immortalis nominis viro, Comite Marſilio, conditum. Comparari poſſunt Arabum Academiae nonnullae forte ad imitationem Muſei inſtitutae. Cairi adhuc habetur conuictus virorum doctorum, Moſcheam appellant *Dgiamiaſhar.* (*Dſjami el aſhar*) v. *Fourmont Deſcript. des Plaines d' Heliop.* p. 47. cui tuendae et ſuſtentandae quotannis 300, 000 aureorum impendi narratum acceperat Proſper Alpinus Rerum Aegypt. p. 20. Quamdiu Aegyptii ſuos habuerunt reges, omnes diſciplinae in hac academia docebantur, doctiſſimi vndique homines ex terris mohameticis eo inuitati confluebant penſionibus et honoribus conſtitutis. Magnus adoleſcentum numerus ad XIV. millia quotidie panem, oryzam, carnem et legumina publica diſtributione ferebat, habitaculis

men, aliis hiſtoriarum monimentis deſtitutum, immortale reddet. Certus in eo doctorum hominum numerus habitatione et conuictu liberaliter fruebatur; bibliothecae inſtructiſſimae opibus adiuti illi litterarum ſtudiis per otium liberrimum et iucundiſſimum indulgebant. Quam quidem proficua et opportuna ad communicanda inuenta et cogitata coniunctio haec et communio virorum doctorum ſub eodem tecto verſantium eſſe debuerit, facile coniectare licet. Vrbis frequentia, regum facilitas et comitas, ſtudiorum facile ſeueritatem temperare potuit.

Quod tamen in rebus humanis fieri ſolet, cum ſummis bonis vt mala indiuulſo contubernio coniuncta ſint, hoc idem in his tantis bonis eueniſſe videmus. Vt aulici et principes de honorum fumo, ſic viri docti de opinionum vmbra inter ſe digladiantur; inuidia, odiis, inimicitiis gliſcentibus optima quaeque euertuntur. Sic nulli facile doctorum virorum

culis quoque excepti in aedificiis ampliſſimis. Aluntur adhuc plus quam mille, et docentur diſciplinas, logicam, aſtronomiam, aſtrologiam, theologiam, inprimis autem grammaticam arabicam. Erat olim ibidem Bibliotheca ad CM. voluminum a Calipha Aarone comparata: curauerat ille libros tranſcribendos et ex aliis linguis conuertendos miſſis Conſtantinopolin hominibus doctis. Reges Fatimitae Carthagine, Cyrene, ex Siciliae, Sardiniae, Hiſpaniae, vrbibus et paſſim ex Monaſteriis Chriſtianis libros latinos et graecos congeſſere in Arabicum ſermonem transferendos. Concremata fertur bibliotheca a Saladino. *Fourmont* l. c. p. 55. Meminit quoque huius Academiae *Niebuhr* V. C. in Itinerario p. 117.

rorum coetus contentionum libidine et conuiciandi licentia carent. De Muſeo Alexandrino non mitiora accipimus. Nobile eſt Timonis Phliaſii dicterium *).

Bibliotheca autem ad polyhiſtoriam ſtudiumque illud multa legendi, pauca iudicio animi digerendi, inuitauit, vt hactenus Senecae iudicium amplectar, etſi alio reſpectu multis modis circumſcribendum **). Omnino aliter cenſendum eſt de priuatorum bibliothecis ad oſtentationem et faſtum comparatis, aliter de iis quae publico ac communi vſui deſtinatae ſunt.

Cum his ipſis tamen malis quot et quanta beneficia *Muſeo et Bibliothecae Alexandriae* accepta refert genus humanum! et quam praeclara prouidentiae diuinae veſtigia in hoc quoque inſtituto agnoſcere licet! Bellis ciuilibus inde ab Alexandri morte omnes terras vaſtantibus, mox Romanorum bellis Graeciam et Aſiam iam labefactatam euertentibus,

*) V. ap. Athen. I. p. 22. D. E. emend. a Gronov.

**) Seneca de Tranq. animi c. 9. *Studiorum quoque, quae liberaliſſima impenſa eſt, tamdiu rationem habebo, quamdiu modum. Quo mihi innumerabiles libros et bibliothecas, quarum dominus vix tota ſua vita indices perlegit! Onerat diſcentem turba, non inſtruit; multoque ſatius eſt, paucis te auctoribus tradere, quam errare per multos. Quadringenta millia librorum Alexandriae arſerunt; pulcherrimum regiae opulentiae monumentum alius laudauerit, ſicut Liuius, qui elegantiae regum curaeque egregium id opus ait fuiſſe. Non fuit elegantia illa aut cura, ſed ſtudioſa luxuria; imo ne ſtudioſa quidem: quoniam non in ſtudium ſed in ſpectaculum comparauerant.*

actum erat de litteris, et interiiſſent priſcorum ingeniorum monumenta, (quis enim inter tantas calamitates miſerias et egeſtates de deſcribendis voluminibus cogitaſſet!) quorum vel ſic tam pauca ſunt ſeruata: barbarie et bonarum rerum ignoratione omnis terrarum orbis faciem habiturus fuiſſet, qualis nunc Orientis eſt inde a Genghiscani et Timuri, mox Turcorum incurſionibus, quae Arabicae litteraturae, latius quam vulgo putatur olim patentis, vix euanida indicia reliquerunt. Quae tum doctrinae ſanctioris fortuna fuiſſet, quae, etſi litteris in eum modum, quo factum videmus, ſoſpitatis, hominum tamen inſcitia et imperitia aut ingeniorum doctrinarumque corruptelis tam valde fuit afflicta! — Floruere Alexandriae litterae, cum Aſia et Graecia, vt viris opibusque, ita dudum litteris librisque exhauſta, barbarie eſſet oppreſſa; conuolarunt eo ſtudiorum cauſſa exteri, atque iterum inde in alias terras tanquam litterarum ſpolia reportarunt, factumque adeo eſt, vt diuerſis in locis per aliquod tempus litterae reuiuiſcerent, v. c. Athenis, Rhodo, Antiochiae, Conſtantinopoli. Tanta fuere bona ex illo Ptolemaeorum inſtituto in genus humanum profecta *).

Mu-

*) De *Muſeo* et de viris, qui in eo vixere, tradita pauca ad nos peruenere. *Callimachi* Μουσεῖον intercidit; etiam *Ariſtonici*, qui Strabonis aequalis fuit. E recentioribus inſpexi *Tillemont.* (*Hiſt. des Emp.* T. II, p. 431,) *Prideaux hiſt. T. II. lib. I. pr. Caue* (*Hiſt. eccleſ.* P. II, p. 20.) *Mem. de l' Acad. des Inſcr.* T. XIII, p. 644. 615. 669. *Ionſium Hiſt. Philoſ. III*, 2. Cl. *Crollium* Orat 1721. habita et qui nuper omnia haec retractauit, vir doctus (Simon Magiſtrius) in Diſſ. ad calc. Danielis ex LXX. Verſ. Praeſtat tamen locos claſſicos(in quibus principes ſunt Strabo lib. XVII, p. 1143. D. et

Muſeum pars regiae erat, adeoque in Bruchio ſita, in qua vrbisparte habitabant et alebantur viri docti, in Collegium adſcripti, pecuniis publice aſſignatis, principe eis olim a regibus, poſtea a Romanis impoſito *). Nec enim Romanorum liberalitas defuit regum inſtituto; additum quoque eſt a Claudio Imp. alterum Muſeum Claudium dictum. (Sueton. in Claud. c. 42.). Videntur autem plures fuiſſe conuictus, *συσσίτια*, et ſodalitia, vti Peripatetico-

 rum

et Ammian. XXII, f.) euoluere a Io. Fr. Gronouio collectos in Antiqq. Gr. Theſ. To. VIII, vna cum Kuſteri ſchediaſmate: nam a viris doctis pleraque tam varie et turbato temporum rerumque ordine tradi videas, vt interdum, quod teneri poſſit, vix habeas. Itaque nec laborem ſubterfugi, vt retractarem nonnulla, in quibus non ſatis conuenire videbam ſcriptores. Ceterum comparanda eſt Bonamici deſcriptio Alexandriae (To. IX, *Mem. de l' Acad. d. I.*) vbi et Bruchii loca aedificiaque oculis cognoſcere licet. Olim quidem fuit Callixenus Rhodius, qui ſcripſit τὰ περὶ Ἀλεξανδρείας laudatus aliquoties ap. Athenaeum vt lib. XV, p. 677. D. inprimis ex eo locus de pompa Ptol. Philadelphi appoſitus lib. V, 6. p. 196. ſqq. add. IX, p. 387. D. XI, p. 472. A. p. 474. F. 483. F. quae loca ad eandem operis partem ſpectant. Fuit et Aelii Dionyſii Grammatici liber de Alexandria, quo vſus Sopater ap. Phot. Cod. 161.

*) Straboni ἱερεὺς ὁ ἐπὶ τῷ Μουσείῳ τεταγμένος. Nec alii ſunt οἱ τοῦ Μουσείου προστάντες, qui memorantur in fragm. Artemidori, de Eratoſthene Beta ab iis dicto. (p. 63. To. I. Geogr. min.) Adſcripti Muſeo viri docti commemorantur plures: nec tamen eorum recenſus iuſtus dari poteſt: v. Gronov. et Kuſter. l. c. τοῖς ἐν Μουσείῳ σοφοῖς inſcripta eſt epiſtola Apollonii Tyanenſis ap. Philoſtr. XXXIV. Ab Adriano coetui aggregati Dionyſius Mileſius et Polemo; et Pantarces poeta τὴν ἐν Μουσῶν σίτησιν habere iuſſus ap. Athen. XV, 6. p. 677. D.

rum diſerte memorantur a Dione (LXXVII, 7. vbi v. not.)

Magnam calamitatem Alexandrinis inflixit Caracallae immanitas, qui, quod ob fratris caedem dicteriis ſe eorum impetitum reſciuerat, reditu a Parthis facto, cum ſacra ſe Serapidi facturum et Alexandri M. corpus inuiſurum ſimulans vrbem eſſet ingreſſus, magnam caedem Alexandrinorum eamque promiſcuam facere iuſſit milites. Direptae facultates, tum fana quaedam expilata, dum interea bellua in Serapeo ageret *). Tandem ille *ſpectacula et conuictus Alexandrinorum ſuſtulit*, ipſam vero vrbem in duas partes diuidi et caſtellis muniri iuſſit **). *Spectacula* etiam recitationes comprehendiſſe videntur, *conuictus* haud dubie etiam Muſei conuictum. Niſi quod ille poſtea reſtitutus forte eſt. *Ariſtoteleorum conuictus, et cetera commoda,* quibus fruebantur Alexandriae, iam antea idem Caracalla ſuſtulerat***).

Bru-

*) Dio LXXVII, 22. 23. vbi cf. Not.

**) Ibid Dio. *ἐκ δὲ τούτου τάς τε θέας καὶ τὰ συσσίτια τῶν Ἀλεξανδρέων καταλύσας* — cf. Beck. V. C. de bibl. Alex. p. 19. qui haec feriora fata diligenter eſt perſequutus.

***) Dio LXXVII, 7. Idem paullo poſt LXXVIII, 7. incendium narrat Serapidis templum inuaſiſſe, nullo tamen damno dato, niſi quod gladius a Caracalla dedicatus flammis eſt abſumtus. A. C. 217. Meminit incendii alicuius etiam Clemens Alex. Admonit. p. 35. B. Sylb. *οὐκ ἀπέσχετο δὲ (τὸ πῦρ) οὐδὲ τοῦ ἐν Ἀλεξανδρέων πόλει Σαράπιδος ἱεροῦ.* tempore prorſus non definito; neque adeo mihi quidem conſtat, qua auctoritate ad Commodi a. II. referant illud incendium viri docti Baronius et Vſſer. de LXX. Interpr. p. 33. et ipſe Scaliger

Bruchii muris inter Alexandrinorum ſeditiones Aureliani Imp. iuſſu dirutis *), ſublatum ne Muſeum fuerit, an aliquando reſtitutum, nihil occurrit, quod ſatis fidem faciat. Memoratur ſub Theodoſio M. Theon mathematicus ὁ ἐκ Μουσείου, ſed apud Suidam, auctoritate parum certa. Interea Serapeum tanto maiorem celebritatem accepit; hoc laudat Ammianus, hoc alii; nec tamen, an praeter bibliothecam habitationes virorum doctorum habuerit, notatum quicquam reperio; ſuperſtitione deuinctos Graecos paſſim ad illud fanum confluxiſſe ſatis conſtat.

liger in farragine Chron. Euſebii ſubiecta p. 215. Annott. p. 225.

*) Etiam huius rei non luculenta ſatis eſt memoria. Ammiani l. l. XXII. f. verba ſunt: *Alexandria — ad vltimum multis poſt annis Aureliano imperium agente, ciuilibus iurgiis ad certamina interneciua prolapſis, dirutisque moenibus, amiſit regionis maximam partem, quae Bruchion appellabatur, diuturnum praeſtantium hominum domicilium.* Iam porro ap Vopiſc. in Aurel. 32. Aurelianus Aegyptios nouas res molientes adortus *Aegyptum ſtatim recepit.* add. Zoſim. I, 61. Ab Euſebio tamen H. E. VII, 32. Bruchii obſidio commemoratur, quae ad a. II. Claudii a. C. 269. ſpectat. cf. Pagi ad h. a. In ea Anatolii philoſophi, poſt Laodiceni epiſcopi, magna opera fuit. Itaque probabile ſit, turbas ab Alexandrinis motas non niſi ab Aureliano compoſitas eſſe. Manſit pars illa ab hoc tempore deſerta, vt Epiphanius (qui a. 403. obiit) teſtatur lib. de pond. et menſ. Itaque Bruchium extra vrbem ſitum erat (cf. Kuſter de Muſeo Alex. l. c. p. 2771. 2.) Muſei tamen ruinas non ſpernendae molis adhuc ſuo tempore (Saec. XII. medio) a ſe viſas narrat Beniaminus Tudelenſis; nam, *extra vrbem*, inquit, (p. 106. ex edit. Calixt.) *aedificium viſitur magnum et ſpatioſum, quod gymnaſium fuiſſe dicitur Ariſtotelis, in quo XX. fere ſcholae ſunt — et inter ſingulas marmoreae columnae erant.*

ſtat. (v. inpr. Eunap. in Aedeſio p. 74. 77.). Inhabitatum tamen templum a multis fuiſſe, ad quos ſub idem tempus, quo euerſum eſt, Olympius philoſophus acceſſit, ex iis intelligitur, quae a Sozomeno (VII, 15.) et Suida in Olympo narrata ſunt, tum vero multo magis ex deſcriptione apud Rufinum (lib. II, Hiſt. 23.) nam fuit illud ſublatum et ſolo aequatum Chriſtianorum odiis, et Theophili Patriarchae opera, ex Conſtitutione Theodoſiana a. 391. *). Gentilibus ita Alexandria expulſis, Chriſtianae litterae tanto laetius effloruere; manſere quoque rhetorum et grammaticorum, tum philoſophiae et aſtrologiae ſtudia, cum iuris prudentia; donec, quod ſupra dictum eſt, ab Arabibus capta eſt Alexandria. Sub eadem tempora vixere Alexandriae Olympiodorus diaconus et Ioannes Philoponus, qui et cum Amro, Saracenorum duce, de bibliotheca ſeruanda egiſſe narratur (ab Abulpharagio p. 114.) Prodierat ille e ſchola Ammonii Hermeae f. qui Procli diſciplina imbutus ſcholam veterem philoſophorum ex Ammonii Saccae diſciplina profectorum, Plotini, Porphyrii, Iamblichi, ad extrema haec tempora propaga-

*) Notiſſima haec conſtitutio v. Cod. Theod. l. 11. de Paganis et ibi Gothofr. et Ritt. et in Chronol. Theodoſ. a. 391. Eunap. in Aedeſio p. 177. De Serapeo euerſo gloriantur paſſim ſcriptores Socrat. V, 16. Rufin. II, 22. ſq. Sozom. VII, 15. Theodoret. V, 22. cf. Bonamic. l. c. p. 413. Nec vero res ſine caedibus mutuis acta. Euerſum quoque alterum Serapeum Canopi, ſanctuarium ſuperſtitionis theurgicae: cf. Eunap. in Aedeſio p. 72. In hoc eodem templo Claudius Ptolemaeus olim aſtronomiae operam nauans XL. annos habitauerat. Olympiod. ap. Bulliald. ad Ptolem. de iudic. fac. p. 203.

pagauerat. Parum conſtare, quaenam Muſei fortuna inde ab Aureliano fuerit, paullo ante monui. Suſpicor viros Muſeo adſcriptos litteris docendis inter haec operam ſuam addixiſſe, proprieque adeo dictos *profeſſores* apud Spartianum (in Adriano. 19.) Commemorantur etiam litterarum ſtudia Alexandriae et litterarum doctores nulla Muſei mentione facta. Etiam Ammiani locus ita comparatus eſt, vt *in eadem vrbe variae litterarum doctrinae non ſilere* dicantur, ſine vllo Serapei reſpectu, Bruchio vero, adeoque Muſeo, tanquam ſublato *). Videtur itaque res eo rediiſſe, vt haberentur paſſim per vrbem virorum doctorum ſcholae: confluebantque Alexandriam ad audiendum ex toto terrarum orbe qui doctrinarum et litterarum ſtudiis tenerentur. Itaque iam inde a ſaeculo III. vix litteris aliquis inclaruit, qui non Alexandriam adiiſſet; nec minus inter Chriſtianos, e quibus Alexandrinas ſcholas doctiſſimi viri illuſtrarunt: Clemens, Origenes, Dionyſius eius diſcipulus, Anatolius, Didymus, Heronymi et Rufini aliorumque praeceptor, Gregorius Nazianzenus **) cum Cae-

*) In vet. Expoſitione totius mundi, primo a Iac. Gothofredo vulgata, hinc repet. a Iac. Gronov. ad calc. Scylacis, legitur p. 259 - 267. locus de Alexandria, in quo de Serapidis templo, tum, multis interiectis, ſubiicitur: *totius orbis terrae pene veritate philoſophiae ipſa ſola abundat* (Alexandria) *in qua inueniuntur plurima genera philoſophorum. Itaque et Aeſculapius dare ei voluit medicinae peritiam et, vt habeat in toto mundo medicos optimos, praeſtare dignatus eſt.* Extrema haec ſimillima verbis Ammiani l. c. XXII. extr.

**) Gregor. Nyſſen. in ei. Vita: *κἀκεῖθεν ἐπὶ τὴν Ἀλεξάνδρου ἀφικνεῖται, τὴν πρὸς τῇ Φάρῳ, — εἰς συναγυρμὸν*

Caeſario fratre, Athanaſius, Syneſius, vt Theophilum et Cyrillum epiſcopos Alex. alioſque omittam.

Iam *de Bibliotheca* Alexandrina etſi egere multi *), ſunt tamen pauca, quae recte et plane tenentur. Aſſer-

μὸν σοφίας, εἰς ἣν καὶ ἡ πανταχόθεν συνέῤῥει νεότης τῶν περὶ τὴν φιλοσοφίαν ἐσπουδακότων.

*) Egere de hac Bibliotheca Alexandrina iidem qui de Muſeo; ſed ſtudioſius ceteris *Bonamy* Diſſ. in *Mem. de l'Acad. d. I. To. IV.* p. 397. et nuper vir doctiſſimus, Io. Guil. *Beck* in Specim. hiſt. bibliothecar. Alexandrin. Sunt tamen loca veterum pauca, et pleraque a ſcriptoribus, qui vetera ex incerta fama repetierunt, rerumque adeo et temporum ordinem turbare ſolent. Ita narratur Ptolemaeus aliquis libros modo ab exteris vrbibus petitos modo ab aduenis apportatos deſcribendos curaſſe, redditisque apographis diligentiſſime factis bibliothecae Alexandrinae intuliſſe exemplaria illa primaria. Trahitur res modo ad Philadelphum modo ad Euergeten II ſeu Phyſconem; ad hunc puto verius. Nam de Philadelpho ſequentia reperio: apud Athen. I, p. 3 B. *Philadelphus* narratur *a Neleo emtos libros* cum ceteris, *quos Athenis et Rhodi emerat*, Alexandriam transferri curaſſe. Apographa puta: nam ipſius Ariſtotelis manu ſcripta exempla apud Neleum manſere: quorum fata aliunde nota ſunt v. Strab XIII, p. 609. Plutarch. in Sulla. cf *Bayle* in *Tyrannio*: etſi neſcio an res a quopiam ſit ad liquidum perducta) Ammonius autem ad Ariſtot. Categor. non longe a pr (A 4 iii fine.) Πτολεμαῖον τὸν Φιλάδελφον πάνυ ἐσπουδακέναι φασὶ περὶ τὰ Ἀριστοτελικὰ συγγράμματα, ὡς καὶ περὶ τὰ λοιπά. καὶ χρήματα διδόναι τοῖς προσφέρουσιν αὐτῷ βίβλους τοῦ φιλοσόφου. Ὅθεν τινὲς χρηματίσασθαι βουλόμενοι, ἐπιγράφοντες συγγράμματα τῷ τοῦ φιλοσόφου ὀνόματι προσῆγον. Pergit ibidem: ferri in biblioth. Alex. fuiſſe analyticorum XL volumina, categoriarum duo, e quibus horum quidem vnum, illorum quatuor pro genuinis habita. Athen. V, p. 203. E. vbi de Philadelpho περὶ δὲ βιβλίων πλήθους καὶ βιβλιοθηκῶν κατασκευῆς, καὶ τῆς εἰς τὸ Μουσεῖον συναγωγῆς, τί καὶ δεῖ λέγειν, πᾶσι τούτων ὄντων κατὰ μνήμην.

Ad

Aſſeruatam eam fuiſſe in Bruchio, alteram deinde in

Ad Euergeten II. vero ſpectant ea quae ap. Galen. leguntur in Hippocr. Epidem. lib. III, Comment. I, text. 7. p. 239. Chart. vbi ex Zeuxidis Tarentini Commentariis (de quibus cf. p. 354. A.) in eundem librum narrat: fuiſſe in bibliotheca Alexandrina codicem libri III. Epidemiorum, qui primus characteres illos adſcriptos habuit. de quibus in eo libro diſceptarant interpretes; fuiſſe eos appictos Memnonis Siditae opera. Iam diuerſum fuiſſe narrandi modum in hoc, quod alii Memnonem e bibliotheca accepto libro hos characteres interſeruiſſe tradebant, alii allatum domo e Pamphylia ab eo fuiſſe librum. Cuius generis volumina ab aduenis conquiſita in bibliotheca fuere plura; ſollenne adeo vt iis inſcriberetur *τῶν ἐκ πλοίων*, h. eſſe librum ex iis qui e naui aliqua retenti eſſent. Dubitatum quoque, vtrum Memnon eſſet emendator libri (*διορθωτής*) an tantum poſſeſſor. Narrat inde Galenus aliud exemplum ſtudii, quo idem Ptolemaeus in libros conquirendos ferebatur, quod Sophoclis, Euripidis et Aeſchyli libros acceptos ab Athenienſibus deſcribi curauit, reddiditque apographa, remiſſis XV talentis argenti quae debebantur ab Athenienſibus. Hoc volumen appellatum apud Galen. p. 238. F. *βιβλίον]ι τῶν Πτολεμαίου τοῦ Εὐεργέτου κληθέντος, ἔχον αὐτοὺς (τοὺς χαρακτῆρας) διασκευασμένους ὑπό τινος ἰατροῦ Παμφυλίου τὸ γένος, ἐκ πόλεως Σιδικῆς, Κλεοφαντίου τὴν αἵρεσιν* (male in ed. Chart. *ἰατροῦ παμφίλου, τὸ γένος ἐκ πόλεως Ἰνδικῆς*). Vniuerſe de ſubnata hac hominibus ex regum ſtudio ad libros parandos conuerſo fraude Galeni locus agit in Hippocr. de nat. hom. Comment. I, p. 127. ed. Chart. B. vbi auctoritatem libri Hippocratei ex Platonis teſtimonio firmat: *πρὶν γὰρ τοὺς ἐν Ἀλεξανδρείᾳ τε καὶ Περγάμῳ γενέσθαι βασιλεῖς ἐπὶ κτήσει παλαιῶν βιβλίων φιλοτιμηθέντας, οὐδέπω ψευδῶς ἐπεγέγραπτο σύγγραμμα*; (quod vniuerſe vix verum) *λαμβάνειν δ' ἀρξαμένων μισθὸν τῶν κομιζόντων αὐτοῖς συγγράμματα παλαιοῦ τινος ἀνδρὸς, οὕτως ἤδη πολλὰ ψευδῶς ἐπιγράφοντες ἐκόμιζον.* Ad certamen regum etiam locus Vitruuii prol. lib. VII. ſpectat, de quo iam actum; nec tamen ex eo quicquam ad tempora conſtituenda colligas.

in Serapeo, hoc eſt Serapidis fano, acceſſiſſe ſatis conſtat *). Cum autem altera in Bruchio pars, oppugnata a Caeſare vrbe, conflagraſſet, tanto maioribus copiis aucta eſt altera, inprimis ſpoliis bibliothecae Attalicae ab Antonio Cleopatrae donatis. (Plutarch. Anton. p. 943.). Verum haec tam ſtrictim et obiter narrata reperimus, vt fortunae, quae tot alia quae ſcire nihil intereſt ſeruauit, iraſci lubeat. Serapei laudes, tanquam rei ſuo adhuc tempore memorabilis, Ammianus perſequitur (lib. XXII. extr.) de bibliotheca tamen obſcuris et ambiguis verbis agit, nam laudato Serapeo, *in quo*, inquit, *bibliothecae fuerunt inaeſtimabiles, et loquitur monumentorum veterum concinens fides, LXX. voluminum millia, Ptolemaeis regibus vigiliis intentis compoſita, bello Alexandrino dum diripitur ciuitas ſub dictatore Caeſare conflagraſſe.* Confuſam ab eo eſſe alteram bibliothecam quae in Bruchio erat, manifeſtum fit. Serapeo a Chri-

*) Multa argutantur viri docti nulla auctoritate idonea ſuffulti ſuper temporibus, quibus vtraque condita fuit; Oroſio quoque auctore dubitant, an bello Alexandrino Caeſaris ſuperfuerit vlla alia v. *Bonamy* l. c. Ceterum locus religionem habuit, quia Serapidis fanum erat, cui videntur oeci et porticus additae fuiſſe, quibus bibliotheca ſeruabatur. Videtur hinc dignitas ſacerdotis collata fuiſſe in eum, qui Muſeo praeſideret (v. Strab. ſup. laud.) et ſub euerſionem Serapei commemorantur a Socrate (lib. V, 16.) Helladius et Ammonius grammatici, quorum ille ſacerdos Iouis, hic ſimii fuere; hoc eſt dei alicuius, cuius hieroglyphum ſimius eſſet; etſi quis ille deus fuerit, quem pithecus, cercopithecus, cynocephalus, referrent, nondum reperi. Serapidis ſignum coloſſeum fuiſſe e ligno factum amictu ex auro indutum colligo cum ex aliis tum e Rufino II, 23.

Chriſtianis euerſo ex conſtitutione Theodoſiana a. 391. bibliothecam quoque fuiſſe afflictam, ex Oroſio ſaltem conſtat, qui paullo ante illos annos Alexandriam adierat; is igitur (lib. VI, 15.). *Vnde*, inquit, quamlibet *hodieque in templis* (Serapeo) *exſtent, quae et nos vidimus, armaria librorum, quibus direptis exinanita ea a noſtris hominibus memorent* — Bibliothecam tamen poſt hanc quoque cladem aut reſtitutam aut aliis libris locupletatam fuiſſe, teſtantur ea, quae de nouiſſima eius clade, capta ab Arabibus Alexandria, A. C. 640. narrari ſolent, fabulis ſimilia nec alia, praeterquam Abulpharagii, fide tradita.

Eorum, qui bibliothecae praefecti fuere, recenſum pararunt quidem viri docti; monumentorum tamen defectus eorum ſtudiis parum reſpondit *). Primo loco Demetrius Phalereus praefuiſſe dicitur, forte re verius quam nomine, tum Zenodotus Epheſius, hic quidem ſub Philadelpho; ſub Euergete autem Eratoſthenes; inde Apollonius Rhodius et ſecundum hunc Ariſtonymus, vterque ſub Epiphane; additur Ariſtophanes Byzantinus; et aliquanto poſt ſub Tiberio Chaeremon, poſt Neronem Dionyſius Glauci f. (apud Suid. h. v.). Sed omnia haec valde impedita ſunt: non enim habemus niſi exſcriptoris Suidae et mutila grammaticorum loca: qui vtinam periiſſent ipſi, ſeruatis iſtorum quos exſcripſere ſcriptis! Nec expedita res eſt, iidemne Muſeo praefuerint,

*) Ionſius Hiſt. philoſ. I, 18. p. 101. Fabric. B. Gr. To. I, p. 272. 4. To. VII, p. 79. I. Fr. Gronov. l. c. Theſ. A. G. To. VIII, p. 2762. Bonamicus l. c. p. 402. ſq.

rint, qui bibliothecae. Nam Vitruuio (praef. lib. VII.) fidere non poſſumus, cum ille et alia eo in loco parum explorate tradat *).

Dixi

*) Cf. Gronov. l. c. Theſ. Gr. To. VIII, p. 2745. vbi et Νεωκόρος Muſei Alexandrini Aſclepiades pancratiaſtes excitatur ex inſcript. ap. Falconer. Locum Vitruuii et hic apponerem, niſi eſſet paullo prolixior. Narrat reges Attalicos et Ptolemaeum librorum comparandorum ſtudiis inter ſe certaſſe; Ptolemaeum autem praeterea Muſis et Apollini ludos dedicaſſe, et *communium ſcriptorum* (an populariter ſcribentium? vt, poetis, rhetoribus) *victoribus praemia et honores conſtituiſſe. His ita inſtitutis, cum ludi adeſſent, iudices litterati, qui ea probarent, erant legendi. Rex cum iam ex ciuitate ſex lectos habuiſſet, nec tam cito ſeptimum idoneum inueniret* — vt verbo dicam ſeptimus allectus eſt Ariſtophanes — eumque rex muneribus ornauit *et ſupra bibliothecam conſtituit. Reges Attalici*, qui in Vitruuio memorantur, alii eſſe vix poſſunt quam Eumenes II. et Attalus II. qui Pergamum vt multis artium operibus, ita librariis quoque opibus, ornarunt: regnauit ille ab a. ante C. 197. hic ab a. 159. Ptolemaei, qui his temporibus vixere, fuere Epiphanes, Philometor et Euergetes II. ſ. Phyſcon; ad hunc igitur et Attalum II. ſpectare videri poſſint ea, quae Vitruuius narrauit, (et ſic ſtatuere video Bonamicum l. c. p. 406. ſqq. To. IX.) niſi Ariſtophanis Byzantini aetas vetaret, qui ante C. N. 200 floruiſſe fertur (Olymp. 145, 1.) vt adeo ludi illi muſici ad Ptolemaeum Epiphanem reuocandi ſint, quo annum octauum imperante Eumenes II. regnare coepit. In Epiphane tamen qui puer regnum adiit et anno 28. obiit, tantum litterarum ſtudium parum probabile narratu foret. Vitruuius de Philadelpho cogitauit; idem non minus perperam ſubiicit: *Inſequentibus annis a Macedonia Zoilus* etc. Atqui ille multo ante Ariſtophanem tempore Alexandriam adierat, Philadelphi vtique aetate. Non minus ambiguam temporis diiudicationem facit alter Plinii locus XIII, 11. ſ. 21. vbi de papyro: *mox aemulatione circa bibliothecas regum Ptolemaei et Eumenis, ſupprimente chartas Ptolemaeo, idem*

Dixi ſupra ingenia Alexandrinorum, vrbis frequentiam et commercia, luxum et effuſa in ludos ſtudia, magnam ad litterarum deflexus et inclinationes vim habuiſſe videri. Inſanum hoc Alexandrinorum in ludos et ſpectacula ſtudium copioſe redarguit Dio Pruſenſis *). Nec ſane ſine regum culpa ita acciſſe videtur. Incredibiles enim ludorum apparatus ſub ipſum regni initium a Philadelpho factos legimno apud Athenaeum: Dionyſi honorem ea prae ſe tuliſſe videntur. Attingit ludos Dionyſo factos Theocritus **), idem Adonia. Ludos Muſis et Apollini

 inſti-

idem Varro membranas Pergami tradidit repertas. Non poteſt Eumenes eſſe alius quam ſecundus, at Ptolemaeus vter fuiſſe dicendus eſt? Malim equidem de Euergete II. accipere, cuius initia regni in extremos Eumenis II. annos cadunt. Vitruuius tamen ad Epiphanem retrahit. Ad eosdem adeo praecipue contentio illa, quae inter Alexandriae et Pergami reges fuiſſe traditur, *qui bibliothecas magno certamine inſtituere*, (Plin. XXXV, 2.) referenda erit. Nec Hieronymi nos auctoritas abſtrahet, qui parum explorate *Attalum* in Epiſt. ad Chromatium memorat: *chartam defuiſſe non puto, Aegypto miniſtrante commercia; et ſi alicui Ptolemaeus maria clauſiſſet, tamen rex Attalus membranas a Pergamo miſerat, vt penuria chartae penitus penſaretur.* Bonamicus l. l. p. 404. ſuſpicabatur, Ariſtonymum, bibliothecis ſub Ptolemaeo Epiphane praefectum, qui ad Eumenem profectionem paraſſe dicitur, odia regum excitaſſe.

*) Erant ludi et theatrales et in ſtadio: hi quidem circenſes aurigarum potius; vt e Dione colligo p. 384. ſq. add. Philoſtr. Vit. Apollon. V, 26. illi muſici, mimorum et pantomimorum, pſaltriarum et citharoedorum. Stadium erat pro Circo vel hippodromo; theatrum *τὸ Διονυσιακὸν θέατρον*. Polyb. XV. Exc. 28.

**) Idyll. XVII, 112. ſqq.

inſtitutos, in quibus recitationes fierent, e Vitruuio nouimus (praef. lib. VII.). Quinquennalia certamina in Serapio ſuo tempore habita Strabo *) memorat. Recitationes illae virorum doctorum, ſcripta ſua hoc modo in vulgus proferentium, vti ſtudia accendere potuerunt, ita ad declamationem et affectationem neceſſario duxerunt **). Magni illi Athenis viri, quoties animi impetus vel conſilium ita ferret, ad ſcribendum ſe contulere; at hi, qui oſtentandi ingenii cauſſa, ad eorum, quibus probari cuperent, ſtudium et cupiditatem, lucri aut gloriae aucupandae cauſſa. Hoc idem de Alexandrinorum auditionibus teſtatur Dio (p. 363. extr.)

Quae vero Alexandrinis propria fuiſſe feruntur, ſeu ingenia ſeu mores ſpectes, magna ex parte communia dixeris magnis vrbibus, et frequentia hominum laborantibus, inprimis quae nauigationis et commerciorum ſtudiis tenentur ***); multo magis ſi aulae ſepta eadem vrbe comprehenſa reputes: hactenus vix vrbs aliqua noſtra aetate eſt, quae cum ea comparari poſſit, niſi forte Londinum. Nec multum inter ſe diſcrepant ſeu potentum ſeu plebis ingenia per omnia ſaecula comparatione facta. Quanta vitae elegantia ſub Ptolemaeis fuerit, e praeſtantiſſimo Idyl-

*) Strabo XVII, p. 1145.

**) Non male hinc Caligula de Senecae ſcriptis ap. Sueton. 53. *eſſe eas commiſſiones.*

***) Multo magis in vrbe, in qua forum non vnius ciuitatis vel prouinciae, ſed totius terrarum orbis erat, cum in confiniis omnium terrarum media ſita eſſet: vt ait Dio p. 372. A. B.

Idyllio Theocriti, eximio vitae priuatae monimento, diſcimus. Conueniunt in eo ſcriptores, et, quod mireris, per omnia tempora, Alexandrinorum ingenia fuiſſe ſollertia ad inueniendum et excogitandum, ſimulque vafra, callida; eadem porro leuia, varia, tumultuantia *). Non potuit non in Alexandrinorum ingenia inſinuare ſe aliquid ex vetere Aegyptiorum ſuperſtitione et longa ſeruitute **), quae meticulo-

*) *Hirtius* Bell. Alex. 3. *Ipſi homines, ingenioſiſſimi atque acutiſſimi, quae a nobis fieri viderant, ea ſollertia efficiebant, vt noſtri illorum opera imitari viderentur; et ſua ſponte multa reperiebant* — Dio Pruſaeus in nobili oratione ad Alex. (p. 379.) morbum eorum ſugillat, quod videri volebant dicaces et vrbani, at erant ſcurriles et ridiculi. Sunt ibi multa alia de ingeniis Alexandrinorum: ſtudium ſummum ſpectaculorum p. 382. ſq. acroaſes rhetorum et poetarum in theatris, ſed ad populi arbitrium: p. 363. D. cantillabant auditores in recitatione p. 382. extr. Philo adv. Flaccum Alexandrinos pluribus locis exagitat vt leues ac ſeditioſos p. 519. extr. de Virtut. p. 563. ſq. Strabo, laudato Polybio, lib. XVII, p. 1148. Veteribus iam Aegyptiis ſimile ingenium tribuere voluere nonnulli, vt intelligas ex Plutarcho T. II. p. 380. A. Studiis inanibus dedita erant ingenia; vt mimorum, morionum, pſaltriarum, citharoedorum; iidem dicteriis, cauillationibus, riſibus ſibi placentes, lingua promti et dicaces. Hac ſua dicacitate ſaepe ſibi mala acceſſiuerunt, inprimis Caracallae immanitate in ſuam cladem prouocata. Herodian IV, 16. Dio LXXVII, 22. cf. de maledicentia in Veſpaſianum LXVI, 8. et vtroque loco notas. Verum Alexandrinorum ingeniorum picturam ad viuum delineatam Adriani Aug. epiſtola exhibet lectu digniſſima apud Vopiſc. Saturn. 8. add. ibid. c. 7. Vopiſci iudicium.

**) Dignum eſt memoratu, quod apud Philoſtr. Apollon. V, 24. occurrit, Aegyptum ſuperiorem priſcum religionum ſtudium retinuiſſe, *ἡ Αἴγυπτος ἡ ἄνω, μεστοὶ θεολογιάς ὄντες.*

culoſa et adulatoria ingenia fingere ſolet. Increbuit ſuperſtitio vtpote in plebe inter *incerta fortunae ex mercatu et nauigatione* iactata, aduenarum ex diuerſis terris confluentium et promiſcue habitantium coetibus admixtis, inprimis Iudaeorum, a Philometoris maxime temporibus, quorum Philo non minus quam decies centena millia Alexandriae et per Aegyptum habitantium memorat *).

*) Philo adv. Flacc. p. 523. l. 30. Sane decies centena millia Iudaeorum ad mores et litteras indigenarum immutandas nimium quantum conferre debuere. Ex quinque vrbis partibus duae habitabantur a Iudaeis, quamuis et in aliis haud pauci domicilia habebant. p. 525. l. 23.

AD

SANCTAM MEMORIAM

AVGVSTISSIMI AC SERENISSIMI
PRINCIPIS AC DOMINI

GEORGII II.

MAGNAE BRITANNIAE FRANCIAE ET HIBERNIAE REGIS
DEFENSORIS FIDEI
DVCIS BRVNSVIC. ET LVNEB. S. R. I. ARCHITHES. ET ELECTORIS
PATRIS PATRIAE DESIDERATISSIMI

RECTORIS SVI MAGNIFICENTISSIMI
PIE ET RELIGIOSE CELEBRANDAM
A. D. XXV. OCTOBRIS CIϽIϽCCLXIII.
QVI EST EMORTVALIS TERTIVS
OFFICIOSE ET HVMANITER
CIVES SVOS ET FAVTORES
INVITAT
ACADEMIA GEORGIA AVGVSTA.

Diſputantur nonnulla de iudicio,
quod defunctis Aegyptiorum regibus ſubeundum erat.

Tardum pietatis nomen, haud quaquam tamen mala noſtra fide impeditum, diſſoluimus tandem, cariſſimi Ciues, cum propter Optimi Principis, Parentis noſtri communis, Auguſtiſſimi Regis, GEORGII II. diſceſſum ex hac vita luctum publice indicimus, et, quod officium ſub ipſum grauiſſimi funeris tempus praeſtare maluiſſemus, quantum per acerba hoſtium imperia licuit, etiam praeſtitimus, anniuerſario hoc diei emortualis tertio, ad memoriam

Eius pie ſanctеque recolendam, ſollennem omnium ordinum coetum conuocamus. Exceſſerat Rex Optimus e mortali hac vita tempore quidem ſuo; quis enim ſanctus et iuſtus vir non ſuo tempore moritur, quandocunque moritur? reip. vero vtriusque, et iſtius Britannicae et huius Hannoueranae, omninoque Europaeae, tempore alieniſſimo. Nam ille quidem maturus annis, rerum geſtarum prouiſarumque gloria cumulatus, nominis ac virtutum memoria ad omnem poſteritatis aeternitatem conſecrata, in faſtigio felicitatis humanae conſtitutus, omnibusque huius vitae, iisque ampliſſimis, fructibus ſatiatus, cum extrema vitae pars in difficillima et vexatiſſima tempora incidiſſet, quibus ſanctiſſimus animus, melioribus iam curis maturus, ad ipſum rerum humanarum faſtidium adductus eſſet, tranquilla et ſubita morte, quae vere εὐθανασία dici poſſet, ad Coelites abierat; resp. vero, non modo in medio per altum curſu, ſed etiam in atrociſſima tempeſtate, procellis nimbisque valde iam afflicta, naufragio et ruinae tantum non deuota, gubernatore ſuo et magiſtro deſtituta erat. Cum itaque omnium populorum et prouinciarum luctus eo tempore eſſet acerbiſſimus, noſter tamen dolor multo etiam erat amarior, quod non modo Regem ac Patrem Patriae communem, verum etiam noſtrum proprio quodam nomine Patrem, Academiae noſtrae Parentem ac Conditorem Auguſtiſſimum, lugebamus; tanto vero acrior, quod, ſi non occultare ac premere, nec tamen publice, vultu, oratione, ſollemnibus, prodere eum per tempora licebat; vt, quanto magis ille pectore abſtruſus et occultatus lateret, quod

caeca

caeca vulnera facere ſolent, tanto latius ſerperet et intima praecordia exederet. Quamobrem, cum iam nobis redditi ſimus, hoc eſt, cum reddita animis noſtris cum pace ſermonis et affectionum libertas ſit, nihil prius antiquiusue habuimus, quam animos noſtros debitae tantis nominibus pietatis religione exoluere et luctu deſiderioque leuare; extenuari enim deſideria noſtra doloris libera ſignificatione vel commemoratione vt plurimum ſolent. Dicta itaque eſt Senatus academici decreto craſtina dies, qua ante tres hos annos ſanctiſſima anima ad melioris vitae gaudia diſceſſit, celebrandae Optimi et Immortalis Principis memoriae teſtandaeque publice pietati noſtrae. Quam quidem ita praeſtate, Ciues, vt non leui et vulgari vos defungi officio arbitremini. Eſt enim illud longe grauiſſimum, eſt longe ſanctiſſimum. Nam ſi nemo tam ferus et barbarus aut impius et inhumanus eſt, quin parentum, qui, quod natura nomen dederat, beneficiis et meritis expleverunt, mortem quamuis maturam pio funeris honore et luctu proſequatur, communem magnae huius familiae, quae earumdem legum, iurium ac bonorum, neceſſitudine continetur, Parentem non maximo dolore et luctu proſequemur? Quid vero? ſi idem communis Parens non modo communi vos indulgentia complexus ſit, ſed peculiaris etiam pietatis religione obligauerit? Atqui fuit ille omnis iucundae et verae vitae, quae inter ſapientiae et litterarum ſtudia tam liberaliter a vobis exigitur, praeſtantiſſimus auctor, Parens huius Academiae Georgiae Auguſtae et Conditor Clementiſſimus, cui et ſacrum ſuum nomen impertiri et Rectoris Magnifi-

 cen-

centiſſimi nomen mutuari ſuſtinuit, quamque tantis beneficiis cumulauit et ornauit, vt nullus natura pater tanta in aliquem filium vel dulciſſimum contuliſſe videri poſſit. Verum cum illa orationi craſtino die publice habendae relinquenda ſint, vt animus veſter iam nunc earum rerum ſenſu imbuatur, quae cum dicentis argumento audientiumque affectu coniunctae eſſe poſſunt, nos pietatem veſtram commemoratione iuſtorum et ſolemnium acuemus, quibus antiquiſſima Aegyptiorum gens, Regum ſuorum amantiſſima, funus eorum proſequuta eſſe fertur.

Locus eſt in Diodoro Siculo *) longe pulcherrimus et grauiſſimus, in quo, inter alia Aegyptiorum praeclara inſtituta, de legibus et moribus, quibus Regum vita circumſcripta fuerat, nonnulla narrantur, tam aliena ea quidem a noſtris moribus, forte etiam omnino ab opinione noſtra de humanae naturae finibus, vt, quemadmodum vulgo ea ſuſpecta reddere ſolent homines, quibus ſui mores fidem vix facere videntur, inter impoſtorum ſacerdotum Aegyptiorum mendacia Diodoro venditata, ea docti viri referrent. Apud Aegyptios, non a ſapientibus tantum diſputata, ſed omnium mortalium opinione et confeſſione firmata et vulgata res erat, leges rege potiores eſſe, easque in ipſum regem non minus imperium habere, quam in ceteros ciues, in regem quidem tanto ſeverius, quod is ad ceteros omnes legum miniſter atque arbiter eſſet. Quaecunque itaque ad regem vllo modo pertinerent, non modo, quae publice gererentur

*) Lib. I, cap. 69. ſqq.

tur et adminiſtrarentur, verum etiam, quicquid privatim ageretur, omnis inquam vitae priuatae atque ipſa victus quotidiani ratio, legum praeſcripto ac morum diſciplina deſcripta accurate ac definita erant. Scilicet non ſibi vacare, ſui iuris eſſe regem putabant, ſed populi eſſe, cuius ſaluti et felicitati totum ſe dedicarit et conſecrarit, cum nomen regium et imperium ſuſciperet: quae legentibus hominibus noſtris, qui regum vitam ex licentia ac lubidine cupiditatumque nulla lege circumſcripto ac frenato impetu aeſtimant, non dubitamus odioſa, intolerabilia et omni ſeruitute grauiora habitum iri. Seruire enim regum imperiis quam bonarum legum plerique malunt, cum parum teneant, eam demum veram eſſe libertatem, quae legum ſeruitio contineatur, tantoque magis nos liberos, noſtri iuris et poteſtatis eſſe, quanto ſeuerius et diligentius omnes ad peccandum cauſſae et irritamenta excluſa, aut quanto maior bene ac recte faciendi neceſſitas impoſita nobis ſit. Sed fateamur, quod omnino infitiari non poſſumus, cum tempora noſtra omnis ſapientiae, doctrinae et elegantiae laudem habeant, et merito ſibi vindicent, in arte tamen leges ferendi et imperiis ac regnis iura deſcribendi rerumue publicarum naturam et habitum conſtituendi nos, vt cum ſacerdotibus apud Platonem loquar, infantes eſſe. Neque hoc vllo modo mirari debemus. Imperia enim noſtra fere omnia naturas ſuas ab incondita barbaria et immanitate ducunt, et in ſumma ingeniorum feritate, omnium bonarum et ad ipſum vitae fructum vtilium rerum ignorantia, inter bellorum caediumque horrores, non condita et conſtituta, ſed temere ſuborta

et

et enata fuerunt, et, quemadmodum ſurculi, qui inter ſaxa et caementa quamuis ieiuno et ſicco ſolo radices infigunt, quaqua verſum nulla potentior externa vis inhibet, ea explicant ſe et per humum ſerpunt, in eundem fere modum, qua licuerat, accreuerunt et coaluerunt, eademque fere adulta manſerunt, niſi quod ipſa tempora rerumque viciſſitudines nonnulla in melius, alia etiam in deterius, mutarunt. Nec ſane res in multis veterum populorum imperiis aliter ſe habuiſſe videri debet. Fuere tamen regna nonnulla, quae a vita nomadica progreſſa, pluribus patribus familias in vnum coetum congregatis, regum imperium ab initio ſaltem haberent non aliud, quam quod patrum familias in ſuas familias eſſet; id quod in ipſis Aegypti primordiis eueniſſe probabile ſit, nec in plerisque Aſiae locis aliter euenire potuit; ſimili modo aliis in locis ciuitates aut tribus nomique, in aliis demi ac curiae plurium ſparſim habitantium exortae auctaeque ſunt; hinc ciuitates liberae ac respublicae legibus moribusque fundatae; ex quibus progreſſae nouae coloniae per Graeciam, Siciliam et Italiam ad meliorem rationem deſcriptae ſunt; ſi quidem illae resp. iis temporibus conſtituebantur, quibus philoſophiae ſtudia, ad hanc potiſſimum partem verſa, et ab omni inani ſubtilitate adhuc intacta, multa iam luce omnia illuſtrauerant, ad ferendas vero leges euocati erant philoſophi, non contentioſi illi aut formularii, quales proxima ab iis temporibus aetate extitiſſe legimus, ſed rebus gerendis nati homines, vere ſapientes, qui ſapientiae praecepta in vſum vitae tranſtulerant, naturas rerum atque hominum hoc vno conſi-

conſilio didicerant, ſi ad iuuandas eas aut emendandas idoneum quid excogitare poſſent, qui longo tandem rerum vſu exerciti erant et ſubacti, peregrinationibusque longinquis ſuſceptis variarum ciuitatum ac rerump. bona ac mala cognouerant. Non itaque actutum pro fabulis habere licet, quae ab antiquis, ad noſtrorum quidem morum aeſtimationem, parum veriſimilia tradita videntur; quanquam, ſi, quae nuper a Suecis *) diſciplina et inſtitutio ſobolis regiae ſapientiſſime conſtituta eſt, cum illa Aegyptia comparetur, vti ſalubritatem eius, ita ſeueritatem et auſteritatem referre ex magna parte videri poteſt; ita vt non magis fabuloſa aliquando narraturus videri debeat ſcriptor, qui vitam regum Sueciae ex iis praeceptis deſcripturus ſit; ſcilicet qualis ſaltem illa eſſe debuerit. Sapientes autem Aegyptiorum, qui, communi Orientalium more, iidem ſacerdotes erant, cum tanta inter populares ſuos auctoritate et ſanctitate eſſent, qui tandem negabimus, cum alias leges ferre, quae morum diſciplinam ſanctiorem ſancirent, tum regibus ſuis mores condere potuiſſe, quibus et ipſorum regum et reip. felicitas firmaretur, cui confirmandae vix ſatis fulturae humana arte quaeri poteſt? Si quis porro hieroglypha, quae in vetuſtiſſimi Regis Oſymandyae ſepulchro apud Diodorum **) memorantur, accurate expendat, etiam ex his ſacerdotum dicta confirmari intelliget; quanquam et ſumma illa admiratio, qua Ae-

*) V. *Forme du Gouuernement de Svede* Art. 3. p. 29. et *Actes de la Diète* de 1755. et 1756.

**) Lib. I, c. 47. ſqq.

Aegyptiorum inſtituta a ſapientiſſimis Graecorum habebantur, qui eo profecti erant, haud quaquam nullius ad fidem momenti eſt; nam quid tandem mirationem tantam facere potuiſſet, niſi fuiſſent nonnulla tam praeclara, vt ſapientiſſimis viris probarentur? Quod ſi tamen quis humanae conditionis fragilitatem et imbecillitatem ad tantum virtutis robur et faſtigium educi poſſe neget, illud certe tenebimus, vt neque Diodorum haec commentum, neque ſibi ab ſacrificulis imponi paſſum pronuntiemus, ſed, cum ille, aut is, quem exſcripſit, ex commentariis ſacerdotum ſacris *) accurate penſitata transſcripſiſſe ea dicat, vt fuiſſe inter commentarios eos nonnullos ethici argumenti exiſtimemus, in quibus, inter alia, regibus praecepta vtilia et conſilia praeſcripta, et, vt maiorem auctoritatem haberent, ad vetuſtiſſimos reges relata, ipſa que hiſtoriarum fide, tanquam in eum modum geſta fuiſſent, expreſſa erant. Verum de his alio tempore; In praeſenti, vita regum Aegyptiorum ſepoſita, ad eorum exitum et funus nos conferimus.

Cum Aegyptii, quod in praeclara iſta regum diſciplina aliter fieri non potuit, regibus, ſaltem nonnullis, vterentur longe optimis et iuſtiſſimis, ipſi amore eos proſequuti eſſe feruntur et pietate incredibili, vt non magis de coniugum et liberorum ac, quaecunque hominibus cariſſima eſſe ſolent, ſalute, quam de regum incolumitate ſolliciti eſſent. Cumque

*) Ib. *αὐτὰ δὲ τὰ παρὰ τοῖς ἱερεῦσι τοῖς κατ' Αἴγυπτον ἐν ταῖς ἀναγραφαῖς γεγραμμένα, φιλοτίμως ἐξητακότες, ἐκθησόμεθα.*

que omnino publica morum diſciplina animi ad beneficiorum gratam memoriam et retributionem obligati eſſent, reges illi ſuos non aliter, quam ſi dii eſſent, religioſe colebant et venerabantur. Nam et non ſine diuina eos prouidentia ſummam poteſtatem adeptos, et, quicunque mortales velint et poſſint maxima in alios conferre beneficia, eos omnino divinae naturae participes eſſe arbitrabantur *). Itaque in morte regum luctus eorum erat tantus, vt ſuum quisque parentem efferre videretur, doloremque omnibus iis rebus ſignificabant, quibus Orientalium mos cariſſimorum funera proſequi iubebat. Scindere veſtes, fana claudere, nullum ſacrum, aut feſtum diem celebrare; capite puluere foedato, nudato pectore, coetus virorum mulierumque promiſcuos facere et bis die ſollennem naeniam canere, laudes defuncti celebrare, virtutem commemorare **); ceterum victu omni lautiore ***), omni cultu elegan-

*) Secundum illud philoſophi: *πᾶν τὸ θεῖον μεταδοτικὸν τοῦ ἀγαθοῦ.* Strabo lib. XVII, p. 1177. *ὡς δ' ἐπὶ τὸ πολὺ τοὺς εὐεργέτας καὶ βασιλικοὺς θεοὺς νομίζουσι· καὶ τούτων τοὺς μὲν βασιλέας, κοινοὺς ἁπάντων μὲν σωτῆρας καὶ φύλακας* — de Meroes inſulae incolis loquitur.

**) Ita int. *ἀνακαλούμενοι τὴν ἀρετὴν τοῦ τετελευτηκότος* h. *inclamantes*, *alta voce appellantes*, *celebrantes*, non, *ab inferis reuocantes.* Diod. l. I. cap. 72.

***) *Τροφὴν δ' οὔτε τὴν ἀπὸ τῶν ἐμψύχων, οὔτε τὴν ἀπὸ τοῦ πυροῦ προσεφέροντο.* ibid. Dicas, quo igitur alio victu vſi ſunt? et forte cum aliis libris *οὔτε τὴν ἀπὸ τοῦ πυρὸς* legere malis. Enimuero oleribus, herbis, lactucis, radicibus bulboſis veſcebantur, maxime vero medullis papyri et caulibus paluſtribus, loti puta et colocaſiae, qui tenuiorum hominum et puerorum victus erat (v. ib. c. 34. c. 80.) et quo Aegyptus mirum

gantiore abſtinere. Septuaginta diebus in hunc modum exactis *), cum interea corpus defuncti conditum more gentis et compoſitum eſſet, efferebatur illud et deductum in ipſo ſepulcri ingreſſu deponebatur. Iam primum, nullam vnquam gentem ſepulcrorum monumentis plus tribuiſſe aut impendiſſe, quam Aegyptios, qui *aeternas domos* ea appellarent, has autem in vita ſedes *diuerſoria*, ſatis conſtat. Deinde diverſorum temporum aut imperiorum ac dynaſtiarum diuerſa fuiſſe ſepulcra probabile ſit. Ita antiquiſſimorum regum ſepulcra ad Thebas haud dubie fuere **). Mox, cum ad Memphim rerum ſumma conſtitiſſet, in eius vrbis vicinis locis pyramides et ſepulcra facta. Etiam in lacus Moeridis inſula, rex, eius lacus auctor, ſepulcrum et duas pyramides ſibi et vxori fecerat ***). Inde alii reges alias pyramides

rum in modum abundat v. Proſper Alpin. Rer. Aeg. lib. I, c. 17. III, 9-13. Ea res iam ex ſupputationibus impenſarum in pyramidibus ſcalptis nota ap. Herod. II, 125. ἐστε συρμαίην καὶ κρόμμυα καὶ σκόροδα.

*) Etiam hoc ad noſtros mores comparatum parum probabile videri poteſt. Si vllus Europae populus, quantus quantus eſt, non LXX. ſed X. diebus continuis feſtae celebritati ſiue luctus ſiue hilaritatis vacaret, fame interea plerisque intereundum foret, cum ſatis magna ciborum et rerum neceſſariarum copia parata omnibus non eſſet. Verum et incredibilis ſoli Aegyptiaci fertilitas et tenuis exiguusque et parcus Orientis victus, qui a ſeptentrionalium populorum ingluuie tantopere abhorret, ei rei fidem facit; cf. *Fourmont Deſcript. des Plaines d' Heliopolis* p. 96. Hinc tot dierum ſollennia et feſta a totis prouinciis in Aegypto celebrari potuere.

**) Diod. I, 47. ſqq.

***) V. ib. c. 52. cf. Herod. II, 149.

des ac ſepulcra in eius lacus vicinia, et inter ceteros Mendes, ſeu quisquis ille fuit, Labyrinthum, regium ſepulcrum, ad meridiem lacus, exſtruxerant. Prae ceteris tamen celebratiſſima ſunt ſepulcra circa Memphim, in cuius vicinia etiamnum ſabuloſa planities Saccara verſus pyramidas extenditur hypogaeis frequentiſſima. Si, quae Diodorus paullo poſt de priuatorum ſepulturis vniuerſim narrat *), ad regii funeris exemplum expreſſa ſunt, ad regium ſepulcrum peruenturis lacus naui traiiciendus erat, cuius gubernator ſeu portitor lingua patria *Charon* vocabatur; vnde Orpheum, qui peregrinatus quondam in Aegypto ſacra indigenarum cognouerat, ſuam de inferis fabulam adumbraſſe Aegyptii ſacerdotes contendiſſe narrantur. Iam lacus nomen alio loco apponit Diodorus, (c. *96.*) Acheruſiam paludem haud longe a Memphi commemorans, vtique Graece docti hominis commento. Sed in ſepulcri, quoquo tandem loco illud eſſet, veſtibulo auguſtus quidam iudicum conſeſſus regem mortuum, antequam ſepulcro inferretur, ad cauſſam pro vita acta dicendam vocabat. Poſito itaque ante verendum hoc tribunal mortuo **), libera vnicuique ex toto populo pote-

*) V. ib. I, 92. cf. ea, quae c. 70. memorantur. Quae loca ſequutus, ingenioſiſſimus Terraſſonus, praeclarae illius et ad adoleſcentulorum magnis ſenſibus imbuendos animos vtiliſſimae fabulae, *Sethos*, auctor, nobiliſſimum illud reginae Nephthes encomium funebre ſcripſit.

**) Difficultatem in hoc Diodori loco c. 92. habere videtur illud, quod iudices ſedent πέραν τῆς λίμνης, atqui non vltra lacum, ſed *citra* haec geſta putanda ſunt: loculo ad littus collocato, baris appellit; antequam tamen in barin ille imponatur, accuſatio fit: cauſſa demum

poteſtas dabatur regem accuſandi, eiusque flagitia atque iniurias commemorandi. Ex altera parte ſacerdotes dilecti erant, qui laudes eius et praeclare facta recenſerent, et crimina in eum iacta diluerent. Infinita vero, quae ad ſepulturam convenerat multitudo, aut plauſu aut fremitu dicta vtrinque excipiebat, vt, quod multis regibus eueniſſet, cum iudicum ſuffragiis et populi clamoribus damnati eſſent, ſollenni et legitima ſepultura tanto maiore cum contumelia priuarentur, quod non minus de omni futura mortui conditione, quam de ſepulturae honore, illa ſententia pronuntiatum eſſe, vulgo creditum fuiſſe veriſimile eſt. Quae quis non exiſtimet magnam ad heredes et ſucceſſores in iuſtitiae et continentiae diſciplina continendos vim habuiſſe? Iam laudes illae non ad generis nobilitatem et vetuſtatem, aut opes ac potentiam resue bellicas refe-

mum perorata ſoluit baris, et in hypogaeum vltra lacum corpus deportatum conditur. Eſt igitur *πέραν* h. l. dictum reſpectu ab hoc hypogaeo ad alterum littus facto. Attexuit tamen Diodorus, aut quem is exſcripſit, ſui oblitus, plura ab ea re aliena: nam mox, iudicio facto, inquit, cum laudatione, corpus alii in monumentis familiae deponunt (quae tamen omnia vltra lacum facta fuiſſe quis ſibi perſuadeat?) alii, quibus ea non ſunt, domi ſuae nouum faciunt conditorium *καινὸν οἴκημα*. (ita iterum a lacu domum abducunt?) Inter haec etiam illud alienum ab Aegyptiis religionibus inſeruit, quod, qui laudationem defuncti peragunt, *παρακαλοῦσι τοὺς κάτω θεοὺς σύνοικον δέξασθαι τοῖς εὐσεβέσι*. Graeca haec ſunt, non Aegyptia; non minus quam interpretatio illa picturae in ſepulcro Oſymandyae ap. Diod. I, 49. aut illa quae apud Herodotum (II, 122.) vel apud Plutarchum ſunt. (de Iſ. et Oſir. p. 362.

referebantur, ſed ad inſtitutionem et doctrinam pueritiae liberalem, iuſtitiam, pietatem, continentiam ceterasque virtutes ſpectabant; quibus peractis, preces ad deos inferos mortui nomine fiebant, vt in piorum contubernium eum reciperent. Similem formulam in *corpore condiendo* ſollennem Porphyrius memorat *); ventre enim extracto et in ciſtam repoſito, is, qui conditurum curat, ad Solem conuerſus, *O Sol rex, inquit, vosque reliqui dii auctores vitae humanae, accipite me et in ſempiternorum Deorum contubernium traducite. Ego enim deos, quos a parentibus colendos accepi, quamdiu in hoc aeuo vixi, religioſe vsquequaque colui; parentes, qui meum corpus genuerunt, ſemper honoraui; reliquorum hominum occidi neminem; depoſito quenquam neque defraudaui, neque vllum malum nefandum in quenquam commiſi. Si vero, dum vixi, aliquid de iis, quorum fas non eſt, bibendo aut comedendo peccatum eſt, non per me peccaui, ſed per illa*, indicans arcam cum ventre iuxta poſitam, et his dictis in flumen abiiciendam.

Quis Veſtrum, Ciues optimi, dum haec legitis, non Regem iuſtiſſimum, GEORGIVM II. ad tribunal illud terribile conſtitutum et fatalem vrnam poſitam animo fingit? quis non idem rectum et immotum ac ſerenum ſanctiſſimi Regis vultum, iudicum placida et annuentia ora, accuſatorum ſolitudinem, defenſorum frequentiam, ſubſelliorum plauſus et clamores ſecundos cernere et audire ſibi vide-

*) Περὶ ἀποχῆς ἐμψύχων lib. IV, 10, (p. 379. ed. Forgeroll. loco iam a Weſſel. laudato.)

detur? Quis non tantarum laudum ad nepotis Auguſtiſſimi, GEORGII III. animum magnam vim fuiſſe dicat, cum iſtas aui ſui virtutes tanta cum veritate reddat, niſi quod iuuenili decore et maieſtate eas mirum in modum ornet? Sed et ad pietatem noſtram non modo teſtandam et ſignificandam, poſterisque approbandam, verum etiam ad eam inflammandam et amplificandam multum valebit, ſi diuinas illas virtutes mirabundi expendemus et religioſe venerabimur atque adorabimus. Quod vt tanto maiore cum dignitate et amplitudine, atque etiam fructu ad animos Veſtros, fiat, craſtino die, hora X. oratione ſollenni eas virtutes earumque laudes, qua ius fasque eſt, perſequetur Profeſſor Eloqu. Collega noſtri amantiſſimus *). Ad quem beneuole audiendum, noſtraeque pietatis ſollennes caerimonias frequentia Veſtra ornandas, vt vos, Illuſtriſſimi Comites, Academiae noſtrae decora, reliquique auorum et propria virtute conſpicui Ciues, et quotquot omnium ordinum exoptatiſſimi Hoſpites ſacris noſtris fauetis, in templo Academico adeſſe, et ſolitam modeſtiam, pietatem ac religionem praeſtare nobis velitis, quam humaniſſime rogamus. PP. a. d. XXIV. Octobr. cIɔIɔccLXIII.

* * *

Conſilio ſcriptionis non male reſpondebat argumentum ex priſcis Aegyptiorum mythis petitum: de quibus quid equidem iam tum ſtatuerem (ante XX. et quod excurrit annos) non obſcure a me eſt declara-

ra-

*) Fuit illa prelo expreſſa. eod. a.

ratum; ſi apertius ac diſertius iudicium animi declarare voluiſſem, verendum erat, ne ipſe vineta mea caederem commentationisque vim et effectum, quem quaerebam, interciperem.

Parum probabilia eſſe quae Diodorus cum de iudicio ante regum corpora in hypogaeum inferenda habendo, tum omnino de ſepultura Aegyptiorum narrat, in oculos incurrit; non aeque expeditum eſt, rei ſeu verae ſeu falſae rationem ſatis probabilem afferre. Non enim ſatis eſt dicere, ſeu Diodorum, ſeu ſacerdotes eſſe mentitos cum haec narrarent; ſaltem nihil, niſi quod veri ſimile eſſet, mentiri, nec fingere potuere tanquam inſtituta populi, ſi nihil vnquam fuiſſet, quod fidem faceret; enimuero quae in ſimili argumento fingi ſolent, attemperata fere ſunt populari opinioni, deflexa a vero, immutata, aucta, fundo tamen aliquo ſeu cauſſa, quae fingendi licentiem faceret, ſubnixa. Videor autem mihi alio loco*) probabiliter diſputando forſan effeciſſe, vt ſatis appareret, nec Diodorum haec finxiſſe, quippe qui in rebus priſcorum Aegyptiorum nihil de ſuo tradidit aut tradere potuit, ſed narrata ex aliis petiit, nec eum, qui haec primus tradidit, nullo aut prauo conſilio ea exornaſſe, quae de regum vita commemorauit. Perfecti regis, ac potius inſtitutionis diſciplinaeque regiae, exemplum, ad Cyropaediae alicuius morem, ille proponere voluiſſe videtur, congeſtis in vnum ac diſpoſitis, quae forte ſingula in hiſtoriis veterum regum occurrebant, aut adin-

 ven-

*) *De Diodori fide* in *Commentat.* Vol. V, vbi v. p. 124. ſq.

ventis aliis, quae vtilia publice eſſe putaret. Malo aliquis haec tanquam vere ita geſta arripuit, quem Diodorus parum conſulto eſt ſequutus, cui ſemel propoſitum erat hoc, vt ſuam narrationem bonis praeceptis, ſententiis exemplisque oneraret.

Narrata itaque ſunt alia vera, alia veris ſimilia, aut quae ex ſapientiae praeceptis aliquis regi, ſi modo rerum natura talem regem ferret, praeſcripta eſſe voluit. Quod autem ad funus regium attinet, inſunt iis, quae memorantur, nonnulla moris vere Aegyptii: inprimis quae de luctu, tam de ſarcophago ad hypogaeum delato recitantur; nec improbabile eſt, collocato eo ſub veſtibulum, planctu noviſſime iterato, voces lugentium, laudantium, interdum et exſecrantium eſſe ſubinde auditas, recteque adeo eam rem ad iudicium populi de defuncto rege trahi potuiſſe.

Maior fingendi licentia graſſata videri poteſt in altero, quod vniuerſe de funere Aegyptiorum commemoratur (c. 91. 92.) Iam primum ea, quae de more cadauerum condiendorum allata ſunt, auctorem produnt haud indigenam, nec rerum Aegyptiarum ſatis gnarum; multo vero magis ea, quae de ſepultura et iudicum conſeſſu ſub exſequiarum tempus facto memorantur; id quod Diodorus odorari potuiſſet, niſi ei auctor probatus fuiſſet, qui vtilia traderet, potius quam qui vera. Cum autem in hoc vnum inhiaret, vt, quae ad honeſtatem, temperantiam et iuſtitiam hominum animis inſtillandam facerent, narratis intexeret, iudicium ſane de defuncto

functo cupide arripuit, idque exornauit forte de ſuo; nec animaduertit, quam parum probabile hoc eſſet, quod narrauit eum morem tanquam omnibus Aegyptiis, eundem locorum ſitum tanquam omni Aegypto, communem; ac ſi aut ex vniuerſa Aegypto ad vnum locum comportari potuiſſent cadauera, aut vbique locorum cadauer trans lacum transfretari opus fuiſſet; in ſingulorum porro priuatorum, etiam ex plebe, funeribus XL. iudicum conſeſſum celebrari potuiſſe. Deprehendere tamen et in his mihi videor nonnulla a more Aegyptio non prorſus aliena.

Quod itaque palus traiicienda erat cadaueri in crypta deponendo, hoc in nonnullis vtique locis non modo opportunitatem, verum et neceſſitatem habuit. Fuere enim in inferiore quidem Aegypto, circa Memphim vtique, ſepulcra in locis petroſis ab occidente; ipſum ſolum ſabuloſum, Saccara nunc dictum, quod Memphitarum funeribus deſtinatum fuit, fundum ſaxoſum habet arenis obductum, et iugo collium petroſo, cui pyramides acclinatae ſunt, clauditur. Iugum autem illud continuum ab occidente toti fere Aegypto, qua verſus auſtrum procedit, praetenditur. Qui itaque iter Memphi in haec loca facerent, iis modo alueus ſeu foſſa Nili, modo ſtagnum ac lacus traiiciendus fuit. Ex iis vnam paludem haud longe a Memphi Acheruſiae compararunt Graeculi ſeu Aegyptii Graeca a ſuis popularibus repetere ſoliti (Diod. I, 96, extr.). Eadem res in aliis locis vſu venire debuit, non modo intra illorum collium clauſtra, verum etiam ſuperatis illis collibus. Supereſt adhuc magna pars paludis Moeridis, nunc

Birket il Kerun diċtae, non longe ab Arſinoe, nunc *Fiume* diċta vrbe, a Coptis habitata: quae loca vtinam a noſtris peregrinatoribus, qui quidem aliqua rerum ſcientia et iudicio inſtruċti ſint, adirentur! Sunt ad eam paludem hypogaea ampliſſima, vrbis inſtar ſubterraneae, ad indigenarum opinionem; trans paludem autem colles cum cryptis, mumiarum quas vocant, conditoriis: ad has cryptas aditus patebat nullus niſi trans lacum nauigio veċtis; narrant adeo incolae locorum fabulam de homine Charonti ſimili, qui olim mercedem pro transuehendis corporibus exegiſſe dicitur *); quae fama etſi fabulis inter Coptos ab antiquo tempore propogatis accenſenda ſit, manet tamen ipſa res, vt conſtet ſimilem locorum ſitum, quem diximus, etiam in his locis fuiſſe.

Vt autem ſcriptor ille, quem Diodorus ſequutus eſt, aut quisquis narratiunculae primus auċtor fuit, iudicum conſeſſum ac tribunal animo conciperet, alio tempore ſignificaui **) me ſuſpicari anaglyphum hieroglyphicum eum hominem adduxiſſe, Occurrunt enim ſimilia partim in mumiarum faſciis, partim in anaglyphis ac piċturis ruinarum, quae Thebis atque aliis in locis paſſim obſeruata ſunt ab Pocockio et aliis; ex quo genere eſt quoque piċtura ſepulcri Oſymandyae ***).

Quod

*) *Voiage du Sr. Paul Lucas fait par ordre du Roi dans la Grece — et l' Afrique* 1714. P. II. p. 42. ſq. 50. add. Pocock T. I. p. 66.

**) Comm. *de Diodori fide* in Commentat. To. V. p. 114.

***) Ap. Diod. I, 48. 49. vbi rex effiċtus munera ſingulis diis ferens, *quo adeo declararent Oſiridi et diis inferis*

Quod autem ad locum e Porphyrio (de Abſtinentia IV, ſ. 10) attinet, totus ille redolet ſcholam e qua homo profectus eſt; neque ille rem ſui aeui memorat, verum ex Ecphanto, Pythagoreo incerti temporis philoſopho, repetitam. Subeſſe et huic narrationi fundus aliquis potuit; ſaltem venter cum aliis inteſtinis in conditura fuit extractus; potuit idem Soli oſtendi certa cum formula et in Nilum proiici; verba tamen ex Ecphanto allata aperte Pythagoreum produnt.

Contra non adeo improbabile eſt, ex iis, quae Graeci de rebus inferis fabulati ſunt, ducta nonnulla eſſe ex Aegypto; nec tam ex religionibus opinionibusque, quam ex hieroglyphis, quae Graecis aduenis occurrerant. Eo praeter Charontem referam Cerberum cum Hecate: hieroglyphis enim haec propiora ſunt.

ris, (πρός τε τὸν Ὄσιριν καὶ τοὺς κάτω παρέδρους) ſe vitam pie et iuſte transegiſſe.

*) V. ea de re Diodor. I, 91. et quae in Spicileg. Antiq. Mum. diſputata ſunt T. III. Comment. p. 84. 85.

ACADEMIAE GEORGIAE AVGVSTAE

PRORECTOR

IOANNES STEPHANVS PVTTER D.

CVM SENATV

SVCCESSOREM SVVM

RVD. AVG. VOGEL D.

COMMENDAT CIVIBVS.

A. D. II. IANVAR CIↃIↃCCLXIV.

Diſputantur nonnulla ad Simonidis verſus, in quibus, virum bonum conſtanter eſſe, difficile eſſe aſſeritur.

Quum in omnibus, quae publice vobiscum aguntur, cariſſimi Ciues, vtilitatis veſtrae ratio habetur, tum vero, ab ipſis inde Academiae noſtrae incunabulis, praeclaro illud exemplo inſtitutum eſt, vt, qotiescunque vobis ea ſollennia, in quibus rei publicae noſtrae cura magiſtratusque inſignia ad nouum Prorectorem transferuntur, indicenda ſint, de re aliqua ad mores et diſciplinam publicam priuatamque pertinente aut ad vitae honeſtatem ſanctitatemque faciente diſputatiuncula praemittatur; vt ne, dum infinitarum rerum cognitione ac cogitatione animi veſtri diſtinentur, ingeniique ac memoriae omnis vis conſumitur, interea melior animi pars, quae tamen multo

multo magis aſſiduo cultu ac diſciplina ſeuera indiget, inculta plane et neglecta iaceat, verendumque ſit, ne, dum omnia aſſequimini, quibus fingi ornarique ingenia ſolent, iis deſtituti ſitis, quibus, vt iſtorum ne vos poeniteat, et, ne ea ipſa ſiue in publicam ſiue in priuatam perniciem conuertatis, efficitur. Omnibus enim praeclari ingenii et eximiae doctrinae opibus ac copiis praeſtat animus iuſtitiae, humanitatis, temperantiae ac moderationis ſtudiis imbutus, et vnius fortiter pulchreque facti conſcientia omnibus famae gloriaeque ludibriis anteferenda eſt; ipſum autem illud, quod ingenii vi effeceris, ſi ea maior ſolito aut intentior et vberior eſt, mirationem forte facere poteſt, bonorum autem et ſapientum iudicio ita demum admiratione dignum habebitur, ſi a magna aliqua animi virtute profectum erit, aut in commune aliquantum vtilitatis afferet. Sequemur itaque et nos ſapientiſſimum illud inſtitutum in hac ſcriptione, et duce Simonidea aliqua ſententia, in quam nuper apud Platonem incideramus, commentabimur nonnulla de prauo, quod magnam etiam iuuenilium animorum partem occupare ſolet, iudicio, vitam humanam atque quotidianum hunc rerum vſum non ferre perfectam virtutem ac ſapientiam; grauitatem illam ac ſeueritatem diſciplinae, quam ſiue diuinae humanaeque leges praeſcribant, ſiue ſapientes, qui de moribus praecipiunt, oratione commendent, vitaeue colore affectent, ipſo rerum vſu, omnium auctoritate et exemplo remitti ac relaxari; "eſſe adeo tam excelſae et generoſae virtutis ſtudium vanum et inane; pati quemque ſuos manes; eſſe nonnihil fragilitati et imbecillitati huma-

nae

nae dandum, nonnihil aetati et iuuenili calori ac licentiae condonandum; quodque adeo in litterarum ſtudiis tarda nonnulla et inertia ingenia ſequi ſolent, vt mediocri aliqua doctrina contenti deſideant, id hi in vitae decurſu amplecti videntur, vt mediocri aliqua, communi ac vulgari virtute ac probitate ſe defungi ſuoque officio ſatisfacere poſſe putent.

Quo ex funeſtiſſimo errore quum non pauca in vitam noſtram mala manent, grauiſſimis quidem argumentis partim ex virtutis natura ac notione, cuius, niſi quod ad ſumma contendat, ſtudium nullum eſſe poteſt, partim ex animorum noſtrorum natura ac ratione, euellendus ille hominum animis et exſtirpandus eſt; nobis tamen quum attingenda tantum ac delibanda, non vero petractanda ea diſputatio ſit, iſta omnia relinquenda; atque ea quoque, quum paullo copioſiore oratione indigeant, quae ad excuſandam morum licentiam ac diſciplinae relaxationem ab iuuenilis aetatis impetu et proniore ad rerum iucundarum fructum natura duci diximus, in aliud tempus ſeponenda ſunt: ad ea adhaereſcamus, quae cum Simonidea noſtra ſententia aliquantum coniunctiora ſunt.

Leuitati ſcilicet haud raro eum colorem quaeri videas, quod inter homines non perfecte bonos ac ſapientes verſandum nobis ſit, et quod cum iis viuamus, quibus, magnam et excelſam aliquam virtutem ſummamque integritatem affectando, ne aut ludibrio aut odio, taedio certe ac faſtidio, ſimus, valde verendum ſit; eos itaque mores eſſe induendos,

dos et amplectendos, quibus aliis nos probaturi ſimus. Atque is locus ab ingenioſa multorum cupiditate valde ornari et amplificari ſolet. Ad quem refellendum quum egregie multa dici poſſint, vt breues tamen ſimus, habere hanc rationem aliquem tanquam veritatis fundum non negabimus. Nam obtemperandum vtique eſt et obſequendum iis, quibuscum viuimus; ſtudiis eorum, moribus et ingeniis concedendum et inſeruiendum. Eorum tamen vix aliquis, niſi profligatae illi et perditae nequitiae ſit, inuenietur, cui quisquam eo tantum nomine, quod iuſtitiam, continentiam omnemque honeſtatem colat, minus probetur; niſi forte tempus inciderit eaque rerum conditio, vt aut eius ſtudiis et conatibus flagitioſis factis verbisue reſiſtat vir bonus ac fortis, aut hominis vanitas et ambitio vera virtutis laude retundatur, aut ſuperbia et arrogantia exemplo meliore offendatur. Verum id, quod homines plerumque aegre ferre videas, ipſum illud eſt, quod omnes virtutis rationes tollit atque euertit, quando nimirum non tam virtutem aliquis, quam virtutis ſpeciem et nomen aucupatur, in eoque faſtus, ſupercilii, contemtus aliorum, vanae oſtentationis et iactationis, tanquam ſedem ponit, qua ille ſubnixus ſiue obtrectatione alios maleuola et contumeliis inceſſat, ſiue tacita contemtus ſignificatione mores cuique ſuos tanquam mendoſos et vitioſos exprobret. Interdum etiam ea, quae ex hominum ingeniis ac moribus procedunt, ad virtutis indolem ac naturam male referuntur, eiusque propria habentur; vt, ſi quis triſtis ac ſeuerae frontis, aut difficilis ac moroſi ingenii ſit, coetus hominum fugiat et in ſolitudi-

nem

nem ſe abſcondat; quod ſi conſilio et grauibus de cauſſis non ſuſceptum, ſed vitae conſuetudine, aut corporis valetudine, aut animi triſtitia, interdum feritate, conceptum et collectum eſt, tantum abeſt, vt id, quod tamen noſtris ſaepe ingeniis indulgentes facimus, virtutis naturae tribuendum eiusque proprium habendum ſit, vt etiam optabilius videri debeat, vt cum magna et praeclara virtute, integritate et moderatione, leniores, faciliores ac venuſtiores mores coniuncti forent. Omnem itaque virtutem, modo pudore et modeſtia, facilitate et humanitate, comitata veniat, omnibus ſe hominibus probaturam eſſe quis dubitet? Nam perditis et impiis hominibus placere, nemo erit ingenue natus et educatus, qui ſtudendum ſibi eſſe putare poſſit.

Sed, vt hominum conuicia aliquis effugere poſſit, ipſum tamen vitae iter tot difficultatibus obſitum, tot anfractibus, deuerticulis et erroribus implicitum eſt, vt nemo facile tam conſtantem curſum tenere poſſit, quin interdum ſiue ipſo viae errore a virtutis ſpatiis deflectat, ſiue magnae alicuius vtilitatis ſpecie et eximii boni fructu obiecto extra recti tramitem declinet, ſiue inexplicabili viarum errore et fatali neceſſitate per auia ac derupta feratur, deiiciaturque de ſtatu ac detrudatur. Satis probabiliter haec dici, quis neget, inprimis quum nonnullorum hominum vitam, inprimis quae alto loco poſita ſit, cupiditati, iniuſtitiae et incontinentiae haud parum patere videas, et nemo facile ſit, qui non aliquando in ea tempora ſe incidere meminerit, in quibus rectum curſum tenere perdifficile eſſet. Quorum

rum quidem alterum eo valere putandum eſt, vt vitae genera nonnulla ſint, in quibus aliquis communi et vulgari prudentia et honeſtate contentus eſſe non poſſit, ad excelſam vero aliquam et generoſam eximiamque virtutem eniti debeat, ſi dignitatem tueri velit. Quod vero tempora incidere aiunt, in quibus ſalus et incolumitas nulla alia ratione retineri aut recuperari poſſit, quam ſi culpam culpa redimas, crimen crimine tuearis, vt ipſa adeo neceſſitas, cui omnia humana parent, excuſationem habere videatur; in eo praeclarum illud Retzii *), ſagaciſſimi iſtius nouarum rerum molitoris, dictum auctoritatem habere debet: *Equidem*, inquit, *neminem adhuc a fortuna in eum locum adductum vidi, vt, niſi quod ipſe improbaret ac damnaret, aliud, quod ſequeretur, non haberet; Sua quisque culpa iis ſe erroribus implicat, vnde niſi alio errore et peccato pedem referre non poſſit.*

Ex his, quae adhuc dicta ſunt, nobiliſſimi iſtius Simonidei dicti vis et ratio diiudicari poteſt, de quo apud Platonem inter Protagoram et Socratem tam ſubtilis et docta diſputatio inſtituitur. Petitum illud eſt ex carmine Simonidis ad Scopam, Creontis, Theſſali, filium, quem et alio carmine, communicatis cum Caſtore et Polluce laudibus, ab eo celebratum eſſe ex ſatis nota fabula conſtat **); ex quo ta-

*) *Memoires du Cardinal de Retz*, T. I. p. 100.

**) V. Cic. de Or. II, 86. Quinctil. Inſtit. Or. XI. 2. Diuitiis autem eminebant Scopadae, quorum tamen memoriam cum aliorum potentum et diuitum nomine, interituram fuiſſe ait Theocritus Id. XVI, 36. niſi Simonidis carmina ſeruaſſent. Eſt locus ille ex pulcherrimis.

tamen carmine, praeter memorata illa apud Platonem verba, nihil ad nos peruenit *). *Bonum quidem*

*) Quum fragmentum hoc ᾄσματος Simonidei metro ſolutum, et diſiunctis paſſim atque diſperſis membris ac verbis apud Platonem Protag. p. 339. ſqq. T. I. reperiatur, reuocare id ad numeros ſuos et legibus melicis adſtringere, operae pretium eſſe duximus.

Ἄνδρ᾽ ἀγαθόν μεν ἀλαθέως γενέσθαι χαλεπὸν,
— — χερσίτε καὶ ποσὶ καὶ νόῳ τετράγω-
νον — ἄνευ ψόγου τετυγμένον —

* * * * * * * * *

Οὐδέ μοι ἐμμελέως τὸ Πιττάκειον νέμεται,
καί τοι σοφοῦ παρὰ φωτὸς, εἰρημένον. χαλεπόν
φατ᾽ ἐσθλὸν ἔμμεναι.
— — θεὸς ἂν μόνος ἔχοι τοῦτο γέρας.
Ἄνδρα δὲ — οὐκ ἔστι μὴ οὐ κακὸν ἔμ-
μεναι, ὃν ἂν τις ἀμήχανος συμφορὰ καθέλῃ.
Τοὔνεκεν οὔποτ᾽ ἐγὼ, τὸ μὴ γενέσθαι δυνατὸν
διζήμενος, κενεὰν εἰς ἄπρακτόν τ᾽ ἐλπίδα μοῖ-
ραν αἰῶνος βαλέω παναμώμαν —
ἀνθρώπων, εὐρυεδοῦς ὅσοι καρπὸν αἰνύμεθα
χθονός.
— ὑμῖν εὑρὼν ἀπαγγελέω.
— — πάντας δὲ ἐπαί-
νημί τε καὶ φιλέω, — ἑκὼν ὅστις ἂν ἔρ-
δῃ μηδὲν αἰσχρόν. —
— — ἀνάγκῃ δ᾽ οὐδὲ θεοὶ
μάχονται.

Nullus hic nec de metri ratione, (vide tamen Hephaeſt. p. 59. et 60.) nec de verborum interpretatione agendi locus eſt. v. 12. *μοῖρα αἰῶνος ἀνθρώπων*, more poetarum, pro *mortalibus* ſimpliciter dictum eſſe videtur, addita alia deſcriptione: *quotquot terrae ſpatioſae fruges conſumimus.* Quumque eodem verſu in vulgg. editum ſit: *πανάμωμον ἄνθρωπον*, ſi quis in Plat. p. 345. C. et p. 344. E. comparet, coniicere aliquis poſſit a poeta fuiſſe:

— βαλέω, πανάμωμον μαιόμενος
ἄνθρωπον, εὐρεδοῦς ὅσοι καρπὸν αἰνύμεθα
χθονὸς, ἔπειτα ὑμῖν εὑρὼν τόνδ᾽ ἀπαγγελέω.

Ce-

dem virum, inquit, *vere fieri, vndique quadratum* *), h. perfectum, *et nulla labe dehoneſtatum, difficile eſt;* et, nonnullis interiectis: *Neque mihi Pittacium illud, quanquam a ſapiente viro pronunciatum, ſatis ſcite dictum eſſe videtur: difficile, bonum virum eſſe. Enimuero hoc, tanquam praecipuum ſibi ſoli, diuina natura habet; homo autem, quem calamitatis non ſuſtinenda vis percellit, quo minus malus ſit, expectari non poteſt. Quamobrem id, quod impoſſibile eſt, ſectari ſuperſedens, vitam innocuorum mortalium in ſpem inanem et infructuoſam coniicere neutiquam auſim,* tanquam vitam perfectam et inculpatam viuere poſſint. *Ego vero vnumquemque laudo et probo, qui ſponte quidem nihil turpe committat; Neceſſitati tamen ne dii quidem cedere erubeſcunt.* Quibus in verbis, quum laudata Pittaci ſententia nequaquam diuerſa a Simonidea videatur, vt ne calumniatus eſſe videretur Simonides, quum eam reprehenderet, Socrates, a Protagora prouocatus, poſtquam eorum verborum interpretationem varie, more ſuo, tentauerat ac ſollicitauerat, eo tandem

Ceterum Socrates et hic valde coactam interpretationem inſtituit, p. 345. D. dum *ἑκὼν* v. 17. ad *ἐπαίνημι* refert, et ſupra p. 343, E. dum *ἀλαθέως* ad *χαλεπὸν* adiungit.

*) Frequentatum hoc, *τὸ τετράγωνὸν*, forte etiam ductum a Pythagoreis, qui diuinam naturam omninoque omnem perfectionem et abſolutionem *quadràto* adumbrabant. *Quadrum* enim, ſiue numerum, ſiue formam, ſiue ſolidum corpus ac cubum, reſpicias, perfectae et abſolutae naturae non minus ſymbolum haberi poteſt, ac figura *rotunda*, qua et mundum, et deum, et ſapientem repraeſentabant Stoici, vt vel ex Horatii loco notum, II. Sat. 7, 86. Reſpicit autem ad hunc Simonidis

dem delabitur *), vt Simonidem hoc velle dicat: Virum vere bonum *euadere*, (γενέςθαι) difficile vtique eſſe, poſſibile tamen; at enim, ſi quis bonus vir euaſerit, *vt in eodem ſtatu habituque per totam vitam permaneat, et vir bonus conſtanter et nullo non tempore ſit* (εἶναι), id vero non modo, quod Pittacus dixerat, *difficile*, verum adeo *impoſſibile* eſſe **), neque in humanam naturam cadere. Atque haec vetuſtiſſimis fere morum magiſtris communis eſt ſententia, vt *non cadere in humanam naturam perfectam virtutem, nec vllam mortalium probitatem ac virtutem ſpectatam ſatis et firmatam eſſe* dicant, *quin ea neceſſitatis vi et impetu de ſtatu deiiciatur ac labefactetur*; id quod innumeris locis tum ex Gnomicis veteribus, inprimis Theognide, tum ex Tragicis, maxime ex Euripide, ſi hic locus eſſet, probari poſſet. Neque eam ſententiam *ad excuſandam ac deplorandam humanae naturae ſortem* aliquantum valere negem; *ad vitiorum* tamen *aut criminum licentiam praeſidium* inde male aliquis petat, quum et tempora illa atrocia ac ferrea, in quibus talis neceſſitas exoriri poſſit, perraro incidant, et, quo minus accidant, humana fere

nidis locum Ariſtoteles Ethic. I, c. XI. — *τύχας οἴσει κάλλιστα, καὶ πάντη πάντως εμμελῶς ὅγ', ὡς ἀγαθὸς καὶ τετράγωνος, ἄνευ ψόγου.*

*) Multa tamen argute magis quam vere interſpergit, vt, cum ex particula *μεν* interpoſita argutatur: quam tamen ex eius ſenſu non poſt *ἄνδρα ἀγαθὸν* poni potuiſſe, ſermonis genius docere debebat, ſed poſt *γενέσθαι*. Nam *γενέσθαι μεν ἄνδρα ἀγαθὸν, χαλεπόν ἐστι.*

**) Reſpexiſſe eo et hoc in animo habuiſſe videntur ii, qui apud Zenobium Cent. VI, prov. 38. *χαλεπὰ ἀκούουσι τὰ ἀδύνατα.*

ſere prudentia prouideri, fortitudine, conſtantia ac moderatione perfici poſſit. Habet enim hanc egregiam quaſi dotem omnis virtus, vt non modo tranquillitatis et felicitatis animi noſtri rationes ex ea pendeant, verum etiam, vt, quantacunque vitae noſtrae in tantis rerum fluctibus praeſtari poſſit ſecuritas, ea firmiſſimo eius praeſidio contingat. Hanc itaque colite, Ciues cariſſimi, hanc amplectimini, ſine hac nullius rei iucundae verum fructum, nullius aduerſae ſatis magnum ſolatium eſſe putate. Facietis hoc tanto maioribus cum ſtudiis, quod eum laudum veſtrarum ac virtutum cognitorem, eum diſciplinae publicae exactorem per hoc ſemeſtre habebitis, quem, quum magna in omni vitae tempore humanitate inſignis ſit, ſumma vos beneuolentia ac fide amplexurum eſſe dubitari nequit. Eſt is vir multis artis medicae egregiaeque doctrinae monimentis clariſſimus,

RVD. AVG. VOGEL D.

qui *a. d. II. Ianuar. hor. X. in templo Academico* ex lege Regia noſtrisque ſuffragiis magiſtratum Academicum ſuſcipiet. Pietatis itaque veſtrae et officii in illum hoc quaſi bonum facite augurium, hoc totius anni huius date tanquam laetum aliquod auſpicium, vt hanc ceremoniam veſtra frequentia ornetis. Quod ſi precibus noſtris dabitis, vt vos, Illuſtriſſimi Comites, praeſentia veſtra ſplendorem ſolemni huic pompae addere, vosque omnes, qui generoſo ſanguine, animorum ingeniorumque nobilitate doctrinaeque honeſtae ſtudiis, Ciuitati huic litterariae decori ornamentoque eſtis, obſequium veſtrum

L 2 et

et obſeruantiam nouo Prorectori probare velitis, magnum nos noſtri, quo vos amplectimur, amoris et caritatis fructum ferre putabimus. PP. prid. Kal. Ianuar. CIↄIↄCCLXIII.

* *   * *   * *
*   *   *

Verba fragmenti Simonidei mihi ita conſtituiſſe videbar, vt ad polyſchematiſtum carmen ſeu ad choriambicum mixtum ea referrem, choriambo iambis admixtis hoc fere ſchemate:

— ∪ ∪	— ∪ ∪ —	∪ —	∪ —	— ∪ ∪ —
— — ∪		— ∪	— ∪	
∪ — —		∪ ∪	∪ ∪	
— — —		— —	— —	

Eſto tamen de hoc iudicium cuique ſuum; in lubrico enim loco me verſari bene memineram.

De ſententia multo difficilius eſt pronuntiare, cum ea, quae in medio carmine interpoſita erant, a Platone praetermiſſa ſint. Interpretandi quidem ſubtilitatem in aliis quoque, quae Plato ex antiquioribus memorat, deſideramus: cum grammaticae artis vix elementa illa aetate recte tenerentur. Videtur a Simonide primum omnino Scopas tanquam vir vere bonus laudatus eſſe; ſubiectis mox aliis, quibus ille neceſſitate adactus in ciues forte inclementius quid ſtatuerat, nunc poeta Pittaci dictum hactenus emendat, vt *non tam difficile homini, quam omnino impoſſibile, nec niſi deo conceſſum* cenſeat, *nunquam de curſu recti deiici*, et honeſtatem intactam illibatamque per omnia vitae tempora retinere. Conuenit hoc etiam cum Pittacei dicti ſententia et cum iis quae de temporibus et rationibus memorantur, quibus adductus

duſtus Pittacus verbum illud pronuntiauerit: difficilem rem eſſe *bonum virum eſſe*, ſeu verius, *bonum virum conſtanter eſſe.* Ipſe enim iam ſenex ad tyrannidem fuerat admotus. V. Plutarch. Conuiv. p. 763. E. Suid. in Πίτταχος. cf. Zenob. VI, 38.

Quod ad ſingulas fragmenti partes attinet: primus verſus a Diogene Laertio lib. I, §. 76. memoratur, ſed parum accurate, et ex h. l. emendandus. Idem ad Pittacum refert illa: ἀνάγκᾳ δ' οὐδὲ θεοὶ μάχονται: verum delendum hoc in Diogene, quippe quod male ex margine irrepſit: quemadmodum et vox Πιττάκειον. Conuenit, ſed et ipſe mendo liberandus, Suidas in Πιττάκειον. cf. Menag. ad Diog. l. l. Quod in primis verſibus τετράγωνος, ἄνευ ψόγου τετυγμένος dicitur, apud Suid. in τετράγωνος ex Damaſcio legitur τεταγμένος. quod minus bene defendebat et apud Iulianum quoque (in Caeſ. p. 46.) reponi volebat Cuper. Obſſ. I, 11. p. 81. eſt enim τεύχειν *fabrefacere, fingĕre.* In *quadrato* autem, tanquam ſymbolo firmitudinis et conſtantiae, dici vix poteſt quantopere ſibi placuerint veteres. Inprimis autem res traducta ad Mercurium, cuius hermae quadratae ad eundem ſenſum reuocatae ſunt. V. Suid. in Ἑρμῶν (quem locum etiam Schol. Thucyd. VI, 27. p. 394. habet) et in Ἑρμῆν. Quid quod eundem quadratae baſi inſiſtentem, quod in aliis ſtatuis non minus ſolenne fuit, eandem ſtabilitatis, fortitudinis et veritatis notionem animis ſubminiſtrare volebant. V. Galen. Protrept. 3. Vltimi verſus ſententiam ἀνάγκῃ δ' οὐδὲ θεοὶ μάχονται docte illuſtratam dedit Spanhem. in Callim. Del. 122. inpr. ex Stobaei Ecl. phyſ. I, 8.

ACA-

ACADEMIAE GEORGIAE AVGVSTAE
PRORECTOR
RVD. AVGVSTIN. VOGEL D.
CVM SENATV
SVCCESSOREM SVVM
GOTTFRIED ACHENWALL D.
COMMENDAT CIVIBVS
IN A. D. II. IVL. CIↃIↃCCLXIV.

Diſputantur nonnulla de efficaci ad diſciplinam publicam priuatamque vetuſtiſſimorum poëtarum doctrina.

Veterum ſcripta quisquis ita legit, vt, animum continuo ad ſua tempora referens, diuerſorum populorum ac temporum diuerſas opiniones iisdemque de rebus iudicia diuerſa animaduertat, et in varietatis huius cauſſas ſedulo inquirat, is mirabitur forſitan, qui factum ſit, vt, cum poetae noſtri nullis fere praemiis et honoribus publice ornentur, neque eorum doctrinae ac ſententiae in grauioribus diſciplinis vlla admodum habeatur ratio, contra apud priſcas Graeciae gentes tanta poetarum dignitas, tanta auctoritas fuerit, atque ea quidem tam conſtans et perpetua, vt, ſiue illae barbarae omniumque artium et iucundarum ad vitam rerum rudes et ignarae eſſent, ſiue ad manſuetiorem et humaniorem vitae cultum tranſiiſſent, leges, mores, ac religiones diſciplinamque publicam ac priuatam ab iis pete-

peterent; quid? quod iis quoque temporibus, quibus ad maturitatem doctrinae ingenia tanquam percocta eſſent, doctiſſimus quisque philoſophus laudare antiquos poetas et ad confirmandam ſententiam ſuam eos aduocare ſolet. Quam quidem rem inter noſtros philoſophos paullo aliter ſe habere, non opus eſt, vt multis doceamus. Nos enim, iis ſimiles, qui feminarum omne officium in illecebris oblectamentisque eſſe poſitum volunt, praeterquam quae ad delectandum animum noſtrum aut ornandum faciant, vix quicquam exſpectari a poetis poſſe, exiſtimare videmur. Cuius iudicii de eadem re, carmine inquam, inter veteres populos et noſtros homines tam diuerſi cauſſas facile deprehendere licet cum in diſſimili temporum antiquorum ac recentiorum conditione, tum in diſpari poetarum vita, more et inſtituto, ipſorumque carminum argumentis variis inter ſe ac diſcrepantibus: vt mirum adeo non ſit, in ſumma rerum hominum temporumque diuerſitate diuerſa quoque occurrere iudicia, nec easdem rerum dignationes et auctoritates per omnem aeui decurſum perſtitiſſe.

Iam omnium primum illud hiſtoriarum fide ſatis conſtat, eiusque rei cauſſae e natura animi noſtri ductae ſatis idoneae memorari poſſunt, apud omnes populos barbaros cantus ac muſices ſaltationisque ſummam laudem eſſe *). Quod enim in homi-

*) Egit nuper ea de re, ingenioſe tamen in nonnullis potius, quam ſubtiliter ſatis ac docte, *Brown*, egregiae ſagacitatis vir, in *Diſſertation on the riſe, union and power — of Poetry and Muſic* Lond, 1763. Sed earum

minum natura omnino poſitum eſſe videmus, vt ſenſuum et affectionum animi ac commotionum multo maturior in pueris oratio aliqua ſit, quam rationis et intelligentiae; idem in populis barbaris et agreſtibus fieri audimus, vt intra ea, quae appetunt aut metuunt, quibus gaudent ac dolent, primus eorum ſermo ſe contineat, vtque is multo cum corporis orisque motu ac geſtu, clamore incondito, vocisque magna intentione, coniunctus ſit. Inde ſaltationes ac choreae, cantusque et muſici ſoni, rudiores quidem illi et diſſoni, a quibus tamen facile ad numeros certos modosque res deducitur. Quam rerum naturam, et peregrinantium inter barbaras gentes Europaeorum fidem, ſi ſequaris, nullus forte barbarus populus aut eſt, aut vnquam fuit, qui non animorum grauiter inpulſorum commotorumque ſenſus affectusque clamore ad numeros motusque corporis facto declararet, adeoque ſua carmina, quamvis incondita et horrida, haberet, quibus ſeu laetos ſeu triſtes caſus perſequeretur, in coetibus ſeu publicis ſeu familiaribus cantu et ſaltatione torporem barbaris innatum detergeret, et modo fortunas ſuas ac facta resque geſtas, modo maiorum ſuorum ac fortium virorum laudes, bella ac victorias, aut res calamitoſas et adverſas celebraret, tum, ſi ad vllum aliquem vitae melioris fructum proceſſiſſet, ea quae ad religiones et vitae in-

rum rerum lineas iam duxerat acutus philoſophus, *Condillac*, in *Eſſai ſur l'Origine des Connoiſſances humaines;* et obſeruata id genus multa paſſim ab Herodoto, aliisque, etiam in Lucianeo libello *de Saltatione*, et in multis aliis, ſi modo animum aduerteris, veterum ſcriptorum, inprimis Strabonis, locis.

inſtituta pertinerent, commemoraret. Ita factum eſt, vt nulla eſſent ſeu publica ſeu priuata ſollennia ac feſta, nulla panegyris nullusque coetus, ſeu venatione ſeu meſſe, pugna ac foedere, ſacroue gentilium vel popularium celebrato, in conuiuiis maxime frequentibus, quin cantu ſaltationeque perſtreperent loca ſacra ac profana. Iucundum itaque ad cognoſcendum eſt, dum eadem fere, quae de Canadenſibus, Iroquoiſenſibus aliisque barbaris narrantur, de primis Graeciae Italiaeque populis memorata legas, multa vero vitae inſtituta, multos ciuitatum mores legesque, multas hominum opiniones, quae, multo ſerioribus temporibus, inter Graecos cultiores viguerunt et paſſim obtinuerunt, ad origines has, tanquam ad cauſſas ſuas, referre poſſis. Hinc verbi cauſſa conuiuiorum communium ac publicorum tanta frequentia, ſollenniumque ac feſtorum incredibiles illae celebritates; omnis enim barbarus populus magnos popularium coetus et congregationes ſollennes facere amat; contra vero quo maiora diuerſorum inter ſe populorum commercia fiunt, eo rariores ipſorum popularium coetus fieri dicas; hinc amor ille chorearum, cantusque ac muſices; hinc plurimae in ſacris faciendis religiones et ceremoniae et, quae inter barbaros prima in ſacris deprehenditur, magnificentia apparatus. In hac hominum vita, hoc carminum amore ac ſtudio quis non expectet auctores ſeu carminum ſeu ſaltationis cantusque honore haberi, primum coetu facto locum obtinere, magna inter ſuos eſſe auctoritate? incenſa popularium ſtudiis et plauſibus ingenia ad noua et maiora tendere? in nouos numeros ac modos,

in noua carminum argumenta imminere? Ita emendatior in dies elaboratiorque carminis ratio; noua argumentorum inuenta; oratio locupletata ornataque; mythorum nouitas et varietas; vno verbo, omnia ea, quae de vetuſtiſſimo inter Graecos carmine eiusque emendatione ac perfectione ſeu memorata legimus ſeu probabili ratione facta aſſequimur. Multa ſunt quae ex hoc rerum ordine ac progreſſu intelligi et ad certas rationes cauſſasque reuocari poſſunt, inprimisque poeticae orationis antiquior, quam vulgaris, ortus, ſummaque eius, etſi in populo rudi, ad aurium iudicium iucunditas, verborum copia et varietas, numerorum facilitas; cur a narratione omnis priſca poeſis proceſſerit, carmenque epicum vnde naturam ſuam ac legem acceperit? inde drama quomodo natum et conſtitutum fuerit? vnde tantus mythorum in vetere Graecia amor ſtudiumque, et ex ſtudio tanta copia ac diuerſitas? Verbo, innumera ſunt quae inde ſeu lucem tenebris depulſis foenerantur, ſeu cauſſas ſibi iuſtas aſſignatas habent. Qui itaque primi vagantibus paſſim Graeciae populis certas ſedes melioremque vitae cultum attulere, carmine id eos perfeciſſe peruulgatum eſt; quaecunque vitae morumque praecepta et inſtituta traderentur, quae leges condendis ciuitatibus ſcriberentur, quae religiones ſancirentur, carmine ad citharam aut lyram cani ſolitas. Nunc tandem locum habuit praeclarum illud Horatii: *Silueſtres homines ſacer interpresque deorum et reliqua* (Art. 390,) et illa: *fuit haec ſapientia quondam Publica priuatis ſecernere, ſacra profanis, Concubitu prohibere vago, dare iura maritis, Oppida moliri,*

moliri, leges incidere ſaxo: Sic honor et nomen diuinis vatibus atque Carminibus venit *). Quid quod ea ipſa res ad tanto maiorem et duraturam celebritatem facere debuit, quod in ſua quisque tribu omnium ſuffragiis et iudiciis ſummus haberetur vates. Noſtro enim tempore quo latius propagatur fama magni viri, eo tenuior eſſe ſolet applauſus hominum etiam popularium. Frangitur impetus vndarum, quo liberius aequor. Contra vero ſi qua familia, ſi qua tribus, ciuitas, ſibi tanquam ſuum vindicare poſſet virum magnum, ſuum tribulem ſeu ciuem iactare, intelligi facile poteſt, multo maiore eum habitum fuiſſe caritate et veneratione. Ita non, vt noſtrorum doctorum virorum laus vix ad ſexcentena capita e toto populo differri ſolet, verum ad omnes et ſingulos, ſenes ac pueros, vatis ſui nomen ac fama diſſeminari, in omnium animo ac memoria haerere, vocibus et ſermonibus agitari, ad liberos adeo, ab his ad ſeram poſteritatem propagari. Ita Orphei, Lini, Muſaei, nomina ſuis quoque carminibus ſuperuixere. Cum enim poetae legum, morum, humanitatisque magiſtri vitaeque melioris auctores eſſent, mirari ne debemus, tantorum beneficiorum memoriam, cumque ea carminum ac poetarum auctoritatem et honorem, primo inter populares ſeu ciues fuiſſe magnam, mox etiam ad ſequiora ſaecula permanſiſſe **)? Mirari ne debemus illud, quod in ſecun-

*) Quales hi numeri fuerint et quae ratio cantus, vbi leges eſſent declamandae, alio tempore quaeſitum eſt: v. inf. *de Legumlatoribus veteris Graeciae* diſputata.

**) Praeclarus locus in Dial. de Orat. c. 12. *Ceterum felix illud et, vt more noſtro loquar, aureum ſaeculum poetis*

cundo illo poetarum ordine, qui in epeſin aut in hymnis deorum fortiumque virorum laudibus ingenia occupauerant, antiquiſſimum quemque poetam aut in ethico ac politico verſari argumento, interdum nil niſi ſententias morales decantare, aut fabulam ſuam, etiam epicam, ita temperare et adornare videmus, vt praeclarum aliquod et ad rem publicam vtile praeceptum popularium auribus animisque infundat?

Adeo vero veteris Graeciae vita, ex quo illa ad meliorem cultum proceſſit, tota ex antiquiore illo more pependit, vt, niſi illum apud animum rite informatum deſcriptumque viuida ſpecie et colore habeamus, nec legum ferendarum aut reip. adminiſtrandae ratio, nec vitae publicae priuataeque diſciplina, nec philoſophiae, ſeu contemplandis rerum naturis ſeu vitae inſtituendae conſecratae, cauſſae teneri recte poſſint, multo minus ad ſuas origines reuocari. Vt pauca modo attingamus: Quae nos ad pueritiae inſtitutionem in ſcholis, ad ethicam e ſacris profanisque litteris hauriri ſolitam, referimus, ea petebantur e poetis *). Antiquior philoſophandi mos ad ſententias vitae morumque fingendorum breues et concin-

poetis et vatibus abundabat, qui benefacta canerent — Nec vllis aut gloria maior aut auguſtior honor: primum apud deos, quorum proferre reſponſa et intereſſe epulis ferebantur; deinde apud illos diis genitos ſacrosque reges —

*) Τοῖς μὲν γὰρ παιδαρίοισιν Ἐστὶ διδάσκαλος ὅστις Φράζει, τοῖς δ' ἡβῶσιν γε ποιηταί. Ariſtoph. Ran. 1086. 7. (1054.) Apud Strabonem, vbi Eratoſthenes poetis delectationem vnice propoſitam eſſe dixiſſet, (vnice

cinnas ſpectabat *); quod et in philoſophiae originibus VII. Sapientum exemplo patet; idemque prius ad vitam ciuilem et publicam conſtituendam conuerſus fuit, quam ad naturae rerum ſtudium aut notiones rerum ſubtiles generatim ac ſummatim conſideratione et verbo comprehenſas **). Tum omnis priſca philoſophia ab initio carmine enuntiata eſt ***), vnde neceſſe fuit, vt multa in ipſam philoſophiam ex ſignis notionum, quibus vterentur, hoc eſt ex poetico ſermone, ſe inſinuarent. Nec vero iam multis id agendum, quod dudum egere viri docti, rerum partim experimentis id probando partim rationibus illuſtrando, vt doceamus, altius in animum deſcendere

(vnice nimirum poeticam in artis formam, vt nunc eſt, redactam, non veterem illum morem reſpiciens) *τοὐναντίον, οἱ παλαιοὶ φιλοσοφίαν τινὰ λέγουσι πρώτην τὴν ποιητικὴν, εἰσάγουσαν εἰς τὸν βίον ἡμᾶς ἐκ νέων, καὶ διδάσκουσαν ἤθη καὶ πάθη καὶ πράξεις μεθ' ἡδονῆς* lib. I, p. 28. 29.

*) Bene Plutarch. Theſ. p. 2. B. *σοφίαν* illo tempore fere conſiliis vitae, etiam domeſticis et oeconomicis, aeſtimatam fuiſſe, qualia in Heſiodo leguntur: *ἦν δὲ τῆς σοφίας ἐκείνης τοιαύτη τις, ὡς ἔοικεν, ἰδέα καὶ δύναμις, οἵᾳ χρησάμενος* Hσίοδος *ηὐδοκίμει μάλιστα περὶ τὰς ἐν τοῖς ἔργοις γνωμολογίας.*

**) Plut. Solon. p. 80. B. *φιλοσοφίας δὲ τοῦ ἠθικοῦ μάλιστα τὸ πολιτικὸν ὥςπερ οἱ πλεῖστοι τῶν τότε σοφῶν ἠγάπησε* — praeter Thaletem *τοῖς ἄλλοις ἀπὸ τῆς πολιτικῆς ἀρετῆς τὸ ὄνομα τῆς σοφίας ὑπῆρξε.*

***) *Primi philoſophi τὰ δόγματα καὶ τοὺς λόγους poemaſin extulere, vt Orpheus, Heſiodus, Parmenides, Xenophanes, Empedocles, Thales — eodem modo, vt aſtronomia primum verſibus tractata ab Eudoxo, Heſiodo, Thalete.* Plut. de Pyth. Orac. p. 402. E. cf. eund. p. 406. B. C.

dere carmine tradita, inprimis, ſi illud cantui idoneum ſit. Notum autem, antiquitus non modo lyricos modos cani ſolitos, ſed ipſum verſum heroicum cantatum fuiſſe *). Quid? quod nullus tum cantus ſine lyra aut cithara fuit, vti e contraria parte nulla citharae vel lyrae muſica ſine vocis cantu; vt adeo ipſi verſus ſententioſi non modo numeris ſuis ac modis, ſed etiam voce ac fidibus commendarentur. Apud Plutarchum **) Erato aliquis inter coenam lyra ſumta *Heſiodeorum Operum exordium* canit, et inter menſas ſecundas, libatione Muſis facta, eidem Eratoni lyram pulſanti, accinunt conuiuae *Heſiodea de Muſarum ortu* carmina ***). Atque hoc ipſum forte animo tenendum, cum tantam muſicorum modorum olim apud veteres ad inhibendos animorum impetus aut ad magnam virtutem inflammandos, vim fuiſſe audiamus, aut ſi cauſſae reddendae ſint, cur antiquarum rerumpublicarum legumlatores in inſtituendis pueris muſicae arti tantum tribuerint ****); praeterquam enim quod modorum nume-

*) Terpandrum non modo ſuis, ſed Homeri quoque verſibus, νόμον περιτιθέντα ᾄδειν ἐν τοῖς ἀγῶσι narrat Plut. de Muſica §. 2. Solon ſuam Elegiam ἐν ᾠδῇ διεξῆλθε. Plut. Sol. p. 82. C. Pythagoras dicitur μετὰ λύρας ἐμμελέστατα ceciniſſe verſus Homericos Il. ρ, 51 ſqq. Porphyr. in Vita Pyth. et Iamblich. c. 15. cf. l. l. ap. Cuper. de conſecr. Herm. p. 9. et praef. §. §.

**) Sympoſ. IX. princ.

***) Ibid. p. 743. Vide inprimis *Athenaeum* XV, p. 620. quae enim de *Rhapſodis* ad illuſtrandam rem dici poſſint, et ſatis nota ſunt, et facili negotio ad has, quas poſuimus, rationes reuocari poſſunt, cf. Heinſ. ad Heſiod. Introduct.

****) Vide v. c. Perizon. ad Aelian. VII, 15.

merorumque concentus tanta ad animos noſtros vis eſt, vt, grauiter licet commota et perturbata, mens tamen ſubſidat et ad mitem aliquem lenemque affectionem componatur; cum carmina, quae canerentur, ethici fere eſſent argumenti, etiam, ſi facta clarorum virorum et heroum celebrarentur, ipſis his ſententiis carminum ac praeceptis adoleſcentum animos ad virtutem (*σωφροσυνην και καλοκἀγαθιαν*) accendi inflammarique neceſſe erat *); quod quanta quamque diuina vi fieri debuerit quis non videt? Tenendum porro illud quoque, quod carmina canebantur in popularium ſeu tribulium coetibus, inter feſtas hilaritates, ſacris factis, cum litatum eſſet, inter epulas ſacras, in conſeſſu ſeniorum, qui, multo rerum vſu et ipſa aetate graues ac venerabiles, accinerent pedeque titubante ac cano capite numeros carminis annuerent, ſiue, quod antiquiore more factum, *ἀοιδὸς* praecineret, ſiue, quod ſerius in vſu fuit, ſurgeret ex accumbentibus qui vellet, aut lyra circumferri ſolita alter poſt alterum fides pulſaret et virorum clarorum laudes celebraret **). Cogitandum cum his, qui geſtus, quippe multo concitatiores, quae vox, qui vultus canentum fuerit. Paullo etiam maior vis ad praecepta altius in animos infigenda ipſi carminum naturae inerat; cum enim, quod

*) Coepitque hoc iam ad veteres heroes referri inprimis in Chirone. Ita enim ille Achillem erudiit cithara. cf. Horat Epod. 13, 11. ſqq.

**) Odyſſ. *θ*, 73. et ibi Clark. Quinctil. l. l. X, 10. Nulla itaque illorum hominum ſententia maior voluptas, quam accumbentes auſcultare *ἀοιδόν*. v. Odyſſ. I, 6. cf. Certamen Hom. p. 231. Rob.

quod quidem poetices proprium eſt, vt vtilitatem non niſi delectando venetur, carminibus illis, ea, quae vtiliter praecipi poſſent, ad mythos et apologos, aut iucundas certe rerum imagines reuocata oculis ipſis animisque ſubiicerentur; cum nos, iſtos mythos legendo, tantam ex iis voluptatem capiamus: eos ne, qui cantari illa carmina in conuentibus hominum aut conuiuiis, religioſis inprimis, audirent, mirifice delectatos et ad bonam mentem reuocatos fuiſſe dubitabimus? Ad innocentiam, verbi cauſſa, ad caſtitatem et integritatem vitae amplectendam, Heſiodea iſta de aurea reliquisque ſibi ſuccedentibus aetatibus, inter accumbentes, ſacris factis, conuiuio ſenes iuuenesque decantata, quam potentia fuiſſe putabimus? aut illa, quae de felicitate populi iuſti et miſeriis iniuſtae ciuitatis tam viuide repraeſentantur *)? Sed et illud in iis carminibus praeclarum, quod ad vitam maxime vtilia in iis tradebantur, aut monebantur, quibus diſciplina domeſtica, coniugum caſtitas, liberorum pudor, ciuium concordia, rerum publicarum ſalus contineretur. Tenue ad ſpeciem eſt, ſed ad omnem ciuitatum fortunam grauiſſimum, ac ſorte vnicum, vt ne deſidiae ignauiaeque quisquam in iis deditus ſit; quam diuina vero fabularum ſuauitate ac grauitate praeceptorum Heſiodus ciuibus ſuis induſtriam laborisque patientiam commendauerit, videmus. Eſt autem ea in re propitia aliqua et inuidenda vere veterum poetarum fortuna prae ſerioribus, quod ea ma-

*) Heſiod. Ἐργ. 226. ſqq. cum quibus comparandus inſignis locus Odyſſ. XIX, 109. ſqq.

maxime morum praecepta occupare potuerunt, quae, vtut vulgaria, tum tamen noua ac praeclara haberentur; quae ipſa ad vitam vſumque quotidianum vtiliſſima fere ſunt, et ad omnium hominum animos pariter vim habent, a doctisque et indoctis memoriae mandantur. Quid? quod multa ab iis grauiter ac magnifice dicuntur, quorum nos, ſi noſtros mores audimus, ne ſenſum quidem ſatis acrem habere poſſumus, cum ea ad illorum hominum animos vim maximam facile haberent *). Quantum tandem ad animos iuſti rectique ſenſu perfundendos valuiſſe putabimus, quod ea ipſa, quae de deorum cura et inſpectione rerum humanarum, de vindicta et vltione ſcelerum ad ſeram quamuis poſteritatem pertingente, et ſic porro, tradebantur, non nude poſita aut ad ſubtiles et metaphyſicas quaeſtiones deducta, ſed ad ſententias imaginesque ſenſui et phantaſiae patentes reuocata eſſent **)! Fruſtra enim animi ſenſus et affectus niſi ſuis armis impugnatur; fruſtra abſtruſarum rerum obſcuritate et ſubtilitate voluntas ac lubido animi impotentis tentatur. Quum itaque veteres illi poetae veri philoſophi, virtutis vitaeque magiſtri, graues quidem illi, elegantes et ſuaues, fuerint, quorum doctrina faciles ſibi ad hominum animos aditus pararet, tanta eos laude et auctoritate floruiſſe, *ſapientes* eos et *magiſtros* dictos et in regum aulis

*) V. c. in illis, quae de ὕβρει, αἰδοῖ, ἱκέταις, hoſpitii ſanctitate, etc. praecipiuntur.

**) Legat hic mihi aliquis Heſiodi locum Ἐργ. 213 - 273. et aliquamne vim ad impotentem animum habere ea potuerint, ex ſe ipſo quaerat.

aulis morum quaſi rectores, puerorum ac reginarum cuſtodes fuiſſe *), ad mores noſtros mirum vel abſurdum videri non debet. Sed neque eos a noſtra iuuentute, niſi cum magno diſciplinae publicae priuataeque detrimento, negligi ac contemni poſſe, in confeſſo eſt. Quod ſi quis enim dixerit, etiam a noſtris poetis et tradi poſſe et vero etiam tradi vtilia et pulchra ad vitam animumque: non ſane erimus tam barbari, et a Muſis Gratiisque alieni, vt id inficiemur, aut vt a bonis noſtris poetis iuuenum ſtudia auocemus. Verum innumera, eaque ad vitam communem ſpectantia ſunt, quae a noſtris poetis vix ſatis bene dici poſſunt, quia et vita et oratio nimium exculta et polita eſt, quam vt de rebus tenuibus et vulgaribus cum laude, de pleriſque ſine faſtidio, praecipi poſſit; praeceſſere porro antiquiorum ſtudia, qui proprie dixere ea, quae non niſi ſemel proprie, adeoque feliciter ſatis, dici poterant; auocata quoque eſt poeſis noſtra ab vtilitate ad ingenioſam aliquam voluptatem; delectationem lectorum et ingenii ſui applauſum propoſitum ſibi habent poetae, cum videant ſordere ea quae primo loco ad vtilitatem erant comparata. Vno verbo eo res rediit, vt ſimpliciſſima quaeque vitae praecepta, quibus maxime cum omnium ordinum hominibus tum vulgo opus eſt, in canticis inter religiones et ſacra cani ſolitis quaerenda ſint; qua ipſa re ſumma horum canticorum vtilitas intelligitur. Neque tamen in noſtris quoque poetis adiunctae ad delectationem maioris vtilitatis rationem nullam haberi puta-

*) Notus ἀοιδὸς Clytaemneſtrae additus in nobili loco Homeri Odyſſ. Γ, 267.

putabimus. Laudantur a ſapientioribus et probantur etiam ex iis, qui ad animum non modo ſuauitatis, ſed et fructus habent plurimum, et pectus ſiue ad humanitatem et lenitatem molliunt, ſiue ad aduerſas res confirmant, ſiue pietatis et religionis ſenſu perfundunt.

Vobis, Cariſſimi Ciues, felicitas ea vndiquaque cumulata contigit, vt, quaecunque ad ingenium ornandum pectusque pulchrarum rerum ſenſu imbuendum irrigandumque ex diuinis humanisque diſciplinis peti copiae ac praeſidia poſſint, ea praeſto ſint omnia abunde. Praeſtantiſſimis omnis ſcientiae artisque magiſtris ornata, egregiis cuiusque doctrinae opibus, facultatibus et inſtrumentis inſtructa, legibus tandem temperata eſt resp. noſtra academica bonis et ad veſtra conſilia ſalutaribus: ita vt, quicquid otium litterarium ac tranquilitatem fouere et alere, ſentiendi de rebus diſſentiendique libertatem (at quantum, quamque ingenuo viro dignum bonum!) tueri ac defendere poſſit, curatum ſit diligenter ac liberaliter. Inuigilat rebus noſtris CVRATOR ILLVSTRISSIMVS is, cuius Neſtorea ſapientia prouidetur, paterna plane indulgentia ac ſolicitudine cumulatur, quicquid ad amplificandam exornandamque Academiam noſtram vtilitatem aliquam habere poteſt. Quanta modo liberalitate bibliotheca noſtra locupletatur! quanta munificentia amplius ei et magnificentius domicilium cum maxime paratur! cui et nouum praeclarumque ornamentum dudum deſtinatum eſt iudicio nobis perhonorifico et liberalitate ad omnem memoriam immortalitatemque conſecranda *Io. Fri-*

 derici

derici ab VFFENBACH, Viri Generoſiſſimi, natalibus ac nomine gentilitio, muneribus et honoribus, animi et ingenii virtutibus, aeque illuſtris, S. Caeſ. Maj. a Conſiliis, loci a tribunitiis vicibus ſecundi in exercitu Hannouerano inſignibus ornati, Exconſulis, Protoſcabini ac Senatoris Liberae S. R. I. ciuitatis Francofurtenſis. Elegantiſſimus enim ille mathematicarum et politiorum artium iudex auctorque opes ſuas non modo librarias, geometricas inprimis, phyſicas ac technicas etc. ſed et inſignes iconum, ſeu manu clariſſimorum artificum, ſeu ſtilo, deſcriptarum, librorumque iconographiam illuſtrantium, copias, egregiumque inſtrumentorum gnomonicorum mechanicorumque omninoque mathematicis aut phyſicis theorematibus illuſtrandis inſeruientem apparatum bibliothecae noſtrae ita donauit, vt, cum viuere deſierit, ad nos ea omnia traditione perueniant *). In tanta itaque et tam inuidenda Vniuerſitatis noſtrae felicitate, omniumque rerum vtilium et iucundarum copia, quis veſtrum, Ciues, paullo liberaliore pulchri honeſtique ſenſu imbutus, non ad ſumma quaeque contendat? non exquiſitiorem aliquam et accuratiorem ſtudiorum rationem proſequatur? nec ſatis ſibi eſſe putet, dummodo tralatitiam aliquam et diobolarem doctrinam hinc ſecum aſportet? Relinquamus iſta aut a fortuna iniquius depreſſis aut humilibus illis et in terram pronis ingeniis; vos generoſiores generoſiorem aliquam atque excelſiorem rationem ſectamini, et parentum veſtrorum deſideriis ac votis plene ſatisfacite. Quicquid publice ad vtilitates veſtras prouideri potuit, prouiſum eſt et prouidebitur. Quumque iam feliciter et cum veſtra omnium accla-

ma-

matione inſignibusque fauentium ſtudiis geſto magiſtratu abdicaturus ſe ſit is, cuius nomen huic paginae in fronte praeſcriptum eſt: ſuccedet in eius locum, cum bonis omnium bonorum ominibus, votis ac voluntatibus, vir ciuilis ſcientiae philoſophicaeque iurium ſeu humani generis ſeu populorum in ſocietates ſuas coeuntium doctrinae laude florentiſſimus, quem inter principes politicae diſciplinae hiſtoriaeque auctores Germania noſtra olim memorabit,

GOTTFRID ACHENWALL,

D. Iuris Natur. et Polit. P. P. O. Is itaque quum Magiſtratum Academicum ſolita inter ſollennia a. d. III. Iulii in templo Academico aditurus ſit, vos, illuſtriſſimi Comites, Generoſiſſimi ac Nobiliſſimi Ciues ac Commilitiones, vt celebritatem hanc frequentia veſtra ornare veſtrique amoris et obſeruantiae reuerentiaeque hoc tanquam pignore ad debitum magiſtratui legibusque obſequium obſtringere vos velitis, humaniſſime rogamus P. P. Kal. Iuliis cIↃIↃCCLXIV.

*) *Res euentum habuit a LXX.*

⁂ ⁂ ⁂

Sunt forte in his nonnulla trita nunc ac vulgaria, alia de quibus copioſius diſputare potuiſſem; hoc alterum ne facerem, conſilii ratio, cum ſumma tantum rerum capita eſſent attingenda, et paginae anguſtia vetare potuit, alterum ex iſto, quo haec ante XX. annos ſcribebantur, tempore diiudicandum eſt. Noua tum illa plerisque atque etiam vana et inania, vt in nouis fit, ſi inuidentium maleuolentia acceſſerit, habebantur. Ab his tamen ſenſibus iudiciisque,

 quae

quae monſtrata a me ſunt potius quam declarata, niſi profectus fueris: de innumeris veterum hiſtoriarum mythorumque capitibus, de moribus inſtitutis opinionibus,de priſcis poetis epicis dramaticisque recte iudicari nequit. Inprimis autem ad lectionem Homericam melius inſtituendam melior haec vetuſtarum aetatum deſcriptio ac declaratio magnam vim et vtilitatem habuiſſe videri debet.

Quod vero illo maxime tempore ad argumentum hac proluſione tractandum me impulerat, erat, quod Montesquieum, ſummum virum, vt in tot aliis ex antiquitate petitis rebus, quoties earum cauſſas et origines indagare ſtudet, ita in honore muſicae arti in vetere Graecia habito, fructuque muſicae ad mores et diſciplinam publicam priuatamque, tam perperam argutari viderem *), indolis et ingenii antiquitatis plerumque parum gnarum, adeoque pro ingenii acumine ad alia a genio tamen populorum ac temporum aliena deflectentem: quo exemplo tot alii inducti viri ſagaciſſimi veterum populorum et imperiorum ingenia nobis et inſtituta procuderunt, quorum, ſi animum ſeu veriore ſeu probabiliore antiquitatis ſenſu imbutum afferas, ne quidem vmbras ac lineas in ipſis ſcriptoribus antiquis agnoſcas; vtque interdum, cum tradita legas copioſe, quorum nulla extat memoria, eueniat illud quod in Marone de ſtirpibus arborum legimus, vt alia — *infecunda quidem, ſed laeta et fortia ſurgant,* — alia *exuerint ſilueſtrem animum*, dum populos feros ac barbaros artibus ac dolis aularum noſtrarum vſos narrant; alio tempore *aliena ex arbo-*

*) *Eſprit des Loix* IV, 8.

bore germen includunt acuti illi homines, *nec longum tempus, et ingens Exiit ad caelum ramis felicibus arbos Miraturque nouas frondes et non ſua poma.*

Verum vt ad virum ſummum, Monteſquieum, redeam, is miro acumine muſicae vtilitatis venditatae rationes ab otioſa Graecorum vita, cum armis tantum vacarent, opificia autem et artes ſellularias contemtu haberent, repetit. In quo quidem primo qualis vita Graecorum fuerit, quotidie multis variisque occupationibus diſtricta, a viro acutiſſimo eſt ignoratum, tum ratio partim aliena, partim parum probabilis allata; tandem verior, nec vna, cauſſa, ex veteris Graeciae originibus repetenda, praetermiſſa videri debet. Quibus tamen viri ſummi in ceteris laudi nihil detractum eſſe velim, ſtulte ac ſerviliter omnia nolim laudari.

Ceterum totum hoc argumentum de vi modorum et numerorum ad animos veterum Graecorum, deque carminum vatumque auctoritate, ſubtilius temporum diſcrimen factum deſiderat: aliter enim in antiqua feritate, aliter in quocunque humanitatis gradu ac progreſſu muſices carminisque natura et vis ad animos temperata eſſe debuit. Ad hoc diſcrimen attentior eſſe coepi in Recenſſ. litter. Gotting. 1764. p. 937. - 9.

ACADEMIAE GEORGIAE AVGVSTAE

PRORECTOR

GOTTFRID ACHENWALL D.

CVM SENATV

ANNIVERSARIA INAVGVRATIONIS SACRA

VICESIMA SEPTIMA

IN A. D. XVII. SEPT. CIↃIↃCCLXIV.

INDICIT.

Proluduntur nonnulla ad quaeſtionem de cauſſis fabularum ſeu mythorum veterum phyſicis.

Votorum, quae pro ſalute publica, omniumque priuata, ante hunc ipſum annum ſuſceperamus, iamiam damnati, Ciues Optimi, quid religioſius aut cum fide noſtra, officio et pietate, coniunctius eſſe poteſt, quam vt ea rite perſoluamus, deoque immortali gratias reddamus, qui et ea, quae tum precabamur, cumulate praeſtitit, et, ſiquidem mens humana tam imbecilla eſt, vt ne bonorum quidem, quibus indiget, rationem recte ſubducere poſſit, tot aliis praeclaris beneficiis rempublicam noſtram ornauit et amplificauit, vt, quam vere incredibilis illa benignitas a paterno plane animo profiſciſci dicatur, temperata hac ad ſummam ſapientiam indulgentia manifeſtum ſit *). Integra tranquil-

*) Secundum illa fere poetae antiqui verba apud Platon. Alcib. II. Ζεῦ βασιλεῦ, τὰ μὲν ἐσθλὰ καὶ εὐχο-μέ-

quillitate et ſecuritate, qua ſapientum aeque ac rerumpublicarum felicitatis ſumma continetur, fruimur; aurea Pax cum Bona Copia laetoque rerum Prouentu his ipſis ſollennibus noſtris adeſt; rediit animis, cum Bona Spe, priſtinus Vigor, laborumque, vnde fructus ſibi quisque proprios perpetuosque ſperare poteſt Patientia *); affluimus otio illo dulci et iucundo, ſine quo honeſta et recta ſtudia florere nequeunt; REGIS noſtri AVGVSTISSIMI ac RECTORIS MAGNIFICENTISSIMI eximiam res noſtras amplificandi voluntatem cum his ipſis argumentis, hac bonarum rerum copia, tum multis aliis experimentis venerabundi perſpeximus; Quid de CONSILII REGIS SANCTIORIS ſumma munificentia et liberalitate dicemus? quid de illuſtriſſimi noſtri CVRATORIS indefeſſa cura et incredibili ſtudio, quo res noſtras omninoque litteras, aeternum Illi nomen debituras, et, cum his ipſis, ſi verum dicere volumus, quicquid eſt publicae et ad ſera tempora duraturae felicitatis, amplectitur; quippe quae, niſi litterarum lumine colluſtretur, aut nulla eſt, aut coeco impetu fertur? Quae Ille et quanta hoc ipſo anno decora et ornamenta noua Academiae noſtrae conciliauit! quot vetera reſtituit! Verum, vti ea omnia enumerare, inuidioſum foret, ita et nouum illud felicitatis genus nobis contigit, vt in praedicandis, quae collata ſunt publice in nos, beneficiis modeſti et laudum parci eſſe poſſimus. Quod tamen taceri nequit, oculis autem

 omni-

μένοις καὶ ἀνεύκτοις Ἄμμι δίδου, τὰ δὲ δεινὰ καὶ εὐχομένοις ἀπάλεξε.

*) Callim. in Cerer. 138. ὃς ἄροσε, κεῖνος ἀμασεῖ.

omnium, noſtris vero etiam animis, quotidie obverſatur, Bibliothecae noſtrae publicae, quae Eius liberalitate ita locupletata erat, vt, quamuis in ſpatioſiſſimis aedibus, anguſte tamen habitaret, quam ampla et continuata et in dies nouis decoribus ſplendidiora palatia nunc cum maxime parantur! qualia quidem non ita frequenter habitare Muſis contingit, quas fere in parua et exigua aede, in balneo aut furno, vt poeta ait, paupere cultu, frigere videmus. Qui vero cumulus tantis bonis accedere poterat, vt tantae noſtrae felicitatis Auctorem hos ipſos intra muros ac parietes receptum veneraremur, etiam hoc votis noſtris conceſſum fuit. Vidimus Academiae noſtrae Tutelam ac Genium, et oculos noſtros pauimus adſpectu mitis ac benigni et ipſam humanitatem ſpirantis vultus; ſubiit adſpicientium animos Theocriteum illud de Ptolemaeo: *Benignus*, inquit, *Muſarum amans, amabilis, ſuauiſſimus* *). Quae gratus animus iamdudum expromere vota precesque geſtierat, ea coram, Eoque audiente, fecimus; et, cuius beneuolae ac propitiae voluntatis tot fructus percipere quotidie conſueueramus, eius noua ſigna ac pignora in aditu facili, ſingulari comitate et benigno alloquio habuimus. Quarum rerum omnium cum apud alios populos perexigua interdum pars ad exhilarandas Muſas, erigendas litteras et excitanda hominum ingenia ſatis valida ſit, ſi in tanta omnium rerum, quibus honeſta ſtudia ali fouerique poſſunt, copia animi noſtri paullo vehementius laetantur et effuſe

*) *Εὐγνώμων, Φιλόμουσος, ἐρωτικὸς, εἰς ἄκρον ἁδὺς, — πολλοῖς πολλὰ διδοὺς, αἰτούμενος οὐκ ἀνανεύων.* Id. XIV, 61.

effuſe gaudent, vt et in praedicanda felicitate noſtra paullo animoſiores et copioſiores videri forte poſſimus, ea quidem res tantum abeſt vt erubeſcenda nobis ſit, vt placere nobis potius ea in culpa poſſimus. Si recte a philoſopho gaudium res ſeuera eſſe dicitur, leuitatis certe aut inſolentiae crimen ab ea laetitia abeſt, quae e grato bonorum, quibus fruimur, ſenſu profecta eſt. Quis enim indignetur ac ſuccenſeat animo, qui beneficiorum ſenſu aut memoria paullo ſit concitatior, aut alienae virtutis et praeclarae laudis eam ad admirationem abreptus, vt et afflari diuinitus quodammodo et ἐνθουσιάζεσθαι videri poſſit! Cuius recti et laudabilis ardoris altius in animum noſtrum inſita ſunt ſemina, quam quidem leuiter et in tranſitu haec attingenti videri forte poſſit, vt, quo incorruptiora hominum pectora ſint, eo fere acrior ille ſit ac vehementior. Quae res barbarorum quoque et incultorum hominum exemplis conſtat, quibus iucundarum et gratarum rerum ſenſus aeque ac memoria et acrior et diuturnior eſſe ſolet. Quid? quod hic ipſe magnorum ex alterius virtute perceptorum fructuum ſenſus ex mortalibus olim deos feciſſe dicitur, et recte quidem dicitur, modo non omnem antiquae religionis rationem inde deducere aut, quaecunque antiquitas coluit, numina in regum aut heroum ordinem referre placeat. Idem egregiorum, quae alterius aut ſapientia aut virtute parta fuerant, bonorum et commodorum paullo acrior et viuidior ſenſus prima et poetices et eloquentiae ſemina in hominum animis excitauit. Raptus enim et percuſſus magnarum et in publicam vtilitatem ac popularium ſalutem incolumitatemque geſta-

rum

rum rerum ſpecie et magnitudine animus, et quaſi diuino afflatu attonitus, cum ad celebrandas eas et laudibus efferendas, naturae ipſius impulſu et impetu ferretur, quando ad exprimenda ſenſa, rerumque magnitudinem et grauitatem, (quod, in rudi et recenti ſermone, multo magis neceſſe erat fieri) verba idonea non ſuppetebant, ad comparationes et ſimilitudines confugit, figuras et allegorias adſciuit, magnifica et ſplendida oratione omnia exornault, resque ipſas, quae ſi a mente compoſita et ſedata conſiderarentur, nihil adeo inſoliti et inauditi haberent, forte etiam tenues eſſent et obuiae, in mythos et fabulas mutauit; quae omnia haud dubie ipſam poetices naturam conſtituunt, ad quam, quum ingenia noſtra arte quadam aut via et ratione imbuenda ſint, iſtorum animi tum aliis cauſis phyſicis tum ipſa ſignorum, hoc eſt ſermonis natura, quo ſenſa animi reddenda erant, ad poeticen informabantur. Iidem mythi et fabulae cum deinceps, quoties repeterentur, audientium et addiſcentium animos non minus incenderent et inflammarent, inprimis ſi numeri et modi et concentus (ῥυϑμὸς καὶ ἁρμονία καὶ μέλος) accederent, ſaltantiumque et choros agentium, hoc eſt, res narratas geſtu exprimentium, concitati motus oculos praeſtringerent, accedente etiam mox vetuſtatis auctoritate et religione; mirari ne debemus, ſi inter veteres omnis ſapientia atque ipſae religiones ac ceremoniae ad fabulas et mythos rediere, horumque tanta inter eos vis et dignitas viguit? quomodo enim mythis non indulgerent ii, qui nullam aliam orationem haberent, quam quae omnia ad imagines rerum ſenſu perceptas, ad proſopopoeias

et

et animandas res inanimes, ad allegorias, ſimilitudines, apologos, ingenioſas fictiones, deduxiſſet? Quarum rerum ratio, paullo accuratius conſiderata et perſpecta, et cum ipſa doctrina de idearum origine et ſignorum, quibus illae inſigniri poſſunt ac ſolent, vi et natura, valde coniuncta eſt, et haud dubie, cum ad ipſam mythorum interpretationem, tum ad eorum originem et cauſſam declarandam, veram indolem et rationem tenendam, deponendasque vulgares de antiquorum hominum ſuper res divinas humanasque placitis ac doctrinis, de poetices natura certorumque eius generum ſiue indole ſiue origine, aut falſas aut ſuſpectas opiniones multum valitura foret. Nec vero ipſa mythorum ſeu fabularum vis ac natura contemnenda et ſiue liberalis hominis otio ſiue philoſophi acumine indigna habenda; quandoquidem omnis hominum ſapientia ab iis primas origines duxit, et, quanquam, animis ipſa philoſophiae ſubtilitate et dialectices grammaticesque acumine ad ſubtiliores rationes adductis, nuda nunc veritate merito magis delectamur, antiquarum tamen doctrinarum veteriſque ſapientiae interpretatio ſine rectis *de fabularum vi et natura* notionibus male inſtituitur; qua eadem cognitione accuratiore neque carere poſſunt ii, qui in intelligentiae noſtrae mentisque naturam, vires ac leges, inquirere, eiusque quaſi annales, opus haud dubie longe pulcherrimum et vtiliſſimum, condere inſtituant. Quoties itaque quaeritur, cur veterum de originibus rerum et populorum narrationes ac diſputationes, ipſaque philoſophorum ſiue de rebus naturalibus decreta ſiue de moribus praecepta, *mythis et fabulis* obuoluta ſint; ei

quae-

quaeſtioni ita occurremus, vt et mythos et vſum eorum magnam partem *a cauſſis phyſicis* repetendum eſſe dicamus, cauſſas autem illas quaerendas *partim* in ipſa hominis natura; *partim* in inſtrumento, quo mens humana fingeretur formareturque, hoc eſt, in ſermonis natura et ratione, *partim* in natura rerum externarum, quae ad illam fingendam maximam vim habebat, Quae quidem paucis et tantum digito nunc a nobis oſtendi poterunt, cum iuſtam diſputationem de argumento, quod tam multas res complectitur, pagina haec non capiat.

Quod igitur ad *primum* cauſſarum genus attinet, a quo mythorum origines et cauſſas repetendas eſſe diximus, ſunt eae in infantia generis humani, in mentis et ingenii vi nondum ad ſubtiles cogitationes et contemplationes exercitata poſitae. In hominibus itaque rudibus et modo a ſilueſtri vita progreſſis vix cogitatio vllius rei eſſe poteſt niſi quae ſub ſenſus cadat; feriuntur autem et impelluntur ſenſus multo grauius, ſi animi multarum rerum contemplatione auocati et diſtricti non ſint, ſed in vnam rem oculis propoſitam intenti; inſigunturque animis altius quae ſenſu tam viuido in illos deſcendunt; prodeuntque iterum tanto viuidioribus coloribus obuerſantes menti rerum ſpecies, quoties memoria aut alia animi vi impulſa iterum eliciuntur. Eae itaque rerum ſpecies, vti paucae ſunt numero, ita ad animum concitandum et mouendum potentes et efficaces; induunt enim tanquam habitum nouum, mirabilem, ſtupendum, grandeſcunt, augeſcunt; eaedem auribus aliorum infuſae et auditu acceptae multo maiores

et mirabiliores ſumunt formas; verbo conuertuntur viſa et audita in mera rerum miracula et portenta: quibus nec explicandis et ad iuſtam rationem ſuamque naturam reuocandis nec recte deſcribendis et enarrandis ſiue animorum intelligentia ſatis elaborata, ſiue ſermo idoneus ſuppetit. Rerum itaque cauſſarumque ignoratio omni mythologiae fundum ſubſtruere putanda eſt; quippe ex qua omnis perſuaſio de rebus praeter ſollennem naturae ordinem progreſſis, nouaque et inſolita ratione natis, viresque obſcuras et arcanas nactis, oritur. Ita ad omne τερατολογίας et ſuperſtitionis genus via patefacta eſt. Cum autem motus animorum affectusque rudiorum hominum, ſi ſemel concitati fuerint, vehementiores ſint et ferinae naturae propiores: cum appetitiones rerum tum auerſationes maiore impetu animis illabi facile expectes. Vt itaque odia hominum illorum et bella ſunt interneciua, ita admiratio, amor et reuerentia eorum, a quibus vtilia in ſe profecta meminerunt aut magnas et arduas res geſtas viderunt audieruntque, eſt incredibilis, ad eum fere modum, de quo paullo ante dictum eſt. Ita heroum ac deorum naturas, quales in fabulis videmus, naſci et conſtitui neceſſe fuit.

Non minorem vim ad hominum priorum animos fabulis implicandos habuiſſe videri debet *ſermo*, quo vtebantur ad animi ſenſa explicanda et enuntianda; qui cum eſſet parum elaboratus et locupletatus, ne his quidem paucis notionibus, quae tum inſidebant animis, par erat et ſatis idoneus. Laborabat itaque mens inueniendis intenta nouis ſignis, hoc eſt ſonis verbisque, quibus ſenſa ſua exprimeret;

ſenſa

ſenſa autem cum vehementiore, quam quo nunc vtimur, animorum impulſu et motu, mentibus eſſe illapſa, paulo ante vidimus. Quamobrem, cum ſermonis egeſtas exiguam ſenſus partem redderet, geſtuum variorum et concitatiorum auxilio, vocis intentione, oculorum, vultus, motus, totius corporis, vt ita dicamus, loquela vti ſolebant: quae quidem res iterum ad audientium animos grauiter impellendos et concitandos magnam vim habere debuit: quicquid enim perceptum erat, non vno modo aurium ſenſu, ſed nec minus oculis in mentem demiſſum fuerat. Ex noſtro igitur eloquendi modo ne quis illa aut cenſeat aut diiudicet, quae de priorum hominum eloquentia commemorata legimus; comparanda potius ſunt ea, quae de populis per ſeptentrionalem Americam vagantibus paſſim tradita cognoſcere licet. Sermo autem ille, idoneis ac propriis vocabulis deſtitutus, conuertit ingeniorum vim ad ſubſtituenda concreta abſtractis; conuertuntur cogitata in facta; quicquid apud animum meditatione concipitur, in rem actam geſtamque mutatum narratur; nec modo humana vita, ſed rerum animantium quoque, et rerum adeo inanimatarum, naturae ad actionem aut loquelam deductae, nouis rerum miraculis narrandis materiam ſubminiſtrant. Ex his ipſis tanquam elementis ac principiis, vbi vita hominum exculta, ſermo magis expolitus fuerit, proficiſci ſolent allegoriae, tropi, inprimisque metaphorae, cum figuris; habent quoque inde ortum ſuum apologi, fabulae aeſopiae, parabolae, et quae alia a rerum ſimilitudine ſeu comparatione ducta ſunt.

Tan-

Tandem magnam vim ad mythorum veterum naturas habuit *externarum rerum* conditio ac ſpecies, quae priorum hominum ſenſibus obuerſata eſt. Incredibile eſt ei, qui animum ad has cogitationes non traduxerit, quam diuerſa animorum ſint ſenſa et iudicia iisdem de rebus, ſed diuerſis temporibus, inter diuerſos rerum externarum impulſus conſtitutis hominibus; multo magis ſummam eſſe neceſſe eſt diſcrepantiam ſenſus iudiciique in caeli ſolique diverſitate. Quam igitur ad rudes illos et ſenſuum impulſui vnice vacantes hominum animos vim fuiſſe, et adhuc eſſe, putabimus in locorum, quae a paucis per familias ac tribus diſperſim habitantur, naturis modo triſtioribus modo hilarioribus, in ſiluarum horrore, deſertorum ſolitudine et vaſtitate, lacuum, ingentium fluminum aut marium proſpectu! Caloris frigorisque ſeu temperatione ſeu intentione vel laxatione nimia quam diuerſis modis et corpora et animi afficiuntur! Addantur his aerumnae et calamitates, quibus vita illa priorum hominum obnoxia fuit; modo amnibus, quos nulla humana ars et opera regebat vel coercebat, late vicina loca inundantibus, modo victus inopia et fame, modo peſtilentia in corpora graſſante; quot quantique terrores, ex tempepeſtatum procellarumque ſaeuitia, aut ex ignium e terra grauiter concuſſa exploſorum turbinibus! Noua haec rerum miracula, quae interdum admiratione ac ſtupore, interdum terrore et metu, animos percutiebant, nouas narrationes miras easque fabuloſas procuderunt. Ita cum diis Titanum, Gigantum, Typhonis nomina et alia id genus monſtra ſubnata ſunt.

Ex his ſummatim tantum et per rerum capita commemoratis intelligitur, quam vere a nobis dictum ſit, *veterum fabularum orgines a cauſſis phyſicis* inprimis repetendas eſſe. Redeunt enim ad hominum rerumque naturas ea omnia, quae ad fabularum naturas et argumenta conſtituenda vim habere diximus. Ad quae tamen vberius pertractanda ſpatio, quod huic ſcriptionis generi praeſcriptum eſt, cum excludamur, faciamus id, quod rerum ac temporum ratio poſtulat, vt copioſiorem diſputationem in aliud tempus differamus, in praeſenti vero ad id, vnde deflexus erat diſputationis curſus, redeamus, et quandoquidem craſtinus dies, qui eſt Academiae noſtrae natalis, nobis inter ſanctiores et auſpicatiores eſt, eam laetitiam, quam cum honeſtiſſimam tum cum pietatis et officii rationibus coniunctiſſimam dicebamus, in pectora veſtra, Ciues optimi, transfundamus, aut potius, cum veſtra pietas ac virtus ipſaque eximia indoles animos veſtros, vti beneficiorum memores ac gratos, ita ad laetitiae ex felicitate communi ſenſum non hebetes finxerit, vt generoſum hoc de reip. noſtrae incrementis gaudium in animis veſtris inflammemus et nutriamus. Sed iam ipſorum huius Academiae conditorum ſapientia prouiſum eſt, vt huic diei cerimoniae ſuae, pompae ac ſollemnia ſint, quibus animi ad laetiorem ſenſum excitentur; et accedent alia, quibus huius diei celebritas amplificabitur. Conferentur ſcilicet ſummi in arte ſalutari honores in Candidatos digniſſimos *) ; inter

*) *Aug. Gottlieb Richter*, Zorliga, *Chr. Lud. Alberti*, Oſteroda, *Ern. Lud. Blancard*, Cellis, *Marc. Chr. Kay Dame*, Gluckſtadio oriundi.

inter quae ſollennia ab Illuſtri horum bonorum brabeuta*) pro Rege, pro domo Regia, pro Conſilio Regis Sanctiore, pro Curatore noſtro, Tutela et Praeſidio rerum noſtrarum, pro patriae noſtrae et huius Academiae incolumitate et felicitate, publice vota ſuſcipientur; quibus vt linguis animisque fauere velitis, Comites Illuſtriſſimi, Generoſiſſimi ingeniisque ac ſtudiis Nobiliſſimi Commilitiones, hoc eſt, quod humaniſſime Vos rogamus. P. P. a. d. XVI. Septembr. cIↃIↃCCLXIV.

*** *** ***

Inchoata eſt a me, non vero abſoluta, diſputatio *de cauſſis veterum fabularum phyſicis;* nec ſatis mirari poſſum, qui factum ſit, quo minus ad eam alio tempore reuocatus redirem: inprimis autem, *quae inde ſequerentur aut effici poſſent*, declarandum vtique erat ſubtilius ac diligentius. Sunt enim e priſcorum hominum inſtitutis et religionibus, ex poetarum et philoſophorum placitis, ex omni vetere litteratura, innumera, quorum illuſtrationes ex iis, quae in commentatione illa poſita ſunt, peti poſſunt ac debent.

Et primo quidem, vt notio naturae diuinae e cauſſarum, a quibus profectas eſſe res neceſſe eſt, contemplatione ſubnaſcatur animis, expectari non poteſt in rudium hominum animis, qui omnino de rerum cauſſis nec laborant nec poſſunt laborare;

 verum

*) *Georg. Gottlieb. Richter*, oratione *de animi medela* habita.

verum quicquid eſt antiquae religionis ac philoſophiae ex hoc fonte fluxit, vt rerum et opinionum elementa et ſtamina in mythis, hi autem in cauſſis illis phyſicis, fundum ſuum haberent. Omnino igitur quoties de *notionis et opinionis de natura diuina inter feros ſeu barbaros populos origine* quaeritur, (nam ea tempora, quibus melior philoſophia cum meliore vitae cultu meliusque deſcripta hominum ſocietate illuxit, prorſus e quaeſtione circumſcribenda ſunt) ad eas *cauſſas phyſicas* eſt redeundum. Siue enim religiones ad informem ſtipitem, truncum ſeu ſaxum aliudue quod ſuperſtitio deuenerata eſſe dicitur, (noſtri homines *Fetichos* appellant) ſiue ad ſidera caeleſtia aliasque res naturales ſeu beneficio ſeu maleficio inſignes et conſpicuas, ſymbolice fere expreſſas, (vt naturae fecunditas, ſoli fertilitas, per Venerem Cererem et ſic porro) ſiue ad magnos viros eorumue manes erant conuerſae: nullae eae religiones eſſe potuiſſent, niſi animi hominum rudium illarum rerum ſenſu tam grauiter fuiſſent percuſſi, vt mirabiles, caras, ſacras, omninoque praeclaras eas haberent: ab effectu igitur cauſſarum obſcurarum ad animos, non a cauſſarum contemplatione, proficiſcuntur illi ſenſus. In his tamen duo haec meminerimus, quorum magnum momentum eſt ad totam hanc disputationem recte conſtituendam: *primum*, etſi mente et cogitatione haec ad certas rationes et claſſes reuocari poſſunt, inter homines tamen rudes et barbaros notiones illas infinitis modis pro ſingulorum fere hominum ingeniis fuiſſe variatas et inter ſe mixtas, ſuperſtitioſosque ritus et opiniones ſequioris aetatis mature a primitiuis diſceſſiſſe; parentis enim exemplo

et

et imitatione filius eosdem ritus obſeruabat, ita vt ne cogitaret quidem de cauſſis ſeu de eorum vi ac ſenſu; vt tamen, ſi res ita ferret, aliis adiectis interdum, aliis immutatis, multa nouaret, non magis idoneo cum iudicio, ſed temere et caſu; nihil adeo in his poſſe expectari, quod ſatis conſtans et perpetuum pluribusque hominibus hominumque aetatibus ſine vlla variatione eſſet commune; multo magis alienum eſſe ab toto hoc argumento et a ſententia noſtra, vt philoſophicum aliquod, Socraticorum vel Stoicorum, acumen in vita antiqua aut in iis, qui eam adumbrarunt, Homero et aliis antiquioribus, expiſcari velimus. Quoties itaque in Homero aliisue philoſophemata ſupereſſe dicimus veterum hominum, de notione et ſenſu communi et acumine hominum incultorum aut in incunabulis ſapientiae verſantium cogitandum eſt. *Alterum* eſt: etſi nobis, cum alia vocabula nos deficiant, promiſcue licet hac in re voces *religionum, dei, numinis, diuinae naturae*, adhibere, noſtrae tamen harum vocum notiones prorſus ſunt abiiciendae, quoties de iis ſenſibus et iudiciis agitur, quae rudium hominum animis inſidere putanda ſunt. Non enim a mente, ad nullam facile rem, niſi ſenſu perceptam aut ei ſimilem, concipiendam exercita, vlla cogitatio aut ratio metaphyſica concipi potuit. Hoc idem illud eſt, quod omnem diſputationem reddit vagam et incertam, quoties quaeritur, quid veteres de deo ac diuina natura ſenſerint, et quo tandem tempore vera dei notio innotuerit. Turbatur eodem modo veterum philoſophorum diſputatio de cauſſis notionis, quam de natura diuina homines ſuſcepere; vnde per to-

Ciceronis de Nat. Deor. librum fluctuat diſputatio. Niſi itaque ante omnia ſubtiliter conſtitueris; quamnam notionem vocibus ſubiectam eſſe velis, idem negari et affirmari poterit; aliter enim affirmabimus, veteres dei notionem habuiſſe nullam, ſi deus mentem a materia diuerſam, aliter ſi cum materia confuſam, aliter ſi aetherem, ſi ignem, ſi naturae obſcurum nomen, ſi elementa naturae ſub perſonarum habitu effiicta, aliter ſi formas neſcio quas humana maiores et auguſtiores, deorum nomen deſignat. In rudibus populis dei notionem aliquam inſidere hominum animis dicere licebit, ex quo naturam ab humana diuerſam, quoquo modo praeſtantiorem, oculorum quidem ſenſui haud ſubiectam, niſi corpore aſſumto, ſenſili tamen ſpecie, ſeu apud animum ſeu artis opere fingi ſolitam habent. Atenim quam late nomen hoc idem deorum paſſim vſurpatum videmus! Narrantur ab Herodoto Pelasgi habuiſſe et appellaſſe τοὺς θεοὺς, (etymologiam ex ſuae aetatis genio ἀπὸ τοῦ θέειν interponit ille perperam de ſuo) quibus ſigna informia ne nomine quidem inſignita erant: quam diuerſa notio ſubiecta eſſe debuit vocabulo, cum Herodotus illud apponeret, ab ea, quae Pelasgorum animis obuerſata erat! Quid? quod, ex quo verior notio innotuit mentis a materia diſcretae et omnium rerum effectricis, (quam, ita quidem vt vocibus idoneis certisque rerum argumentis demonſtraret, id quod antea factum non erat, primus profeſſus eſt Anaxagoras), ne ſic quidem notio vocis conſtans, ſed pro vniuscuiusque fere hominis ingenio ac iudicio varia ac diuerſa fuit et eſſe debuit: quo factum eſt, vt ii ipſi philoſophi, qui de mente omni-

omnium rerum effectrice cogitabant, τῶν θεῶν tamen nomine vterentur. Verum haec digito monſtraſſe ſufficiat: eo redeundum eſt, vnde deflexum erat.

In barbarorum itaque hominum animis dicebamus prima omnis religioſi ſenſus initia et ſemina ab aliqua miratione proficiſci; vt percuſſus ſit animus adſpectu, auditu vel tactu rei inſolitae, nondum viſae, aut vtilitate aliqua vel noxa nondum percepta probatae; poteſt hoc idem fieri in re ab arte profecta; quae vbi in caritate et honore haberi coepit, is, qui ea potitus eſt, ſuſpicit eam et veneratur; id quod noſtri homines, ad ſuas notiones referentes, pro cultu religioſo habent; ſi geſtum, quem noſtra pietas adhibere ſolet, aemulatur barbari ſtupor; ſi proſtrato corpore reueretur, ſi epulas vel dona apponit, ſi ornat: adorationis cultusque religioſi hoc genus eſſe putatur; atqui ipſa conditio barbari aliam cogitationem ſenſumque vix admittit, quam vt rem miratione et caritate proſequatur, vt inviolatam et ſacram eam eſſe velit. Pro acceſſione habendum eſt id, quod ſerius ad morem antiquum accedit, vt notionem obſcuram et confuſam naturae alicuius humana maioris ac potentioris, ſubiiciant homines; vt, cum vnam et alteram vtilitatem vel noxam praeſtet ea res, vti ſerpens, mox alias quoque vtilitates et noxas ab ea expectent paulloque poſt ſe obtinuiſſe credant; quo exemplo inuitati alii eandem rem, tanquam vtilem, ſibi parant; ſimili exemplo rem arte et manu factam: imitantur eandem alii ſpecie licet informi et ad noſtros ſenſus horribili, eique eundem honorem habent. Repetun-

 tur

tur nunc cauſſae rerum ab idolo, ſed illarum tantum, de quibus perſuaſio inualuit. Ad religiones proprie dictas, quis ſatis bene haec referat? aut nomine cultus diuini recte deſignet? Res ſacras habere, adorare, ritus imitari, innumeris populis ſollenne eſt, qui de diuina natura ne cogitaſſe quidem videntur; ſunt adeo athei, etſi cultum religioſum apud eos agnoſcere licet. Adeo ardua eſt illa contemplatio cauſſarum, a quibus hoc vniuerſum profectum eſſe dicendum ſit. Ita in ſumma varietate res comparata eſſe videtur vbique fere in iis, quae de adoratione lapidum et ſtipitum, omninoque *Fetichorum*, ſeu *Manitu* quos vocant, commemorantur: niſi quod in multis Africae aliarumque terrarum locis accedere debuit imitatio cultus religioſi, quem a Mohammedanis aut ab aliis aduenis ſuo more praeſtari viderant. Perperam tamen ſtatuere videntur noſtri homines, qui ea oculis ſuis cognouere, illos barbaros de natura diuina, caeli terraeque potente, ad noſtrum morem inter haec cogitare. Acceſſit quoque apud populos illos alia ſuperſtitio, vt iisdem rebus, quas diuinas et ſacras appellare licet, abuterentur modo ad rerum futurarum praedictiones, modo ad praeſtigias magicas; vt adeo paſſim ab Europaeis pro re diuina habita ſint, quae ad γοητείαν ſpectarent. Ad hoc genus permulta referenda ſunt, quae de religionibus barbarorum, inprimis per Africam, legimus. Suas illi qui eos adiere, opiniones, ſua animorum iudicia attulerant; adeoque nil praeter ſua deprehendere et agnoſcere poterant. Atqui barbari noſtrarum notionum ſimilia nec habent, nec habere poſſunt, niſi ſummo cum rerum miraculo

id

id factum credere licet. Cum Germani, Caeſare narrante, Solem et Vulcanum et Lunam deorum numero haberent: barbarosne illos omnium rerum ignaros de ſymbolis diuinae naturae omninoque de cauſſis mundi cogitaſſe putabimus? Infinitarum rerum cognitio comparata eſſe debet, antequam hominum ſtupor ad rerum cauſſas conuertatur. Simili errore ludos iocosque, et ea, quae per feſtorum hilaritatem fiunt, plerumque vetere ritu tradita, habere ſolent ſcriptores pro actu religioſo et pro pietatis genere*).

Ab rudiore hoc ſenſu progreſſi homines, vbi aut ſidera aliasque res a natura obiectas aut magnorum virorum animas cultu religioſo proſequi dicuntur, nouos vtique ſenſus induere putandi ſunt; nec tamen ii cum noſtris religioſis ſenſibus vllo modo comparandi. Contra, id quod humani generis natura aliter non admittit, manent ex priſtino more, cui ſemel adſueueramus, prima elementa et ſtamina, quibus pro ſubtemine inferuntur notiones quae accedunt. Cogitatio illa ſubtilior de diuina natura permeante omnia et animante in aliorum praeterquam philoſophiae rerumque contemplatione ſubactos animos non magis potuit admitti, quam nunc a plebe noſtra ſeu pagana ſeu vrbana illa recipitur; vbi vero inſinuauit ſe, cum vetere eam notione

*) Innumera ſunt huius generis in priſcis et recentibus religionibus, quae per ſacrorum et feſtorum licentiam fiunt, quae ad notionem cultus religioſi vix referri poſſunt: v. c. αἰσχρολογία in ſacris Cereris. Apollod. I, 5, 1. Diod. V, 4. Ad noſtros ſenſus nihil horum exigi poteſt, non magis quam Italorum vel Hiſpanorum ſuperſtitiones.

confuſam animos ſubiiſſe quis non intelligat? Quid? quod illi quoque, qui philoſophicis notionibus imbutos haberent animos, id quod ſatis teſtati ſunt et factis et verbis, patrium morem et opiniones, quas a puero imbiberant, tam alte animis ſuis infixas habuere, vt, non metu modo, de quo nunc non agitur, ſed conſilio quoque, veterem ſuperſtitionem haud facile prorſus abiicere et damnare auderent, ſed plerumque vetera nouis, aut noua veteribus accommodare et interpretando antiqua temperare ſtuderent.

Proceſſit itaque omnis priſcorum hominum religioſus ſenſus a miratione, quae, ſi ad res magna nocendi et officiendi vi inſtructas conuerſa erat, in metum abire debuit; multo ſerior eſt, et hominum iam ad humaniorem cultum erectorum, grata memoria beneficiorum acceptorum; ea autem, quae praeclara habet hic mundus, ſi ſollennia, obuia quotidie et conſueta eſſent, ad barbarorum animos omnino vim habere potuere nullam, niſi iam eſſent inter eos viri rerum contemplatione exerciti; qui non niſi in nomadum vita aut in populis agrorum fixos terminos habentibus naſci ſolent. Nam in rebus obuiis et ſolitis rudis barbarorum mens mirationis cauſſas deprehendere nequit. Quid? quod in ſaeculis dudum omni philoſophiae et religionum luce illuſtratis non niſi miraculis moneri et excitari potuere homines; cum tamen mentibus doctis et rerum notione imbutis incredibilia rerum miracula quotidiana vita, mundus, rerumque ordo ſollennis, vndique obiiciat. Etiam ſenſus ille religioſus, quo primo aliquis adductus inſtituere certum aliquod cultus genus coepit,

pit, mox inter poſteros in morem ac ſollennem ritum abire ſolet, quem plerumque illi ita peragunt, vt de origine et cauſſa ne cogitent quidem. Potuere tamen inter haec erigi mentes ad conſiderationem caeli et naturae; potuit ſubnaſci notio aliqua cauſſae harum rerum et auctoris; ſeruata tamen cum his quoque ſacra patria. Mihi adeo conſtare videtur hoc: quoties, qui horum hominum ſenſus et iudicium de diuina natura fuerit, quaeritur, ex ritibus religioſis eum quidem vbique erui non poſſe.

Quae modo a me expoſita ſi ita, vt equidem arbitror, ſe habuere, vt a miratione rerum ſenſibus occurrentium omnis antiqua religio, quae quidem non diuino aliquo munere ſeu miniſterio humanis ingeniis inſtillata fuit, profecta eſſet: expectandum erat, vt, quum eo progrederetur hominum ſagacitas, vt res, quae ſenſibus ſubiectae non eſſent, adeoque diuinas quoque naturas, exprimere vellet, ad ſpeciem aliquam, eamque humanam, eas reuocaret; vtque diuina omnia, deos, eorumque vitam, ſedem, facta, curas, ad humanarum rerum exemplum fingeret; mox vt iis iterum aſſimularet ea, quae magna ac praeclara haberi vellet. Quam ampla fabularum ſeges ex hoc agro ſuccreſcere debuit! Receſſerant tamen ab hac ratione et ab hoc more ii populi, qui hieroglyphis vſi ſunt; hos enim in formas deorum mirum in modum compoſitas incidiſſe, nemo miretur.

Ex natura orationis veterum hominum, per rerum ſimilitudines in animantium formas mutatas, qui-

quibus aſtio et loquela, ſenſus et conſilium ineſſet, deuolui ſolitae, et a magnis animi ſenſibus inflammatoque pectore progreſſae, cum verba propria non ſuppeterent, quibus animi cogitata redderentur, aliam, eamque permagnam, fabularum partem natam eſſe, nunc quidem in vulgus notum eſt.

Neque illud nunc cuipiam mirum habebitur, innumera occurrere in fabulis vniuscuiusque populi, quae ad locorum certas proprietates et naturas, ad ſitum et caelum ſpectare putanda ſint. Subeſſe igitur et his cauſſas phyſicas dicendum eſt, etſi alio modo. Ita quae de Olympo deorum ſede in poetarum fabulis habentur, quae de Baccho, de Muſis, de Gigantibus et alia, niſi in iis locis, vnde prodiere, naſci vix potuiſſent. Quod porro religionum et rituum tanta eſt diuerſitas pro diuerſis populorum ingeniis, quod Syrorum et Phoenicum religiones fuere triſtes et atroces, Hellenicae contra feſtiua hilaritate perfuſae, quod alii deorum iras, malorum geniorum fraudes, pro fundo conſtituiſſe, alii etiam in cultum publicum daemones malos recepiſſe feruntur: ea facile repeti poſſunt ab hominum ingenio et indole, a caeli ſolique clementia vel aſperitate, a calamitatibus quas experti ſunt, inprimis a peſtilentia et fame, qui quidem diri caſus homines ad ſiniſtra de diuinae naturae cupiditatibus iudicia, et ad modos inſanos, etiam humano ſanguine, numen placandi, adduxere *). Quae cauſſae ſi obſcuriores ſunt, quam vt

*) Cf. Plutarch Orac. def. p. 421. D. Alia in libello de ſuperſtitione.

vt primo ſtatim obtutu inquirentium animis ſeſe offerant, ignoſcendum eſt, ſi a daemonum fraudibus repeti eae coepere. Eſt enim ea mentis humanae imbecillitas, vt, cum in cauſſas rerum inquirere incipit, primo res aeque incognitas et mirificas pro cauſſis ſubiiciat, vtque de cauſſis phyſicis non niſi nouiſſimo loco cogitet.

Accidit autem inter Graecos mira res, vt cum eſſe coepiſſent, qui, pingui vtique Minerua, (nam Platonicum aliquod acumen nemo deſideret) ſuper rerum naturis philoſopharentur, cum partim vterentur iis deorum nominibus, quae iam vſu celebrata eſſent, partim alia adinuenirent, aut etiam ab externis populis allata admitterent, vt iis nominibus nouae ſuperſtruerentur religiones, vtque nunc exirent tandem dii modo noui, modo antiqui quidem, ſed notione variis modis aucta aut variata. Quo factum eſt, vt mythologia Graecorum infinitas res diuerſi admodum generis comprehenderet, neque adeo ex vno, quod vulgo creditum eſt, genere repeti poſſent fabulae. Id quod in nullo alio populo factum eſt, nec in Graecis fieri potuiſſet, niſi illi a primis barbariae initiis progreſſi et ad tantum litterarum faſtigium euecti omnium aetatum notiones, iudicia, opiniones, litteris ſuis inſertas illigatasque retinuiſſent, adeoque ſtultiſſima quaeque cum ſapientiſſimis permixta habuiſſent; etſi id vnicuique populo euenire neceſſe eſt, vt ex priſtinis moribus et opinionibus veſtigia ſuperſint, quae nulla aetas tollere poteſt. In Graecis vero ideo inprimis hoc euenire debuit, vt, cum rebus mutatis nominum vſus maneret,

ret, idem nomen res ad animi notionem admodum diuerſas declararet. Itaque, vt exemplo pateat, quomodo vnum idemque nomen variarum rerum notiones complectitur, ipſum Iouis nomen, quod ab initio Pelasgicum numen neſcio quod, (Fetichum noſtri dicerent) ſed populare, deſignare potuit, mox ad aetherem declarandum deductum eſt; ita vt quoque nouae theogoniae locum faceret; inde poeticus ille ductus inter reliquos deos ſummus, ὕπατος, Iupiter; modo Iouis nomen declaravit τὸ θεῖον omnino, modo ſymbolice varia, vt anni partes declaratae per Iouem puerum et adultum *); tum comparata cum ipſo aliorum populorum numina, vt Ammon, Serapis. Nondum memoraui, plures populares fabulas ſingularum ciuitatum ſeu tribuum in fabulas Iouis immigraſſe, inprimis Cretenſium. Quam diuerſa ſerior haec mythologia ab illa antiquiore eſſe debuit! Interea communis omnium, publica priuataque, fuit religio, morem patrium, qualiscunque tandem ille eſſet, ſeruare; relictumque philoſophiae, vt de diuina mente, vniverſi cauſſa, quaereret; vulgo ſatis habitum, earum ſaltem rerum, quae ad ſe ſuasque vtilitates ſpectarent, cauſſas ſeu a deo patrio ſeu omnino a diis, notione parum explicita, repetere. Verius igitur ad noſtrum vtique ſenſum dixeris vulgus de deo omnino non cogitaſſe, nec, quia idoneae rerum notiones non ſubeſſent, cogitare potuiſſe.

*) Cf. Ouid. Faſt. III, 437.

ACA·

ACADEMIAE GEORGIAE AVGVSTAE

PRORECTOR

GOTTFRID ACHENWALL D.

CVM SENATV

NOVVM PRORECTOREM

COMMENDAT CIVIBVS

KAL. IAN. cIↄIↄCCLXV.

Delibantur nonnulla in vitae humanae initiis a primis Graeciae legumlatoribus ad morum manſuetudinem ſapienter inſtituta.

Cum omnino hominis humanaeque naturae cognoſcendae periucundum eſt ſtudium, tum vero perquam dulce eſt perquirere, a quibus initiis vita humana ad hunc cultum et ad hanc elegantiam progreſſa ſit; qua ſaeculorum diuturnitate, temporum varietate, quot opportunitatibus et commoditatibus, quot hominum rerumque copiis, quot denique caſibus et euentis opus fuerit, maxime in plagis iniquiori caelo et ſolo obnoxiis, vt ad humanitatis et manſuetudinis ſaltem elementa ab feritate et ignauo ſtupore vita adduceretur; quam vero illa diſſimilis ſub caelo clementiore, aut diuini alicuius ingenii ſollertia ad mitiorem cultum iam conuerſa, fuerit; quantis illa bonis pauca mala redemerit; quantum ſecuritatis, libertatis, innocentiae, ſimplicitatis, frugalitatis, bonae valetudinis ac mentis

tis attulerit; donec vita haec nimis expolita et ad exquiſitam elegantiam elaborata omni curarum generi, luxui, auaritiae et malo pudori, peſſimae paupertatis peſti, fraudibus his ac ſceleribus, doctis iam, incruſtatis et ſplendidis, ne fruſtra ingeniis noſtris aſperitas agreſtis deterſa videatur, patere coepit. Habet vero haec eadem ortus huius et progreſſus humanitatis contemplatio vtilitatem ad omne literarum genus, quod cum natura noſtra coniunctum eſt. Nullus certe philoſophus de humana natura, idearum, ſignorumque, quibus illae illigantur, vi et origine, omninoque de animi viribus et facultatibus, propenſionibus et affectionibus, probabiliter diſputare, aut de moribus vitaeque inſtitutis recte praecipere, aut ſocietatis huius, in quam homines coiere, cauſſas et conditiones perſpicere potvit, niſi qui in harum rerum initiis inueſtigandis et exquirendis multam et accuratam operam poſuiſſet; quid? quod iis quoque, qui de ſanctioribus doctrinis agunt, maximopere videndum eſt, ne, dum de homine eiusque natura diſputant, quod plerumque facere ſolent, hominem noſtris iam ſiue rectis ſiue prauis inſtitutis, emendatum dicemus an corruptum? imprudentes cogitatione ſubiiciant. Quam in rem ingens ſane et nunquam ſatis pro dignitate praedicandum, ad philoſophiae vero ſtudia diuinum plane, beneficium acceptum aetas noſtra refert iis, qui ſuſceptorum in extremas terrarum oras itinerum et nauigationum commentarios vulgarunt, et populorum, modo ferina plane et ſilueſtri vita vtentium, modo intra prima humanitatis initia ſubſiſtentium, modo eorum conditionem expoſuerunt, qui certa quidem

iam

quidem iam imperii aut ciuitatis forma deſcripta, quia tamen aut barbaria hominum et ignoratione, aut vnius paucorumue hominum libidine, fraude vel violentia, corrupta ac deprauata erat ſocietatis ciuilis conſtitutio, ad vitam proiecti erant, quae beſtiarum ac belluarum conditione miſerior et aerumnioſior haberi poſſet. Qua vna re ad verae philoſophiae diſciplinam plus profectum eſſe exiſtimamus, quam omni illa opinionum vanitate et diſputationum ſubtilitate, quae ſuperiorum temporum delicias fecit. Intelligere enim, ſe hominem eſſe, humanaeque naturae dignitatem eſſe eam, vt ſuae felicitatis ſtudium nunquam deponi vel abiici, nunquam eripi ei vel extorqueri poſſit, coiiſſe homines in ſocietatem non vnius vel paucorum hominum gratia, ſed communis vtilitatis cauſſa, nec religiones vllas aut opiniones ad elementa haec omnis iuris conuellenda et labefactanda valere ſatis poſſe: haec tenere, ad rerum hominumque fortunas plus refert, quam ſcire infinita alia, e quibus vulgo ſalutis noſtrae ſummam ac ſpem aptam eſſe volunt. Verum eadem barbarorum ac ferocium populorum notitia non minus vtilitatis habere poteſt at intelligendos et enarrandos veteres hiſtoriarum ſcriptores, et poetas, maxime Homerum, qui et obſcuritatis habebit plurimum, et multa abſurde dicere ac fingere videbitur, niſi animo te ad haec vitae initia, populorumque ab agreſtis vitae licentia in iuſtas ciuitates et imperia paullo ante coactorum mores et inſtituta, referas. Non enim iam id monebo, totius omnino epici carminis naturam et rationem intra horum fere temporum facta, mores, opiniones contineri; nec facile, ſi ab heroica

vita diſceſſeris, idoneum ſatis verae epici carminis naturae argumentum reperiri poſſe: verum in Homero ſaltem nemo aut cum fructu aut cum voluptate ſatis magna otium ſuum collocabit, qui non priſcae iſtius vitae, temporumque, quae in ipſo limine vitae melioris, vitaeque aſperioris confiniis, effluxere, ſenſus, opiniones, moresque induerit ſibique ita obuios et familiares reddiderit, vt in heroum quaſi locum ſuccedere poſſit. Itaque, vt exemplis nonnullis vtamur, regia dignitas et ius regium, quod a noſtrorum temporum more tantopere abhorret, inter Achivos nullum aliud eſſe debuit, quam Cacicorum inter Americanos populos eſſe legimus; quorum omnis auctoritas a ſapientia in conciliis populi et a virtute in bellis gerendis proficiſcitur. Nulla iis ex tributis et vectigalibus emolumenta, nullae opes niſi quas ipſi ſibi pararint. Eorundem praecipua munera (regum γέρα) ſi locum ſummum (προεδρίαν) in ſacris publicis et communibus populi epulis, tum portionem carnium praecipuam, eſſe memineris, quem morem non minus inter alios barbaros, vt apud Celtas, ſeruatum accepimus *), non ridebis Agamemnonem regiam dignitatem ex eo inprimis cenſere, quod ſacris factis et epulis inſtructis primi vocentur reges et carne vinoque ſeſe repleant (v. Iliad. Δ. 34. ſeqq. et al.). Quid? quot totum bellum Troianum non alio more ac ritu ſuſceptum ac geſtum eſt, quam quo nunc a regulis variorum Indiae populorum foedere

*) Diod. V, 28. vbi alia de Gallis Americanorum moribus ſimillima legas. Sic et de Hiſpanis apud Strabonem, de Britannis apud Tacitum.

dere inter ſe iunctis longinqua aliqua natio bello peti ſolet. Iisdem moribus Achilleae irae peruicacia, in Hectoris corpore foedando ſaevitia, Vlyſſis vafrities, pugnae Achiuorum et Troianorum cum conuiciis initae, virtus corporis robore aut agilitate ſpectata, haec omnia, inquam, iis moribus plane ſunt conſentanea, eiusdemque generis infinita alia. Graeciam autem qui primi incoluere, ferarum ritu, cauernis, quarum in Graecia, Strabone et Pauſania teſte, ingens copia, pro domibus, herbis et glandibus pro victu vſos, Caraibis Braſiliaeue incolis nihil diſpares ac diſſimiles fuiſſe ſatis conſtat, niſi quod caeli clementia ſolique indulgentia feritatem et aſperitatem morum vitaeque aliquantum temperauit. Sed quod Caraibis et Braſiliam incolentibus non contigit, vt accederent ad eorum fines, qui, initio non ab atrocibus iniuriis, auaritiae ſceleribus ac fraudibus aut ſaltem ſuperſtitionum ſubtilitate et obſcuritate facto; ſed a vero humanitatis cultu orſi id agerent, vt mitiora ſuaderent, minus aſperam et duram viuendi rationem traderent, commodiorem victum praeberent, paſcendi, ſilueſtria poma cum mollioribus et ſuauioribus permutandi, agri colendi rationem, tum artes mechanicas, vitae humanae vere magiſtras, docerent, et cum his denique philoſophiae ac religionis diuina munera communicarent; (nam reliquis noſtris malis ac miſeriis facile careant;) haec, inquam, quae iſtis barbaris non contigere, ea Graecis benigna aliqua fortuna attulit. Adiere eos digni ſancto humanitatis nomine homines, partim aduenae, Thraces, Phoeniciiue et Aegyptii generis, partim ex popularibus, qui longinquis itineribus ſuſce-

ptis aliorum populorum leges et inſtituta, litteras et ſapientiam cognouerant, vt vagos et diſperſos in ciuitates cogerent, leges et iura deſcriberent, religiones conſecrarent, regna et imperia, ſed circumſcripta illa legibus et vtilitate publica, conderent. Quorum immortalium hominum inſtituta tanto magis intereſt cognoſcere, quod ex iis multa, etſi pleraque nomine tenus, interdum inani ritu, vi ademta, (quod idem in Germanico Romanoque iure factum videmus,) ad ea tempora manſere, cum, ipſis ciuitatum incrementis, artibus litterisque exculta vita, mutata in melius, polita et elaborata eſſet. Multae vero ſiue vulgares ſiue ſapientum inter Graecos notiones et opiniones de rerumque naturis iudicia, quae nobis mira videntur, quoniam a noſtris diuerſa ſunt, a prima iſta animorum et ſententiarum quaſi inflexione ad certam rationem efformata ſunt. Hinc omnino antiquiore aeuo auguſtum et venerabile habitum eſt philoſophiae nomen; verſa erant ſtudia ad ſuam cuiusque, tum ad publicam felicitatem; vt is et eſſet et haberetur philoſophus, qui ſiue legibus ſiue moribus vitam excoluiſſet *). Nos ſpatii, quod nobis adhuc eme-

*) Sic accipiendum, ſi Athenienſes *φιλοσοφίαν* inueniſſe dicuntur ab Iſocrate Paneg. 13. quae ab eo hisce laudibus exornatur: *ἣ πάντα ταῦτα* (inuenta et munera Athenarum) *συνεξεῦρε καὶ συγκατεσκεύασε, καὶ πρός τε τὰς πράξεις ἡμᾶς ἐπαίδευσε, καὶ πρὸς ἀλλήλους ἐπρᾱϋνε, καὶ τῶν συμφορῶν τάς τε δι' ἀμαθίαν καὶ τὰς ἐξ ἀνάγκης γιγνομένας διεῖλε, καὶ τάς μεν φιλάξασθαι, τὰς δὲ καλῶς ἐνεγκεῖν ἐδίδαξεν.* quatenus vero illa verbis expoſita eſt, *λόγοι* pro eadem dici ſolent, iisque eaedem res praeclarae contineri, et ad *τὸ φρονεῖν καὶ λέγειν* referri. Comparandus quoque locus Cic. Tuſc. V, 2. Omni-

emetiendum ſupereſt, memores, *in inſtitutis nonnullis et moribus antiquae Graeciae* ſubſiſtemus, qui cum iam ex puerili inſtitutione ſatis forte noti nobis ſint, cauſſas tamen eorum, rationes et naturas *) perſpicere nequimus, niſi homines feros, truculentos, violentos, ὑβριστὰς καὶ ἀκολάστους, ad mitius vitae genus traducendos apud animum noſtrum cogitemus. Et primum quidem ἱκετείας religio et ſupplicum ſanctitas quanta antiquiſſimae Graeciae fuerit, vt a numine in totas ciuitates vindicandum et non niſi ſollenni expiationum religione eluendum ſcelus committeret, et deteſtabilis, ἐναγὴς, ἀλιτήριος haberetur, qui quantauis iniuria laceſſitus ſupplicem ſibi factum vlciſceretur, notum eſt; cuius moris tota ratio ab hominum illa ferocia, vltionis crudelitate et irarum peruicacia, repetenda eſt. Eſt enim hoc inter vitae mitioris bona, vt incredibiles illas et ſaeviſſimas iras homines deponere conſueſcant. Itaque prima quoque iudicia vbique de caede fuiſſe habita legimus, non de rerum rapinis aut de contractibus. Eodem conſilio aſylorum et refugiorum iura conſtituta ſunt, vt, cum nondum iudicia ad conſtantem et firmam ſatis rationem deſcripta eſſent, a violentia et impetu eorum, qui iniuria laceſſiti eſſent, ſeruatus reus iuſta cognitione ius ſuum experiretur. Sapienter ab iisdem vitae humanae auctoribus conſtitutum, vt ſanguine et caede etiam iuſta de cauſſa aut im-

Omnino in antiqua vita ſi ſapientia aut prudentia praedicatur, aut philoſophia ad eam refertur, a noſtris notionibus prorſus diſcedendum eſt.

*) Noſtri homines hoc appellant *l'eſprit.*

prudenter perpetrata contaminari homines ſcelere, Furiarum taedis ardentibus agitari et perterreri, ac mente capi, neque a tanta peſte liberari ac religione exſolui, niſi certis luſtrationum et expiationum cerimoniis operoſe inſtitutis, poſſe crederentur. Quid? illa ne, memoremus, quam recte religio animis iniecta ſit, vt huiusmodi ſceleris impunitate temere data a tota ciuitate ac populo graues poenas exigi, magnas calamitates, peſtem aut famem, immitti, interdum ſeros nepotes ob maiorum delictum et impietatem plecti putarent? Feras gentes plerasque inſidiari hoſpitibus et aduenis, eosque trucidare, ex noſtrorum hominum narratione conſtat; ſiue ingenita immanitate efferatae, ſeu potius hoſtili olim aliorum incurſu exaſperatae id faciunt, ſeu quod hominum animis natura inſitum eſt, vt omnem rem nouam et inſolitam horreant, et, ne ſibi noceri poſſit, caueant. Ea res haud dubie mouit antiquos legum latores, vt hoſpitii ius ſanctiſſimum conderent ac deorum hoſpitalium numine et inexpiabili religione ſancirent. Sepulturae autem religio, honoresque defunctis habiti, inferiae factae, ludi et feſti dies in eorum memoriam inſtituti quantam vim ad rudiores animos habuiſſe credere fas eſt, cum pietas erga mortuos ad omne aliud pietatis genus animum temperet! Atque ea quidem morum et rituum inſtituta quorſum pertinuerint, videtis *); quae tanto maiore forte luce colluſtrari

*) Manſere ex hac antiquiore philoſophia plura ad ſeriores aetates; veluti, quod, quae iniuſte acquirantur, nunquam diu durare poſſunt v. ap. Stob. Tit. III, p. 36, 21. Tit. XCII, p 511, 45. Theognis 195. quod terminorum ſanctitas et Iupiter Terminus erat; quod

ſtrari poſſint, ſi religiones illas antiquas enarrare, myſteriorum arcanas doctrinas ac cerimonias proferre, feſtorum ac ſollennium pompas ſymbolicas proſequi, aut oraculorum et vatum vim et vtilitatem exponere liceret, vbi in libera ciuitate, ac populi nondum imperio obnoxii concilio, feroces animi inuiti ad publicam vtilitatem adducendi eſſent. Verbo infinita ſunt, quae nobis quidem, ſi e noſtris moribus et inſtitutis aut ex noſtrae vitae neceſſitatibus cenſemus et aeſtimamus, barbara, temere accepta, parum fructuoſa videri poſſint, ſi tamen ad iſtarum aetatum iſtorumque hominum vitam referantur, prudentiſſima et vtiliſſima habenda eſſe liquet. Nihil enim ne a ſapientiſſimo quidem homine populis rudibus et ferocibus praeſcribi ac praecipi poteſt, niſi quod eorum ſenſibus, moribus et opinionibus aliqua ſaltem ex parte accommodatum ſit; quae enim nimium abhorrent, ea nec admittentur ab imperitis hominibus, nec intelligentur. Ferendum itaque eſt, ſi priſcos ſapientes multa, quae ſuperſtitionibus propiora ſunt, aut conſtituiſſe aut retinuiſſe videmus; inprimis in vaticiniis et oraculis, in teletis, luſtratio-

 nibus

quod nepotes luere creduntur poenas maiorum; quod hoſpiti viam non monſtrare, grauiter fert Ἑρμῆς ἐνόδιος, Theocr. XXV. 4. 5. 6. et id genus alia. Inprimis autem ſententiae exinde ductae ſunt plurimae grauiſſimae Theognidis, Solonis aliorumque; ex eodem fonte Euripidis verſus pulcherrimi fluxere. Vno verbo: vt in ſanctiſſimae religionis doctrina recte tenenda et perſpicienda, et iucundiſſima et vtiliſſima res eſt, non ſubſiſtere in eo loco, ad quem illa nunc, diuino beneficio, adducta eſt, verum ad initia et origines redire; ſic in litteris et philoſophia ea tempora cognoſcere iuuat, quae omne ſyſtematum et hypotheſeon genus anteuertur.

nibus, expiationibus. Niſi forte Moſem quoque accuſare volumus, quod non perfectam aliquam reip. formam ſuis popularibus ſcripſit.

Et haec quidem ad vera et recta de veterum hominum, legumlatorum inprimis, ſapientia informanda iudicia, quae ne temere ſuſcipiantur, ad omnem philoſophiam et hiſtoriae iurisque notitiam permultum intereſt, non inutiliter diſputata videri debent. Vti enim ſapientes illi nequaquam cum noſtrorum temporum viris doctis, philoſophis et litteratis, comparari ac confundi poſſunt; non magis quam eorum ſapientia cum noſtra ex tanta litterarum luce totque aetatum et ingeniorum tanquam ſpoliis locupletata doctrina: ita tamen illi nec pro ſtupidis, ſtolidis et imperitis, aut pro germanis praeſtigiatoribus et veteratoribus ſunt habendi: ne, dum noſtras aetates, ſacra noſtra et religiones, nimis extollere volumus, tempora illa, quibus ſanctiſſimi viri, quos patriarchas appellamus, quibus vates, quibus Moſes iisque ſimiles vixere, nimium deprimamus; et ne iniurii ſimus in optimi maximi numinis paternam in totum genus humanum per omne aeuum voluntatem et indulgentiam, cui nullo tempore ſubtractum eſſe voluit id, quod miſeriam leuare, conditionem in melius mutare, mentem ad veriora fingere, praeſidiaque ad bene recteque viuendum, pro eo, quo conſtituta erat quaeque gens humanitatis gradu, ſuppeditare poſſet: nec enim nos ſoli ſapimus, nec noſter modo, ſed totius generis parens eſt is, quem adoramus, deus, omnium temporum, omnisque aeternitatis deus parensque. Interea tamen candide et

grato

grato cum ſenſu agnoſcendum eſt: multo benigniore haud dubie forte aetatem noſtram frui, Ciues Cariſſimi, quae in vitam omni iam cultu inſtructam, morum et religionis ſanctiſſima diſciplina emendatam, litterarum doctrinis artiumque elegantia expolitam incidit. Quae tamen vitae cultura et elegantia ne aut ad meras delicias, voluptates, ludos et oblectamenta, aut ad inane nomen, vanam externam ſpeciem cum morum inſolentia vitaeque licentia coniunctam, abeat, cauendum eſt; ne forte in medio omnis humanitatis cultu, dum politioris vitae nomen iactamus, morum turpitudine, ingeniorum ferocia, belluina intemperantia, ſanctiſſimae religionis officiorumque pietatis et humanitatis contemtu, infra omnes feras gentes poſiti eſſe videamur. Sed pollicentur alia omnia ad omnem humanitatem iamdudum formata pectora veſtra, ingenia mollia et facilia, generoſae indoles, natalium honeſtas, aliorum etiam ſplendor, atque ipſa haec animorum ad Muſarum ſacra addictio artiumque cultura, quae *mores non ſinit eſſe feros.* Habebit igitur, cur paterna vos indulgentia amplectatur is, ad quem nunc a d. II. Ianuarii academici faſces transferentur, Vir ſumme reuerendus,

PAVLLVS IACOBVS FOERTSCH, D.

in quo cum morum ſanctitatem vitaeque grauitatem cum tanta humanitate et comitate coniunctam videatis, in nulla vtique eum re aut legibus et diſciplinae publicae aut pietati et caritati ac beneuolentiae, qua erga vos ducitur, defuturum eſſe exiſtimabitis. Pompae itaque, quae in templum academicum ducetur,

 adeſte

adeſte frequentes, o florentiſſima Iuuentus, atque hoc pietatis, reuerentiae gratique animi tam in elapſi ſemeſtris Prorectorem teſtimonium ac confeſſionem, quam in nouum magiſtratum pignus, edite. Quod vt lubenter faciatis, Illuſtriſſimi Comites, Generoſiſſimi, Humaniſſimi Commilitones, rogatos vos amiciſſime hac tabula ac monitos eſſe volumus. P. P. ipſis Kal. Ianuar. CIↃIↃCCLXV.

* * *

Quanta litterarum noſtrarum incrementa a XX. inde annis facta ſint, vel hoc exemplo declarari poteſt, quod, quae in exordio huius commentationis in votis habueram, vt ea, quae de ortu et progreſſu humanitatis eiusque cauſſis ſummo cum fructu tradi poſſent, ſuos ſcriptores nanciſcerentur, inprimis qui ea, quae de barbaris per orbem terrarum populis a peregrinatoribus memoriae tradita ſunt, ſedulo compararent cum antiquioribus hiſtoriis, ea ab illo inde tempore a multis viris acutis et grauibus ſubtiliter, docte et copioſe pertractata ſunt. Iacta iam erant ei rei ſemina partim *Monteſquieui* ingenioſa de legum cauſſis diſputatione, partim *Ruſſauii* *) ſophiſtae acutiſſimi, declamatione et controuerſia inde mota; *Heluetii* quoque ſagacitas ſuperſtitioſum in nonnullis metum infregerat, in aliis temeritatem auxerat; vulgatus erat ſub idem, quo iſta ſcripſeram, tempus, *Iſelini* liber bonae frugis plenus, quo humanitatis fata expoſita ſunt; argumento tamen inchoato potius quam abſoluto; *I. Krafftii* libellus praeclarus inter Danos vul-

*) *I. I. Rouſſeau.*

vulgatus altero anno poſt in notitiam noſtratum venit (LXVI.) eodem anno *I. G. Steebii*, ſimili argumento, ſed ſecundo ab iſto loco. Succeſſit *A. Ferguſonus* *) *I. Millar* **) *H. Homius* ***) *Gilb. Stuart* ****) nuper *I. Dunbar* *****) Maius latiorisque ambitus opus molitum collegam noſtrum coniunctiſſimum, *Federum*, in disquiſitionibus ſuper voluntate humana, bonis votis proſequimur, vt binis voluminibus iam vulgatis tertium et quartum nature ſuccedat.

Vitae priſcae, qualis quidem illa ab Homero deſcripta eſt, ſumma capita iam antea *Feithius* exhibuerat in noto de antiquitate Homerica libello; etiam *Blackwalli* habebatur libellus valde vtilis******); ſed, cum vterque philoſophico acumine et orationis gravitate deſtitutus eſſet, nec illa tempora harum litterarum ſenſum et guſtum ferrent, neuter in ſe hominum doctorum animos oculosque conuerterat; quae felicitas mox contigit libello Roberti *Wood* *******), per

*) *Eſſay on the Hiſtory of the ciuil Society.* 67.

**) *Iohn Millar Obſſ. concerning the diſtinction of Ranks in Society.* 71.

***) (*Lord Kaimes*) *Sketches of the hiſtory of Mankind.* 79.

****) *Gilb. Stuart Vien of Society in Europe.* 78.

*****) *James Dunbar Eſſays on the hiſtory of Mankind in rude and cultiuated Ages.* 80. *Add. W. Alexander Hiſtory of Women.* 80.

******) *Enquiry into the life and Writings of Homer.* 1735. 2. ed. 36.

*******) *Eſſay on the original Genius of Homer* 1769.

per ſe ſatis ieiuno, ſi quidem interpretationem Homeri inde petere velis, ſed praeclaro ad excitandos magnos in animis ſenſus, ad inflammandam mentem iis rerum imaginibus et notionibus, quae ex caeli locorumque natura ac ſitu comparandae ſunt.

De *epici carminis* natura, adeoque de Homericae epopoeae argumento dicta a me ſunt plura ad Virgilium To. II. Disquiſ. I. (ſub a. LXXI.)

Quae vero ſummam argumenti huius commentationis conſtituunt, de inſtitutis moribusque veteris Graeciae ſapienter conſtitutis, miretur forte aliquis me ſummatim tantum appoſuiſſe, nec ea doctrina, multorum exemplorum ac locorum commemoratione, inſtruxiſſe, quam quidem illa recipiebant. Enimuero vt nec ignorari illa poſſunt ab iis, qui in hoc litterarum genere hoſpites non ſunt, ita reſeruanda ea ſunt lectionibus priuatis ſuper Graeca antiquitate, in qua illa ſedem ſuam habent; nec omnino locis veterum oneranda eſt commentatio niſi in iis, quae aut obſcura ſunt, aut parum nota, aut quae in controuerſiam venire, aut quae, ſi nude poſita ſint, non recte percipi poſſe videntur.

ACADEMIAE GEORGIAE AVGVSTAE

PRORECTOR

PAVLLVS IACOBVS FOERTSCH D.

CVM SENATV

NOVVM PRORECTOREM

COMMENDAT CIVIBVS

IN A. D. III. IVL. CIƆIƆCCLXV.

De publicis priuatae frugalitatis vtilitatibus, inprimis ad maiorem ciuium frequentiam

PROLVSIO PRIOR.

Non quidem ii ſumus, qui antiquis temporibus terrarum orbem frequentius cultum et habitatum fuiſſe, quam noſtris, et maiorem hominum numerum, ſi capita cenſeantur, ante ea ſaecula floruiſſe contendamus, quae rerum conuerſionem, cui noſtrorum imperiorum ac regnorum origines debemus, anteceſſerunt; quae quidem quaeſtio, poſt *Voſſium* et *Wallacium* ab acutiſſimo *Humio* *) agitata, niſi ad certas aetates, terras et imperia reuocetur, vniverſe quidem recte tractari nequit; ſed in veterum tamen populorum hiſtoriis cognoſcendis, incredibilia non-

*) Iſ. Voſſius *Var. Obſ. cap. I. ſqq.* (Wallace *Diſſ. on the Numbers of mankinnd in ancient and modern Times*) Hume (*political Diſcourſes Nro. X.*)

nonnullorum incrementa et in anguſtis finibus malignoque ſolo hominum abundantiam mirari ſatis non poſſumus. Namque magnam Europae partem, Africam fere vniuerſam, vaſtae nunc ſolitudinis ſpeciem habere non tam mirandum, quam humanitatis vicem eſſe dolendam exiſtimamus; et Hiſpaniam, Italiam, Siciliam, ipſamque Galliam quibus de cauſſis viris exhauſtam languere videamus, dicere in promtu eſt; ſed eſſe terras, quae olim non modo maiore, verum etiam ea frequentia floruerint, quae, ad communes rationes ſpectata, intra tam exiguos fines vix contineri, ali et ſuſtentari potuit, hoc eſt, quod commouere facile poſſit animos. Et de Palaeſtina quidem et Aegypto nota res eſt. Graecia autem proprie ita dicta cum Peloponneſo vix quartam M. Britanniae partem agrorum ſpatiis exaequat; ſolum eius tenue et exile; quot tamen ciuitates, quot hominum millia ea terra aluit! quae res in Peloponneſiaco maxime bello apparuit. Ipſa vero Attica, quae, haud multum abeſt, quin cum tertia regni Boruſſici aut Saxonicarum, quae quidem Electori parent, terrarum parte comparari poſſit, terra ſalebroſa, ſaltuoſa et anfractu littorum flexuoſo arctata, quot claſſes, quot exercitus in bellum miſit*)! Ex Ioniae, Doridis Aeolidisque anguſto littorum ambitu, quot coloniae egreſſae nouas ſibi per omnia interni maris littora ſedes quaeſiuere! Italia vero per ea tempora, in quibus nondum ſeruiebat Romae, (nam

*) Nolumus enim, cum res per ſe liqueat, impeditis Wallacii p. 54. 284. et Humii p. 220. ſqq. rationibus vti.

(nam non niſi ipſa demum ſeruitute, vt ſolet, exoleuit fortiſſimarum gentium robur,) vt continua per CCCC. annos bella cum Romanis gerere poſſet, quam referta hominibus eſſe debuit! quae ipſa res *Liuio* *) miraculo fuit, vnde toties victis Volſcis et Aequis ſuffecerint milites. Multo tamen magis Magna Graecia, in extremis Italiae oris, miraculo tenere animos potuit, quae intra non magnos fines quot et quantas, quam opulentas et frequentes, vrbes habuit! Croton a Sybari ſex fere milliaria Germanica aberat; haec tamen CCC. millia virorum contra Crotoniatas eduxit, qui C. millibus ſuos fines tuebantur. Habet haec narratio, quod in dubitationem vocare poſſis; ſed Sybari XXV. vrbes parebant, ipſaque vrbs duo fere milliaria aedificiis occuparat **). Intra decem a Sybari milliaria Heraclea, nobilis vrbs, et hinc quarto milliari Metapontum, ſexto inde Tarentum ſitum erat, quae opulentiſſima ciuitas et ipſa cum claſſem tum XXX M. peditum et III M. equitum exercitum aluit; deinceps vero Iapygum decem fere milliarium oram tredecim magnae vrbes colebant ***). Iam Roma quantam virorum copiam habuerit ****), vt intelligatur, hoc vnum memoraſſe ſatis ſit, quod, Romana ditione per quatuor ſaecula vix ad duo milliaria prolata, ad CC. tamen millia, ciuium, qui arma ferre

*) Liv. VI, 12.

**) Strabo lib. VI. p. 403. Diodor. XII. c. 9.

***) V. Strabo VI. p. 429. ſqq. 425. cf. Mazoch. in Tabb. Heracl. T. I. prodr. 6. p. 46. ſqq.

****) de hoc multis Wallace l. l.

ferre poſſent, capita cenſa ſunt. Nam iis temporibus, cum rerum caput eſſet, ingenti hominum vi Romam abundaſſe, in eo nihil eſt, quod mireris. Omnes enim vrbes, quae magnorum imperiorum ſedes ſunt, magna hominum affluentia celebrari neceſſe eſt. Sed iſta hominum multitudo ac turba cum ſibi ipſi grauis et infeſta eſt, tum omnibus longinquioribus terris exitioſa; vt enim coarctata et compacta in vnum locum corpora facilius putreſcunt, et magnae hominum frequentiae ipſo ſpiritu aer inficitur, ſic magni coetus concitatiore et latiore vitiorum contagio contaminari ſolent; nec magis herbae nimis ſpiſſa vbertate ſibi officiunt, quam hominum corpora in eandem glebam depacta. Sed et, dum collecto circa pectora ſanguine rumpuntur praecordia, reliqui corporis artus ſiccitate exareſcunt. Quanto ſalubrior illa hominum frequentia, quae aequabili aliqua ratione per crebra oppida et vicos diſperſa et feliciore et vtiliore hominum prouentu exuberat! Atque hoc ſi quid aliud, fidem impetrare videtur narrationi de Aegypti priſtina εὐανδρία, cum *Diodorus* in populi quondam cenſu ſeptuagies centena millia *) numerata fuiſſe, nec ſuo tempore infra tricies centena millia cenſeri dicat **). Namque eorum calculos non admittemus, qui ex iis, quae de Seſoſtris aequalibus narrantur, trecenties vicies centena millia (XXXII. Milliones) conficiunt. Idem *Diodorus* antiquis tempori-

pori-

*) VII. Milliones ad noſtros calculos. Cum Diodoro convenit Ioſeph. B. I. II, 16. Veſpaſiani tempore incolarum ſeptuagies centena quinquagena millia fuiſſe.

**) L. c. 31. etiam Euſeb. et *Lettre à la fin du Voyage du Sr. Lucas en 1714. P. II. p. 289.*

poribus vicos in Aegypto memorabiles et vrbes vltra XVIII M. fuiſſe e ſacris commentariis prodit; Amaſidis autem aetate, ſub Cyri tempora, ad XX M. vrbibus frequentatam Aegyptum, *Herodotus* tradit *). Ptolemaei Lagi tempore plures quam XXX M. in recenſu ſcriptas, eundemque vrbium numerum ad ſua tempora manſiſſe, ita narrat *Diodorus* **), vt fidem facere poſſit; *Theocritus* vero ***) Ptolemaeo Philadelpho XXXIII M. trecentas triginta nouem vrbes paruiſſe affirmat; quo tamen numero victoriarum praemia, Phoenices, Coeleſyriae, Arabiae, Libyae etc. vrbes comprehenſas eſſe ipſe ſubiicit. Sed his ſubductis, et re ad antiquum numerum reuocata, eſt forte quod, cum noſtris terris comparatione facta, incredibile videri poſſit. Sed primum, vrbium nomine etiam vicos omnis generis comprehendi vidimus; deinde Aegyptus continuis Nili diuerticulis et foſſis diſtincta, quacunque editioris quicquam ſoli eminebat, vicatim habitabat; qualis huius regionis facies noſtra etiam aetate eſſe fertur, vt per CC. leucarum iter ****) continui ſe inuicem vici excipiant; *****) tum in tanta caeli clementia, cum frigoris vis nullis ignibus frangenda ſit, ſiluis ac ſaltibus aut

*) Lib. II, c. 177. ex eo Plin. V, 11.

**) Lib. I, c. 31. vbi τρισμυρίους adſtruit quoque d' *Origny* T. I. p. 124. ſqq.

***) 33, 339. vrbes. Theocr. Idyll. XVII, 82. in laudem Philadelphi ſcripto eique tradito: vt dubitationi locus non ſit. cf. d' *Origny Egypte ancienne* p. 189.

****) Maillet (*Deſcript. de l' Egypte p. 22.* et 4*. Sinarum eandem faciem eſſe, ſatis notum eſt.

*****) h. e. 21. dierum iter. (Apud Abulfedam XXV. dierum iter ab Aſſeuan ad Foſtat eſt.)

aut nihil aut parum ſoli relinquendum eſt; cum in noſtris terris modo ſexta, modo quarta agrorum pars neceſſario nemoribus conſita eſſe debeat. Adde agrum in horti morem cultum, vbertatem ſoli ſummam, etiam arte partam, Nili aquis quaquauerſus admiſſis et ductis; non itaque de ſemente ac meſſe ad noſtrum morem facta cogitare licet. Praeterea ingens fuit copia olerum et leguminum, plantarum paluſtrium et radicum eſculentarum, ita vt ſolum Aegyptium etiam ea ſui parte prodeſſet frequentiae habitantium, qua nullum frumentum metebatur. Saxonicas terras, quanquam eas multis in locis aut incultas aut maligne cultas iacere ſatis conſtat, inter reliquas tamen Germaniae prouincias cum eximia cultione niteant, vltra CCXX. vrbibus et ad quinquies mille vicis frequentari aiunt; atqui eae non niſi duodecimam milliarium quadratorum, quae Aegypto continentur, partem ſpatiis ſuis patent*); vt, hanc proportionem ſi ſequare, non modo non inſigniter, ſed ne ſatis quidem culta videri poſſit Aegyptus. Sed mirabilis illa incolarum non modo Aegypti, verum aliarum quoque terrarum antiquis temporibus abundantia non leui fama fertur; et poteſt illa tanto maiorem admirationem mouere, ſi, quantopere priſcis illis ſaeculis omnia ea defuerint, quibus noſtra aetate magnus hominum numerus ali ſolet, cogite-

*) (Saxonicarum terrarum ſuperficies ad 730. milliaria germanica quadrata aſſurgere fertur. Si Templemani rationes valerent, ex quibus Aegypto tribuitur ſuperficies $8793\frac{3}{4}$ milliarium: vere iſta a me dicta haberi poſſent. Verum iſti calculo vix ſatis fidem habere licet. Exploratum tamen hoc eſt, quantouis maiorem et latiorem fuiſſe Aegyptum. v. inf.)

temus: deſuere enim tot opificiorum et artium inuenta, quibus vtimur. Sed luxuriantis hominum prouentus cauſſae cum multae aliae afferri ſoleant, ſatis enim ſubtiliter et acute omnia haec a praeſtantiſſimis viris, *Monteſquieuo*, *Heluetio*, *Humio*, et omnis humanitatis grauiſſimo illo auctore, *Mirabauio*, nam *Suſsmilchium* nominaſſe ſufficit, perpolita ſunt; vna tamen cauſſa eſt, qua tantum non ſumma rei contineri videtur, quod maior inter veteres illos populos, quorum frequentia celebratur, frugalitas victusque ſimplicitas et ευτελεια viguit, quodque etiam tum, cum luxu diffluerent, minus pernicioſo luxus genere corrumpebantur; quo ipſo efficiebatur hoc, vt cum cibo modico et tenui contenti eſſent, eadem terra plures alere poſſet, connubiaque adeo frequentia iungerentur pluresque tollerentur liberi; quorum corpora, non minus quam parentum, cum ex nutritione et continentia eſſent valida ac vigentia, operique adeo faciendo idonea; rerum prouentus ex talium manuum opera iterum erat tanto maior et locupletior, adeoque ad plures alios alendos ſatis copioſus. Quae diſputatio, cum praeſentis ſcriptionis fines excedat, ſeponenda illa quidem nunc a nobis eſt, ab ipſis tamen academicis rationibus non plane aliena videri debet. Quamuis enim bonarum et vtilium rerum copia affluat academia, ſi frugalitas in nulla laude ſit, non facile florere eius res nec magna ciuium frequentia accreſcere poſſunt. Luxuria diffluere, molliter ac delicate viuere, non magis bonae menti infeſtum, quam ingenii vigori inimicum eſt. Muſarum contubernium ſancte, continenter, ſeuere, ſobrie eſt obſeruandum. In qua

vero ciuitate niſi magnis impenſis, magnoque peregrinarum mercium ac cupediarum apparatu, iucunde viui non poteſt, ad hanc ne non magni adeuntium et commeantium concurſus fiant, valde verendum eſt. Recte itaque et ſapienter huic omnis virtutis ac ſapientiae fundamento bonis legibus, moribus et inſtitutis prouiſum eſt; prouidebitur etiam nunc ab eo, ad quem magiſtratus academicus defertur, Viro Illuſtri et Iurium conſultiſſimo,

CHRIST. FRID. GE. MEISTERO, D.

Dabitis hoc beneuolenti eius et paterno plane erga vos animo, cum ipſi vnice cordi ſit, quam plurimos veſtrum et quam maxime poſſit, iuuare et ornare, vt quam maximos caritatis ſuae fructus ferat, et quam minimum ex legum ſeueritate ac neceſſitate dolorem ac moleſtiam percipiat. Tradentur ei inſignia honoris ſummi in Academia noſtra die III. Iulii hora locoque ſolito; quibus caerimoniis vt vos Iuuentutis Principes, Comites Illuſtriſſimi, vosque Generoſiſſimi Nobiliſſimique Commilitones, et quotquot ſacris noſtris fauetis, frequentes adeſſe velitis, humaniſſime rogamus. P. P. ipſis Kal. Iuliis CIƆIƆCCLXV.

ACADEMIAE GEORGIAE AVGVSTAE

PRORECTOR

CHRISTOPH. FRIDRIC. GEORG. MEISTER D.

CVM SENATV

ANNIVERSARIA INAVGVRATIONIS SACRA

VICESIMA OCTAVA

IN A. D. XVII. SEPT. CIƆIƆCCLXV.

INDICIT.

De publicis priuatae frugalitatis vtilitatibus ad maiorem ciuium frequentiam.

PROLVSIO ALTERA.

Tanto maiorem omnino in aliqua ciuitate et imperio frequentiam hominum eſſe, quo maior hominum numerus facile ali poſſit; id quidem, Ciues Optimi, cum per ſe eſt euidentiſſimum, tum a viris ſapientiſſimis, inprimis a *Mirabauio*, grauiſſimo humanitatis vindice, ſatis eſt demonſtratum. Eſt enim hoc illud, quod ad matrimonia iungenda et liberos ſuſcipiendos inuitet ciues, qui neque in incertam ſpem, neque ad certam miſeriam, connubiorum foedera inire neque tollere amant liberos, quibus mox ſiue inedia pereundum ſiue inter miſerias, aerumnas et duros labores, anima agenda

 ſit.

ſit). Raro autem, ſub aequiore ſaltem caelo, phyſicae rationes, quamquam earum magnam vim eſſe lubenter fatemur, maiora alicuius populi incrementa intercipiunt; latent fere morbi ſemina partim in reip. deſcriptione, partim in diſciplinae publicae aut incuria aut inconſtantia. Sed dum de hominum opinionibus ſatis ſollicita ſunt imperia, et *ſtrenuam* interdum hac in re *exercent inertiam;* mores interea vitamque priuatam ac publicam, et, quo vno omnis hominum emendandorum ratio continetur, puerorum h. e. futuri populi inſtitutionem, (multo maius, grauius ac ſplendidius, quam aliud vllum regiorum iurium **), quae imperiorum maieſtas in priuatorum fortunas vindicare ſibi poteſt) arbitrio ac lubidini ciuium aut fortunae ludibriis rerumque fortuitarum conuerſionibus relinquunt. Iam eae res, quibus aluntur homines ita comparatae ſunt, vt partim neceſſitatibus hominum ſatisfaciant, partim afferant iucunditatem, partim ad luxum pertineant. Illis natura humana aut non, aut aegre, his recte caret. Illis vitae fomes alitur et inflammatur; his opprimitur, reſtinguitur. Illis corpora animique maius robur, maiorem vigorem conſequuntur, his debilitantur, franguntur. Cum autem eae res variis modis et artibus parentur et a variis materiis petantur, omnium

*) Οἱ μὲν γὰρ πένητες οὐ τρέφουσι τέκνα, φοβούμενοι, μὴ χεῖρον, ἢ προσήκει, τραφέντα, δουλοπρεπῆ καὶ ἀπαίδευτα καὶ τῶν καλῶν πάντων ἐνδεᾶ γένηται· τὴν γὰρ πενίαν ἔσχατον ἡγούμενοι κακὸν, οὐχ ὑπομένουσι μεταδοῦναι τέκνοις, ὥσπερ τινὸς χαλεποῦ καὶ μεγάλου νοσήματος. Plut. de amore prolis. Sub f. p. 497.

**) *Regalia* noſtri homines vocant.

omnium tamen prouentus aut e terra eſt, aut, vnde eſſe poſſit, e terra habet. Vt earum vero rerum, quibus vitae humanae neceſſitates et iucunditates continentur, ſatis magna et hominum ſiue natorum ſiue naſciturorum numero par et ſuffectura copia et abundantia adſit, duabus potiſſimum rationibus effici poteſt, partim, ſi maiori earum rerum affluentiae et vbertati ſtudeamus, partim ſi earum vſum prudenter temperemus. Iam prior ratio, ad intelligendum quidem, perquam facilis eſt et expedita. Non enim, idquod magno noſtro bono fit, hac in re is error obuerſari prudentum animis poteſt, quo, cum de imperiorum potentia ſiue comparanda ſiue tuenda agitur, praeſtringi fere illorum oculos videmus, vt non eo potentiores exiſtiment ſe, quo maius ipſi robur in ſe habeant; quod hominum rerumque maiore affluentia et prouinciarum, quas iam tenent, meliore cultu, facile et ſine bellis aſſequi poſſent, aut quo ſapientius ipſi ſibi conſulant ſuisque vtilitatibus et opportunitatibus quam callidiſſime vtantur; ſed eo validiores aliisque metuendos ſe fore putent, quo inertior aut infirmior et fractior vicinus quisque ſit populus et quo minus alii, quid e re ſua ſit, intelligant; non, inquam, in hominum illorum ſollertiam cadere ſimile quid hac in re poteſt, vt ſuum populum tanto maiorem neceſſitatum et vtilitatum copiam habere putent, quanto maior alterius inopia ſit. Sed conſenſus omnium ſummus in eo eſt, vt rerum, quibus vita ſuſtentatur, tanto maiorem ſatietatem fore putent, quo maior partim terrae cultus ſit pluriumque rerum ac generum, quae ex agris non modo victui et cultui, ſed arti et indu-

 ſtriae

ſtriae hominum ſuppeditentur, prouentus, partim quo maior ſiue naturae ac fortunae beneficio ſiue artis et ingenii aut induſtriae humanae ope earum rerum affluentia ſit, quarum permutatione et exportatione ea, quae terra noſtra non fert, ab aliis arceſſi poſſint. Opificia itaque, artes ac mercatus non magis ſunt ſupplementa agriculturae, quam incrementa; cum mutuae plane harum rerum vtilitates, mutua damna, ſint. Nullum tamen horum generum ſine hominum, bonorum quidem et vtilium, (bene enim Graeci bonos ciues χρηστιμους appellant; vt autem vtiles ſint, diſciplina publica priuataque, hoc eſt educatione, efficitur,) iuſta frequentia recte fieri poteſt. Redit itaque ſemper oratio ad incolentium frequentiam.

Enimuero ſumma rerum vtilium in aliquo populo abundantia, ſiue imperantium prouidentia, ſiue, vt fere ſit, fortuito aliquo rerum variarum conſenſu, parata eſto: niſi tamen populus ille ſuis bonis contentus inter maximas opes victu et cultu ex ſuarum terrarum prouentu parato vtatur, nihilque peregrinae mercis admittat; quod tamen nusquam factum videmus, nec fieri poſſe putamus; ſed ſi domeſticis opibus peregrinae copiae rediuuntur, ea ipſa copia, quam dicimus, breui tempore inopiam neceſſario adducet; niſi cultus ſoli et induſtriae prouentus fructusque multiplicetur mirifice. Nam plerumque, quo plura ab aliquo populo exportantur et permutantur, eo magis rerum vtilium copia minuatur neceſſe eſt. Importantur enim in tali populo fere ea, quae mera luxus inſtrumenta, fomenta et incitamenta habenda ſunt,

ſunt, raro res vtiles aut neceſſariae, quarum inopia talis terra, vtpote in tanta incolarum frequentia, laborare vix poſſit; Huius tamen generis ſunt ipſae illae res, quae exportantur et cum minus vtilibus, atque etiam noxiis, quae aduehuntur, permutantur; Itaque in feliciſſimo quamuis prouentu abundantiam earum decreſcere ſenſim, exhauririque et exinaniri conſentaneum eſt. Quo magis porro, neceſſariarum rerum vſu non contenti, iucunda et ſplendida et magnifica expetimus, eo maior prouentuum ex agris et omnino pecuniae noſtrae pars parandis iis erit impendenda, cum antea ea, quae ad victum cultumque pertinebant, multo minore fructuum ſeu redituum annuorum parte ſeu continerentur ſeu pararentur. Igitur eo ſenſim adducetur res, vt in priuata cuiusque fortuna tanto maior fiat iactura, quanto maius lucrum; eo luculentior expenſarum ſumma, quo vberiores ſint ex agris pecuniaue fructus. Quae mali contagio cum per omnes mox ordines manet, et ab infimo quoque maiores in victum cultumque ſumtus aut fiant aut faciendi ſint: grauiores inde operarum mercedes exigentur, annona calefiet, rerum venalium pretia accreſcent. Interea pretia fundorum decreſcent, et prouentus eorum annui ſingulis annis minuentur. Cum enim colonorum et agricolarum numerus iam antea minor eſſe coepiſſet quam pro affluentia hominum, qui partim nihil operae et vtilitatis in remp. conferunt, partim ex publico luxu victum opesque ſibi quaerunt, nunc, cum nulla amplius annonae vilitas, nulla vitae cultusque facilitas ſit, qua vna florere agricultura poteſt, et ſine qua ager vtiliter coli nequit, multo maiorem

 in-

in agris ſolitudinem fieri neceſſe eſt. Interea, cum minore operis, quod faciunt, fructu et vtilitate, maiora fere ab iis exiguntur tributa, vt publicis priuatisque dominis ad ingentes ſumtus tolerandos ſuppetat; ipſa miſeria ordinem proborum et honeſtorum virorum in contemtum adducit, ſummaque eorum calamitas lautioribus ludibrio eſſe ſolet. Vt vero agricolarum, ſic vtilium artificum et opificum frequentia non minus diffluit, cum ex vtilibus artibus lucrum paruum aut nullum proueniat, rerum vtilium nullus ſit honos, omnium animis ad luxum et ſplendorem vitae conuerſis. Hinc matrimoniorum difficultates, mox detrectationes, eaeque ipſae cum minore eorum, quae contrahuntur, ſanctitate; liberorum vero, quos liberaliter alere nequeas, ſuſcipiendorum auerſationes; cui enim liberos tollere lubeat, ſi non expediat nec parentibus nec liberis? Quo ipſo eadem illa mala, vnde haec orta erant, vires ſumunt latiusque manant; vulgatur tandem miſeria et ſolitudo et per omnes ordines graſſatur. Itaque neceſſaria plane haec rerump. eſt περιπετεια et in orbem quaſi circumactio, vt ad id redeant, ſi ſeruari volunt, quod ab initio ſequi debebant, vt frugalitatem, paupertatem et modicum rerum vſum amplectantur. Peruenimus igitur ad alterum illud, de quo ab initio diſputare ſuſceperamus, et quae altera erat ratio, qua rerum ad vitae humanae ſuſtentationem vtilium affluentiae prouideri, vtque frequentia incolarum magna eſſet, effici dicebamus, vbi, temperato ac parco vtilium et iucundarum rerum vſu, copia earum tanto maior et paretur et ſeruetur.

Et huius quidem rei declarandae non valde impedita ratio eſſe nobis videtur. Quod enim interdum videmus fieri, vt tanta ſit alicuius hominis ingluuies, vt per vnum diem intra rapaciſſimum ventrem recondat id, quod aliis in tres pluresue dies ſatis fuiſſet, idem in lautiorum hominum coenis fieri neceſſe eſt, vt tanto altilium, volatilium, ſilueſtrium, fartorum, pomorum, bellariorum, vinorum apparatu menſa oneretur, quo plures familiae in vnum menſem ali potuiſſent. Tantumdem itaque ei, quod reliquis ad victum cultumque ſuppetere debebat, detrahitur; vt adeo his aut eo tenuiore victu et parciore vtendum aut plane carendum ſit. Nullus itaque in aliqua ciuitate, ſi recte rem aeſtimes, prodigus ac luxurioſus homo eſſe poteſt, quin id ad maiorem tenuiorum egeſtatem pertineat. Vt enim ille delicate ac molliter viuere poſſit, centum aliis miſere et calamitoſe eſt viuendum. Quid? quod nemo noſtrum ne laute quidem viuere poteſt, niſi ſint alii, qui de fructibus et emolumentis operarum ſuarum, ſiue in agro ſiue in frugibus arte aliqua ad vitae vſum tractandis et elaborandis, tantundem, tanquam demenſum ſibi detractum, noſtris vſibus concedant, ſeu penſione illud ſeu vectigali ſeu tributo alioue nomine perſolutum. Quae res multo maiorem habet euidentiam, ſi ſingula ad pretia ſua reuoces, et calculis vtaris. Iis enim impenſis interdum lautioris hominis, vnius quidem ex his, *quibus in ſolo viuendi cauſſa palato eſt*, coena paratur, quibus non modo tota aliqua domus, ſed pagus, interdum oppidum aliquod, per menſem, per annum ali poſſit, et minore ſaepe alitur; id quod ad totum populum nil

nil attinere ne putemus. Vt enim huic homini tantum ſuppetat, quantum in vnam coenam impenſae faciendum ſit, certae populi parti tantum laboris, nullo ad ſe redeunte fructu, tolerandum eſt, quo pretium iſtud menſae efficiatur, Vicus verbi cauſſa pagusque aliquis ſatis numeroſus opus facit, cuius fructum alter ille, vt vna coena effundat, percipit. At illis, qui laborem tolerant, quanta tandem fructuum pars relinquitur, vnde cum liberis, coniuge ac grandaeuo parente viuant! ſi modo viuere eſt, aut in ſtupore aut in ſolo miſeriae ſenſu aegram animam trahere. Quae adhuc dicta ſunt, ad victum tantummodo pertinent; quae tamen minor impenſa eſt, quam quae in veſtitum vitaeque cultum, domum, hortos, vtenſilia, vaſa, reliqua, fit. Quotacunque ex iis pars aequiparari tandem poteſt ei ſummae, quae a paupere colono tugurio ſuo cultuique impenditur? aut quot millia ex his colligenda ſunt in vnam ſummam, ad efficiendum eum ſumtum, quem locuples vnus facere ſolet? et ille tamen, quod tanto grauius eſt, cum tantum abſumat eius, quod paratum eſt, nihil ipſe ſiue operae ſiue curae ac conſilii ad communem vtilitatem affert.

Sed iam fingamus, fingendum enim hic eſt, quod vix vt fiat, ſperari poteſt, illum ipſum profuſe ſumtuoſum, ſiue ſapientiae grauitate ſiue doctrinae chriſtianae ſanctitate ſiue diſciplinae publicae, qualem in multis rebus publicis viguiſſe nouimus, auctoritate adductum, vitae ſimplicitatem amplecti et paruo contentum, quod natura poſtulat, id ventri ac cupiditatibus dare; iam in communi fundo, ſeu maſſa, tan-

tantum eſculentarum omninoque ad victum cultumque facientium rerum et pecuniae manebit, quantum antea profuſe conſumebatur; nec tanta prouentus copia permutanda erit luxus blandimentis ab externo artifice petendis. Hoc ad melius habendos, veſtiendos, tuendos reliquos omnes nonne ſatis erit? Sic ne putabimus numeroſam hominum ſobolem defore? At agrorum quam diligens nunc cultus erit, quam felix prouentus? quanta igitur frugum vbertas, ad plures alendos? quanta ad opifices, artifices et variarum rerum operas nutriendas? quantus hinc hominum ardor? quanta mercaturae ſtudia? Itaque moderatiore hoc in commune vſu rerum vtilium et iucundarum effectum videtur id, quod initio poſitum erat, vt maior hominum numerus ali poſſit.

Multis quidem modis exemplisque ea res confirmari poteſt, ſed vtamur vno, quo ad moderatiorem, communiorem, et ad plures pertingentem luxus naturam res reuocetur. Sint mille ciues, quibus mille cuique thaleri in annum ex fructibus conficiantur; at ſint decies mille alii, quibus vix quinquaginta thaleris tuenda vita ſit. Si numeroſa ſoboles contigerit, his fame inopiaque enectis parum numeroſa ſuccedet aetas proxima. At iidem centum thaleros annui fructus ex opere habeant; iam valebunt, vigebunt, iam liberos, *ditis examen domus*, *circum renidentes Lares poſitos*, videbunt. Ex eo itaque ipſo, quo mille illi viuebant, ſi aequali omnes cenſu et communi frugalitate vtantur, nouies mille alii homines commode ali poſſint. Quo maior itaque et quo latior per plures populi ordines vagatur luxus, eo magis deficere aliis, quo tueantur ſe, tandemque ipſos deficere homines

mines neceſſe eſt. Sed latius haec res patet, quam vt breui diſputatione comprehendi poſſit. Vno tamen exemplo defungamur. Ne ordines vitae ciuilis tollere videamur, ſint in aliqua ciuitate decem, qui clↃ thaleros, quinquaginta, qui lↃ, centum, qui CCC. ſint dena millia ciuium, qui C. thaleros ſiue in terrae fructibus ſiue in operae pretio ac mercede habeant, vnde commode victus cultusque ſuppetat. Iam decem illos bis aut ter quemque mille tales numos, undecunque corrogatos, expendere ponamus; niſi aliunde prouideatur, vnde ea detractio tanto maiore terrae cultu ac prouentu ſiue ex agri reditu ſiue ex opera et arte reſarciatur, tantumdem reliquorum neceſſitatibus decedere neceſſe eſt; ita tanto maiorem annonae caritatem ingruere, pretia rerum incendi; vt ab iis, qui centum ſe tuebantur, non iam eodem pretio id, quod ad vitam neceſſe habeant, emi poſſit. Quae ſi ita ſe habent, vt poſuimus, is populus, qui magna ſimplicitate, frugalitate ac temperantia vtatur, vt eius victus, veſtitus ac vitae cultus ſit facilis, parcus, domeſticus, vili emtus, ſaltem moderatus, ad hominum frequentiam et celebritatem maiores aliis et potentiores cauſſas, materias et opportunitates habere videtur; modo iſta vitae tenuitas non oppreſſioni deteſtabili, ſeruituti ac miſeriae publicae debeatur; nam in legum et libertatis interitu non minus tenuiter viuunt homines, at non aeque ſalubriter. Sed iſta vitae tenuitas et paupertas, quam nos laudamus, quae cum ipſa rerum neceſſariarum vbertate et ſatietate coniuncta eſt, et laboris tolerantiam, diligentiam, honeſtatem ac ſanctitatem comites habet,

bet, BONAE MENTIS illa MATER PAVPERTAS, a libertate bonaque diſciplina proſiſcitur; illa corpora durat ac roborat, non frangit, animos fortes ac generoſos amore patriae, ſoli, coniugum, liberorum, tribulium incendit. Cum itaque in frugalitate tantum momenti ac virium ad magnam hominum multitudinem alendam ſit; antiquis autem temporibus regna ac respublicas nonnullas inprimis ciuium abundantia floruiſſe iam antea viderimus, etſi iis rebus non magnopere abundarent, quibus nunc cum maxime vita noſtra excolitur et adiuuatur, agriculturam dico artificialem, opificiorum et mercaturae plurima genera; ſi porro rerum exemplis ac monumentis docuerimus, victus cultusque tenuitatem ac vitae frugalitatem memorabilem inter veteres populos viguiſſe, laudi honorique fuiſſe: videmur nobis probabile feciſſe id, quod poſitum eſt, ad illam inprimis cauſſam referendum eſſe, quod illae ciuitates tam frequenter habitarentur.

Et quam vellemus id, quod modo rationibus adſtruximus, nunc ſuis exemplis confirmare! Sed, cuius rei cauſſa hanc ipſam diſputationem ingreſſi ſumus, eo redeundum eſt, vt, quod felix fauſtumque ſit, ſollennia Academiae noſtrae natalitia a. d. XVII. huius menſis celebranda indicamus. Quorum cum apud ſingulos homines et familias tam iucunda et cara memoria ſit, tum vero ordinum, vniuerſitatum ac corporum, quorum vita multo magis ſubitis et variis caſibus obnoxia eſſe ſolet, longe laetiſſima eſſe debet illa celebritas. Quanto vero maiore cum hilaritate bonisque votis exigendus erit iſte dies, ſi in-

inter res vndiquaque proſperas ac ſecundas, integro et incolumi omnium, quae nobis cara ſunt, ſtatu, in omnium, quae votis noſtris expetiueramus, euentu ac ſucceſſu, illuxerit! Saluus eſt REX INVICTISSIMVS, pacis omnisque felicitatis noſtrae auctor ac ſtator; ſalua eſt REGINA, laetiſſima puerpera; floret regia familia, noua nunc iterum ſobole aucta; floret resp. nec habent, qui ei praeſunt, *ſapientiſſimi viri*, quod ſuarum curarum ac conſiliorum poeniteat. Curatoris vero noſtri ac Parentis, et ſi quod eo dulcius nomen eſt, cruda ac viridis ſenectus, vt votorum ſummam, ſic nunc, votis exauditis, animorum maximam alacritatem et laetitiam continet. Secura pace, bonisque pacis integris fruimur; agricultura, qui omnis felicitatis publicae priuataeque fundus eſt, nunc in noſtris cum maxime terris laude, honore et dignatione aliis aequatur artibus, incrementis vero et vtilitatibus alias artes mox aut exaequabit aut ſuperabit; ſunt ſummi viri, qui, famae potius veritatem quam ſplendorem ſequuti, vt communibus ſtudiis eam emendarent, Societatem honeſtiſſimam ac pulcherrimam coiuerunt. Habent terrae noſtrae *Varronem* ſuum *), virum ſummo genere, ſumma virtute, qui ad rem agrariam tam multarum rerum ſcientiam, tot diſciplinarum, quarum nullius vſu carere agricultura poteſt, opes, eam ingenii ſubtilitatem et prudentiae maturitatem attulit, vt exemplo, ſcriptis vtiliſſimis, et, munificentiae genere memorabili, praemiis e priuata re ad publicam vtilitatem propoſi-

*) *Otto de Münchhauſen*, auctor vtiliſſimi libri: *der Hausvater.*

poſitis, artis omnium artium ac diſciplinarum principis facile in his terris auctor ac conditor poſteritati appellandus ſit. Neque id nihil ad nos pertinere arbitrabimur. Noſtra enim ipſorum proſperitas tanto ſolidior ac fundatior eſſe debet, quo magis publicae priuataeque rei adminiſtratio florebit, quoque magis artium vtilium, induſtriae ac diligentiae publice privatimque ratio habebitur. Pro tot tantisque bonis communibus, pro iis bonis, quae reip. noſtrae propria ſunt, pro illo ipſo nouo Regiae clementiae ac beneuolentiae pignore, quod in Sereniſſimi Ducis Eboracenſis acceſſu ad hanc vrbem habemus*), agendae ſunt Deo O. M. gratiae. Quod quidem vt rite a nobis agatur, ſupplicatio ac pompa publice inſtituetur, et iis orationibus, quae inter caerimonias duobus doctoribus creandis habebuntur, perſoluentur vota, noua ſuſcipientur. Quibus ſollennibus vt intereſſe velitis frequentes, Comites Illuſtriſſimi, vosque Generoſiſſimi ac Nobiliſſimi Commilitones, ita rogamus, vt, ſi precibus noſtris locum relinquatis, pro magno id veſtrae humanitatis documento et exemplo ſimus habituri. PP. in Georgia Auguſta. d. XVI. Septembris cIↃ IↃ CCLXV.

*) XXII. XXIII. Auguſti e. a. LXV. *v. Gelehrte Anzeigen.* p. 817 ſq.

ACADEMIAE GEORGIAE AVGVSTAE

PRORECTOR

CHRISTOPH. FRIDRIC. GEORG. MEISTER D.

CVM SENATV

NOVVM PRORECTOREM

RVDOLPHVM AVGVSTINVM VOGEL

COMMENDAT

CIVIBVS.

IN A. D. II. IAN. cIↃIↃCCLXVI.

De publicis priuatae frugalitatis vtilitatibus ad maiorem ciuium frequentiam

PROLVSIO POSTREMA.

Vnum reſtat, Ciues Amantiſſimi, vt *de frugalitatis publicae ad hominum affluentiam vi et vtilitate* ſuſcepta nuper diſputatio, quantum quidem in tali ſcriptionis genere fieri poteſt, abſoluatur, vt, quae de veterum nonnullorum populorum ſimplicitate ac victus cultusque tenuitate praedicauimus, idoneis exemplis confirmemus.

Vt itaque ab Aegyptiis, lubenter enim in hoc populo, cui omnis cultioris humanitatis debentur initia, verſatur oratio, vt ab his, inquam, cum incredi-

credibilia aliquando eius gentis fuiſſe incrementa tradantur, initium faciamus, quam tenui ac ſimplici victu vſi fuerint, ex iis aeſtimetis licet, quae de puerorum educandorum ratione narrat Diodorus *). Non iis, inquit, per leges licet liberos exponere; quicquid natum eſt, tollendum eſt, *vt tanto maior hominum frequentia ſit, quippe quae ad imperii hominumque felicitatem plurimum conducat.* Alunt vero pueros cum nulla plane moleſtia, quae ex ſumtu faciendo oriatur; cuius rei incredibilis prorſus ratio eſt. Coctilia enim quaedam ex vili paratuque facile materia confecta, papyri imos thyrſos, ſub cinere toſtos, radices et caules paluſtres, nunc crudos, nunc elixos et aſſos, iis apponunt. Sine calceamentis et nudi plerique educantur, ob commodam caeli temperiem. Impenſarum, quas in puerum faciunt parentes, donec ad virilem aetatem peruenerit, ſumma non XX. drachmas **) excedit. Miram autem paluſtrium huiusmodi plantarum eſculentarum copiam ac varietatem fert Aegyptus, loti inprimis ac papyri, iucundo plane ſapore ***), arundinis, fabarum, lactucarum,

*) Lib. I, c. 80. et c. 82. vbi etiam primos homines agroſti vitam ſuſtentaſſe contenditur: quam *ἄγρωστιν* edulem eſſe dicendum eſt. v. ibid. Weſſel.

**) *Tres thal. et octodecim bonos groſſos* ad ſummum noſtrae pecuniae valorem. Sic tandem *liberos tollere libeat et expediat!* (Plinii Paneg. c. 27.). In nobili illa tabula alimentaria Traiani Imp. ſingulis pueris ad menſtruum alimentum, adeoque ad victum cultumque, XVI ſeſtertii, h. totidem boni groſſi, aeſtimatione ad noſtri temporis pecuniam facta, ſingulis puellis XII. praebebantur.

***) V. Theophraſt. VI. de cauſſ. plant. 16. IV, 9. XXI, 50. (15) Alios v. ap. Borrich. Hermet. c. 4. Dulciſſimum

carum, alliorum atque olerum, de quibus copioſa apud Herodotum et Diodorum eſt narratio *); quorum hic quidem Aegyptios ad eandem hanc promti paratique cibi affluentiam prouocaſſe memorat, vt docerent, primos mortales in Aegypto a natura procreari debuiſſe **). Neque priſcis aetatibus noſtri aeui fides deſit. Namque et hodie oleribus maxime, lactucis, alliis ac fabis viuunt, eoque ipſo, quamuis tenui, victu admodum frugaliter vtuntur ***). Neque tamen ſiue corporibus robur ſiue animis hilaritas decedere traditur; vnum gentis ſtudium eſſe, feſta et choreas ad tibiarum cantum agere. Piſcium praeterea multitudine Nilus abundat ****). Quae omnia ſi quis memoria et animo teneat, tam frequentibus vrbibus ac vicis, vt nuper commemorauimus, eam ter-

mum eſſe ſaporem olerum et leguminum inprimisque alliorum ac ceparum, nota res eſt. Teſtantur idem paſſim peregrinatores v. c. *Le Bruyn voyage au Levant.* T. I. p. 639.

*) Herodot. II, 92. Diodor. I, 34. etc. 43. De *papyro* v. Plin. XIII, 22. (11.) et ad e. l. Guiland. Alpin. de Plant. Aegypt. p. 53. De *Loto*, *Nenuphar* Aegyptiis dicta, v. eund. p. 50. 73. ſecundum Plin. XIII, 17. Dioſcor. IV, 114. et de pane ex ea confici ſolito Herodot. l. l. Galen. de alim. facult. I, 5. *Nymphaeam lotum* eſſe ſatis conſtat. cf. de Schmidt Diſſ. in Act. Soc. Lat. March. Vol. II. p. 89. etiam olim Mahudel *des plantes ſur les Monumens d'Egypte* in T. III. *de l'Hiſt. de l'Acad. des inſcr.* p. 181.)

**) Diodor. I, 10. et 43.

***) Alpin. rer. Aegypt. I, 17. III, 9. 10. 13. Maillet *Deſcription de l'Egypte* p. 108 ſq.

****) Herodot. II, 93 ſq.

terram habitari potuiſſe, non mirabitur; at nec illud incredibile videbitur, quod ex vna huius terrae provincia ſexcenta millia hominum ad nouas ſedes quaerendas olim exiiſſe a Moſe traditum accepimus. Erit enim nec hoc admittendum, ſi reliqua in ſuſpicionem adducimus. Quid? quod intelligi hinc quodammodo poteſt, quomodo tam magnificae ſtructurae opera in Aegypto plurima ſurgere potuerint. Quum enim operas tam tenui victu alere poſſes, in eas vtique non magna fuit impenſa facienda. In maiore pyramide pecuniae in raphanos, cepas et allia, quo ſcilicet victu vtebantur tenuiores, alendis operis, impenſae ſummam notatam fuiſſe ſatis conſtat, quae mille et ſexcenta talenta conficiebat *). Ingens pecunia, ſi quidem, quas in res et in quanta rerum vilitate facta ſit, cogites; nullo tamen modo cum vlla ſumtuum parte comparanda, qui noſtra aetate ad centum hominum millia per viginti aut triginta annos alenda eſſent inſumendi **).

Plura quae hic commemorari poſſint, chartae anguſtia omittere iubet. In Graeciam nunc nauigandum eſt, omnis elegantiae ac τοῦ καλοῦ vnicam

 magi-

*) Herodot. II, 125. Diodor. I, 64. Si Graecos ſcriptores communi talento vſos eſſe dicendum eſt, ſiunt hinc 1, 859, 800. thaleri; ſin Aegyptio, quod minarum atticarum LXXX eſt, 2, 462, 400 thaleri.

**) Si Aegyptiacam, adeoque maiorem, quam modo poſuimus, aeſtimationem admittas, in ſingula capita ſingulis menſibus $19\frac{9}{12}$ Pf. ſingulis vero annis 19 Gg. 9 Pf. circiter erogatum fuit. (Egit de his eodem fere modo poſt illa acutiſſimus de Pauw *Recherches philoſ. ſur les Egypt.* p. 76. T. I. p. 322. T. II.)

magiſtram, atque adeo ſimplicitatis, ſine qua nihil pulchrum eſſe poteſt, non indiligentem commendatricem. Et Athenae quidem, habuere eae etiam ſerioribus temporibus ac corruptis ciuitatum moribus laudem eximiae frugalitatis; qua de re praeclarus Luciani locus eſt *); multo tamen maior ille paupertatis amor iis temporibus fuit, cum deſcriptae aequaliter fortunae tanto validius luxuriae frenum iniicerent. Cibus quidem ordinarius panis erat ſiue ſub cinere ſiue in furno coctus, aut maza e farina ſale ſubacta, piſcis cum ſalſamentis, paucae carnes, infinita porro placentarum genera, quo cibo mirum quantum delectabantur, cum bellariis in menſis ſecundis. In Amphidromiis, quod feſtum erat Athenienſium, quo ſe inuicem quam lautiſſime exciperent, opiparae talis coenae apparatus a vetere Comico enarratur: ſegmenta caſei cherſoneſitae toſta, braſſica cocta, cum oleo, pectuſcula agnorum pinguium, turdi cum piſcibus et calices meraciores **). Rideas, ſi, quae apud Ariſtophanem et Athenaeum ***) ad luxum referuntur, cum profuſis beatorum noſtrorum coenis compares: carnem puta leporinam, coloſtrum et caſeum inde preſſum ****); mel, ficus, lactucas, oliuas; modo corollae, flores, cithara et vnguenta ad manum eſſent. Atqui iam tum Xenophon ex commerciis et mercatu maritimo Italiae, Cypri,

*) Lucian. Nigrin. ſ. 12. 13. Chionis Epiſt. VI,

**) Eubulus ap. Athen. II. p. 65.

***) V. lib. XIV. p. 640. it. Aelian. V. H. I, 18. IV, 22.

****) V. Ariſtoph. Veſp. 107. 108.

Cypri, Aegypti, Lydiae, Ponti et Peloponneſi delicias eo confluxiſſe querebatur *).

In quo tamen inprimis mirabilis vitae εὐτέλεια veterum conſpicua fuit, eſt veſtitus reliquique vitae cultus ſimplicitas ac potius tenuitas. Ἱμάτιον et χιτὼν, pallium et tunica, eaque e lana et quidem natiui coloris, nec multiplicem veſtium copiam, nec ambitioſam mutationem admittebat. Pauperes ac philoſophi ſolo pallio, eoque vſu trito, τριβώνιον appellabant, contenti, ſi ſordes contraxiſſet, illud fullonum opera lauandum, interpolandum ac poliendum curabant. Vnum fere patri familias, interdum et matri, ſatis viſum fuiſſe, nota de Socrate narratio docet. Veſtitu quidem et habitu Athenis neminem e ciuibus quicquam habuiſſe, quo a ſeruo aut aduena diſcerneretur, diſerte narrat Xenophon **). Si qua hac in re eſſet luxuria, ea ad mulieres pertinebat. Floridas iis, flauas, ac purpureas veſtes ***) cum aliis ornamentis in deliciis fuiſſe, negari nequit; nihil tamen eſt in eo luxu, quod cum noſtra elegantia comparari poſſit. Domus priuatorum nihil ſplendoris ac ne ornatus quidem habebant. Dicaearchus, qui Ptolemaei Lagi tempore floruit, Athenas ita deſcribit ****), vt via ad eas amoena perueniri dicat;

 omnia

*) De Athen. Rep. c. II, 7.

**) De Athen. Rep. c. I. §. 10.

***) Ἀνθηρὰ, ἐξηνθισμένα ἱμάτια. κροκωτά. conf. Ariſtoph. Lyſiſtr. 42. ſeq.

****) De Statu Graec. p. 8. in Geograph. Gr. min. T. II. editum olim (1589.) fragm. a Stephano; qui etiam *dialogum*

omnia vndique cultu ſuo manſuetioris vitae amoenitatem et vbertatem oſtendere; at vrbem ingreſſo domus occurrere pleraſque εὐτελεῖς, paucas elegantes; vt primo adſpectu dubitaret hoſpes, eſſentne hae nobiles illae Athenae? mox tamen, aedificis publicis conſpectis, facile, vt crederet, adduci. Locus eſt Demoſthenis *) in quo, ſi quis Ariſtidis, Miltiadis et reliquorum magnorum virorum aedes intueatur, nihil eas vicina quaque domo ſplendidiores reperiri ait, cum tamen ii ipſi magnificentiſſimis templis aliisque aedificiis vrbem ornaſſent. Omnino priuatarum aedium parum gratus aut ſpecioſus adſpectus eſſe debuit: ſi quidem gradibus ad eas adſcendebatur; ambiebant praemunitiones **); prominebant ſuperiores aedium partes, ὑπερῷα, in vias publicas proiectae; fores aperiendo extrorſum vertebantur ***). Nec vias aut expeditas et latas, aut bene deſcriptas fuiſſe ex Ariſtotelis loco ****) ſuſpicamur, in quo antiquos in deſcribendis domibus ac viis rationem quam maxime impeditam ſequutos eſſe narrat, vt, facto

logum Dicaearchi Sympractorem adiecit; cuius tamen lectio parum fructus affert; odioſa prolixitate, quam dialogi habere ſolent, inſuper taedium faciente.

*) Olynth. III. p. 23. C. ed. Colon. Allobr. (p. 35. ed. Reisk. add. περὶ συντάξεως p. 174.)

**) Προφράγματα. nos *Stacketen.* ſaepimentum vallis factum

***) Ariſtot. de cura rei famil. lib. II, c. 1. p. 684. A. T. III. Par. De prominentiis aedium in vias publicas cf. Polyaen. III, 9, 30.

****) De rep. VII, c. 11. p. 586. C. (ſic et Goguet l. c. T. V. p. 335.)

facto ab externis in vrbem impetu, vrbeque ab hoſtibus capta, tanto difficiliores eſſent exitus. Supellectile autem quam vili et parum copioſa vſi ſint Graeci, ex Xenophontis loco diſci poteſt *). Cum in omnem itaque cultum tam parum impendendum eſſet, agri quamuis anguſti prouentu vitam tolerare poterant. Non itaque eſt, quod mireris, e Solonis legibus, adeoque centum ante pugnam Marathoniam annis, populo in quatuor claſſes deſcripto, primae claſſis, adeoque diuitum, cenſum D. medimnos annui reditus fuiſſe; nam ita accipiendum eſſe videtur, quod Plutarchus memorat, in ea claſſe fuiſſe τοὺς ἐν ξηροῖς ὁμοῦ καὶ ὑγροῖς μέτρα πεντακόσια ποιοῦντας, qui tantum iugerum haberent, vt prouentus ex agris annuus ſiue tritici et frumenti, ſiue olei ac vini, D. medimnos, h. e, bis mille fere Brunſuicenos *Himten* (ſeu CCCXXXIII. menſuras *Malter* dictas) conficeret **). Sicyone quantum poſſiderent ii, qui diuites haberentur, ex eo colligatis. Aratus, cum exules LXXX. a Nicocle eiectos cum D. aliis reduxiſſet, erant autem hi e ditioribus, quorum agri aliis aut dati aut venditi erant, vt ortam ex eo, quod hi agros ſuos repetebant, contentionem componeret, CL. talenta contulerat, quibus aut redimeretur aut compenſaretur cuique ſua poſſeſſio. Si rationes noſtro more ſubducas, diuitum horum fundi, CCC. circiter thaleros quisque, aeſtimati ſunt ***). Partim itaque poſſeſſionum aeſtimatio illa

Q 5 aeta-

*) De redit. Athen. c. IV. 7.

**) V. Arbuthnot. p. 196. comparato cum eo grauiſſimo auctore *Hausvater* Tab. II. poſt p. 598.

***) Nam 150. talenta, ſi ſeuere agas, efficiunt noſtris numis thaleros 174356. Si aequas portiones numeres, 317.

aetate eſſe debuit noſtrae aetati prorſus diſſimilis, partim valde parco victu contentos fuiſſe neceſſe eſt, quibus prouentus ex agro quantumuis anguſto ſatis magnus eſſet. Athenis tenuis fortunae homines ac ſerui in diurnum victum choenice tritici ſe tuebantur *).

Apud Romanos nolo recoquere antiqua illa ſeveri moris exempla, quod *bina tunc iugera populo Romano ſatis erant, nullisque maiorem modum attribuit* Romulus (Plin. XVIII, 2. vbi plura in eam rem ſunt) vnde ſi familia ſe ſuſtentaſſe fertur, ad horti morem cultum

317 thal. vnaquaeque eſt. Eſt autem narratio apud Plutarchum in Arato p. 1031 ſqq. Cic Off. II, 23. Potuere tamen agri iſti eſſe ſatis magni, neque ex eorum aeſtimatione iudicium fieri poteſt. Vniuerſae Atticae, agrorum domuum ac fortunarum omnium, aeſtimatio intra 5750 talenta h. ſex circiter millena millia noſtra, cenſebatur. v. Polyb. II, 62. cum quo conferendus Demoſth. de claſſibus p. 74. C.

*) (Choenix erat pars quadrageſima octaua medimni; medimnus Atticus quatuor modios Romanos, adeoque totidem fere menſuras noſtras *Himten* dictas, exaequabat; huius menſurae duodecima pars choenicem aliquantum ſuperare potuit. Iam ſi tritici modium L. libris cenſeas, choenix ad IV. libras fere efficiet panis cocti; quod ſane ſatis eſſe potuit ad explendum ventrem. Enimvero diligentiore haec ac ſubtiliore indigent calculo: eſt enim diſcrimen inter pondus granorum, farinae ac panis cocti ex eadem menſura frumenti. Arbuthnot aequiparat choenicem Anglicae menſurae *Pint;* olim choenicem binis libris et librae quarta parte aeſtimabant viri docti, vt Hoſtus). Alio tempore diuerſa choenicis ratio fuit, vt viri docti ſatis docuere. Itaque menſuram diuerſam Theophylacti Simocattae tempore fuiſſe dicendum eſt, qui *binas choenices* diurnum admenſum tum fuiſſe narrat. Epiſt. LXXVII.

cultum agrum fuiſſe neceſſe eſt, eumque ſoli fertiliſſimi, prouentusque vberrimi. Forte noſtris patribus familias non difficilis res erit ad iudicandum, ſi appoſuero, quod Columella habet lib. II, 9, 1. *Iugerum agri pinguis plerumque modios tritici quatuor, mediocris quinque poſtulat; adorei modios nouem, ſi eſt laetum ſolum; ſi mediocre, decem deſiderat.* Plinii autem verba ſunt (lib. XVIII, 24. ſ. 54.) *Serere in iugera temperato ſolo iuſtum eſt tritici aut ſiliginis modios quinque, farris — modios X. hordei VI.* Pone nunc multiplicationem ſeminis, quam bono agro conſentaneam exiſtimaueris, fac ſeptenam, qualis iis in terris vulgo haberi ſolet; et habebis prouentum duorum iugerum annuum: nec tamen mente dimittendum, ſpectare haec loca ad ſeriora tempora, cum iamdudum ſeptem iugera ſingulis diuiderentur *). Iam porro ſeruorum demenſum diurnum binarum ac trinarum librarum, in graui opere, interdum adeo quinarum farris erat **). Itaque cum libra Romana paullo

*) (Duo iugera familiae alendae ſufficere potuiſſe, poſt haec negatum vidimus ab auctore libri: *de la Felicité publique* T. II. Sect. III. c. 5. Sed primo mirari libet negatum videre, quod facto ipſo declaratum ſatis eſt; tum peccat auctor in iugeri modo definiendo; tandem ad alendam familiam plus poſtulat frumenti, quam ſatis eſt. In ſingula capita per annum menſuras (*Septiers* dictas, 25. l. 30. librarum ſingulas.) diſtribuit *tres*, at *duas* omnino ſufficere docuit *Meſſance Recherches ſur la population d' Auvergne etc.* 1766. p. 286. Sed dubitationem ſuſtulit *Süſsmilchii* acumen c. 15. To. II. p. 26. ſq.)

**) Cato de RR. 56. *Familiae cibaria: qui opus facient, per hyemem* (in menſem) *tritici modios IV.* (h. intra libras LXXX. et C. Plinius XVIII, 12. Italicum triticum

paullo minoris ponderis eſſet, quam libra Troica, multoque adeo magis quam vulgaris noſtra libra, parciore victu talem ſeruum, quam operarium apud nos, cuius demenſum trium noſtrarum librarum panis eſſe ſolet, ſe ſuſtentaſſe neceſſe eſt. At huic porro noſtro operario butyri, lardi, leguminis, carnis, farti, cereuiſiae admenſum dandum eſt; cuiusmodi nihil plane ſeruo Romano praebebatur: ſed pulmentarium viliſſimum, lora et certo anni tempore vinum; olei in annum quarta pars amphorae, ſeu XX. librae, cum ſalis modio *). Inutili autem ſeruo vnam libram praebitam fuiſſe ex Horatio colligas, et XII. Tabularum auctoritate nexis libra farris in diem decernitur. Ex quo ſimul intelligi poteſt, quomodo tantus ſeruorum numerus Athenis **) ac Ro-

cum grauius pondere eſſe ait, et ad libras XXV. interdum modium pendere. De granis autem haec accipienda ſunt) *per aeſtatem modios IV. S.* (quaternos ſemiſſem.) *Villico, villicae epiſtatae, opilioni, modios III.* (forte, quoniam illis pulmentaria et opſonia praebebantur) *Compeditis* (ſeruis, qui in vinculis habentur, adeoque grauiſſimum opus faciunt, nec quicquam opſonii accipiunt) *per hiemem panis P. IV.* (pondo quaternas in dies, adeoque in menſem CXX. libras.) Apud eosdem Romanos, cum rerum pretia aucta eſſent, *quinque modios et quinque denarios* in menſem ſeruus, ſed qui mimus eſſet, accipiebat. Seneca Ep. 80. (Dimenſum militum haud multum abludit; nam in menſem fuit IV. modiorum tritici, quos libras Gallicas LX. pondo fuiſſe apud *Le Beau* To. XLI. *Hiſt. de l' Acad. des Inſcr.* p. 137. ſq. legas; ſed vir doctus medimnum georgicum, qui ſex modiorum erat, arripuit, pro Attico, qui tantum IV. modiorum fuit.)

*) Cato R. R. 57. 58.

**) Athenaeus VI, 20. p. 272.

Romae ali potuerit. Scilicet tam vili, parco et exili victu nutriebantur, vt ſemper ad manum et in promtu eſſet, quod ipſis ſatis eſſet.

Sed dum ſuſcepti fidem et conſtantiam ſeruando vni officio ſatisfacere volumus, ne alteri, eique graviori, deeſſe videamur, verendum eſt. Agitur enim nunc cum maxime hoc, vt, decedentis de ornatiſſimo munere Prorectoris vices et inſignia Virum Illuſtrem et Experientiſſimum,

RVDOLPH. AVGVST. VOGEL, D.

rite ſuſcepturum eſſe, vobis publice declaremus. Cuius rei cauſſa ſollennis ex more pompa in templum Academicum die Ianuarii II. ducetur, Deo immortali pro rebus noſtris ſaluis ac florentibus vota reddentur, fientque preces, vt conſtantem ac perpetuum nobis bonorum horum fructum eſſe iubeat. Vos autem, Illuſtriſſimi Comites, Generoſiſſimi ac Nobiliſſimi Ciues ac Commilitiones, ſi quem vnquam amoris, ſtudii et operae noſtrae fructum cepiſtis, ne huic celebritati frequentia veſtra deſit, et, vt munus per ſe non vno moleſtiae genere circumfuſum veſtra pietate, modeſtia et obſequio quam maxime alleuetur, videbitis. PP. Kal. Ian. cIↄIↄcccLVI.

* * *

Non ignoro, nec tum, cum iſta ſcriberem, non memineram, quam ambigua et controuerſa illa frugalitatis, parci victus et ſimplicitatis laus ſit, inprimis ſi de diuerſis aetatibus, populis ſectisque homi-

minum agatur. Ingens diſcrimen ac magna varietas eſt corporum animorumque ex caeli ſolique natura, ex more et conſuetudine, ex neceſſitate et inopia, ex copiis rerum et affluentia. Prouiſum eſt Naturae, almae et vniuerſae ſuae ſoboli prouidentis parentis, cura, vt non vno modo bene viui poſſit, vtque etiam tenui et exili victu corpora poſſint ali roburque ſuum conſequi. In terris verſus auſtrum vergentibus reſpuunt corpora victus copiam ac firmitatem, coenam vnctam et adipatam, panem aſperum ac durum, ſine quo borealium corpora durare non poſſunt; contra in illis regionibus clementiore caelo aut magno aeſtatis calore vtentibus victus ex herbis et oleribus aut frugibus ad nutritionem et robur corporum ſufficit; aliarum terrarum corpora niſi ex animantium eſu ſuſtentari vix poſſunt. Mutari tamen et inflecti poſſunt haec ipſa more, vſu, aſſuetudine, maximeque religioſo ritu; id quod inprimis in ieiuniis cernitur, re inter populos multi cibi auidos incredibili, niſi ipſa res fidem faceret. Quoties itaque de ſimplicitate et frugalitate quaeritur, primo loco ad caelum, ſolum, morem, referre illam et aeſtimare conſentaneum eſt. Illud vero vix vt moneam neceſſe eſt, non agi hic de illa victus tenuitate et penuria, qua aut ſilueſtres populi, aut barbari, aut qui praua reipublicae ratione ac forma vtuntur, laborant, partim ex agrorum aſperitate ac ſterilitate, partim ignauia ſua ac deſidia; quae non niſi morum humanitate et meliore vitae cultu abſtergi poteſt, infeſtiſſima genti humanae peſtis, quae fere aut inferri aut ali ſolet imperantium vitio et imperitia. In tota itaque hac diſputatione de iis popu-

populis ac terris cogitandum eſt, in quibus liberalem victus copiam ſeu ſoli bonitas ſeu cultus et induſtria iam parauit, ita vt ali recte ac ſuſtentari poſſint corpora, vires roburque ſuum habere, modo aequaliter diſtributa, aut iis, qui ea parauerant, relicta alimenta fuerint. Vnde tamen ſi quid detrahi neceſſe eſt, vt ſocietatis ciuilis neceſſitatibus ſubueniatur, ſi quidem ex iis fructibus, ſeu ſoli ſeu operae et induſtriae beneficio paratis, pars aliqua deſtinanda eſt iis, qui, quoniam aliis curis, muneribus, negotiis vacant, ipſi terram colere aut eius prouentum tractare et elaborare manu et arte non poſſunt, tum reipublicae vſibus, qui nunc in immenſum aucti ſunt; ſi itaque diminui neceſſe eſt vſum eius quod quisque ſua manu parauit: aut curandum eſt, vt fructus prouentusque eadem ratione qua plures inde ali opus eſt, augeantur et amplificentur, aut verendum, ne ſingulis de demenſo ſuo, vnde ipſi viuunt, aliquid ſubtrahendum ſit. Quodſi earum erogationum, quae in publicum fiunt, auctus nimis magnus factus fuerit; multo magis ſi priuata nonnullorum profuſio et luxuries acceſſerit, nec de nouis copiarum parandarum modis diligenter curatum fuerit: neceſſario ſequitur, vt maioris ciuium partis paupertate ſuſtentanda ſit partim resp.: id quod forte nemo indignetur; partim paucorum luxus: indigna res, quae tamen pleriſque noſtrae Europae terrarumque omnium regnis et imperiis eſt ferenda: vnde intelligi arbitror, a nulla re humanum genus, etiam in cultu humanitatis non contemnendo, abeſſe longius quam a perfecta deſcribendorum imperiorum ratione, qua quidem efficiatur

tur hoc, vt neminem amiſſae libertatis naturalis poeniteat. Intelligetur porro illud: non minus ad politicam diſciplinam, quam ad philoſophiam ſpectare frugalitatis vtilitates. Nam ad virtutem animi corporisque vires, omninoque ad ſummum bonorum finem, ſine temperantia et continentia perueniri non poſſe, omnes philoſophi clamant, ipſeque Epicurus, qui cum Ioue ſe de felicitate certaturum eſſe aiebat, modo puls et aqua ne deficeret *). Nec modo ad eam rempublicam, quae ſeu communibus populi ſuffragiis ſeu optimatum conſiliis regitur, valitura eſt frugalitas morumque ſimplicitas, verum nec minus plurimum intererit omnium imperiorum, luxuriesne an temperatus rerum vſus inter ciues plus valeat. Neque enim vllius imperii fractae ſunt opes, quin ab aulae ac potentum luxu, profuſione et inertia, prima mali labes manaret: quid, quod ii ipſi, qui ambitione ſua omnia peſſundederunt, cupiditatis facem habuere fere inopiam ex prodigentia, et, quae eam ſequi ſolet, auaritia, natam **).

Iam ſi ſemel illa fortunarum vitaeque commodorum inaequalitas aliqua in ciuitate aut populo eos auctus habuit, vt diutius res tolerari nequeat: ſuccurrendum erit partim nouis inuentis et incrementis cul-

*) Μάζαν καὶ ὕδωρ ἔχων. Aelian. V. H. IV, 13. cf. ibi not.

**) Praeclare Diogenes: οὐ γὰρ ἐκ τῶν μαζοφάγων οἱ κλέπται καὶ οἱ πολέμιοι, ἀλλ' ἐκ τῶν κρεωφάγων οἱ συκοφάνται καὶ τύραννοι. ap. Porphyr. de Abſtin. I. §. 47. Paullo aliter: οὐ γὰρ ἐκ τῶν μαζοφάγων, φησὶν ὁ Διογένης, οἱ τύραννοι, ἀλλ' ἐκ τῶν δειπνούντων πολυτελῶς. ap. Iulian. Or. VI. p. 196. D.

cultus agrorum, et operarum in prouentu ad artium opus elaborando, cuius permutatione aliunde copiae peti et importari poſſint, partim ſeu paucorum ſeu plurium luxurie et profuſione ad moderatum opum vſum, adeoque ad frugalitatem reuocato, qua in morem verſa et ali plures et bene ali poſſunt.

Qua de re cum mihi ita eſſet diſputandum, vt nec ad meram argumentationem dicenda reuocarem nec in rerum exemplis nimis reconditam doctrinam ſectarer, verum ſcribendi genere populari, quale tamen illud inter doctos eſſe debet, vterer: continui me in exemplis antiquitatis, quae communis et popularis doctrinae finibus circumſcribi ſolet; cumque in ipſa quaeſtione tria haec inſint: maiorem minoremue frequentiam incolarum cuiuscunque terrae eſſe poſſe, eiusque rei cauſſam inprimis in facilitate vel difficultate parandarum rerum, vnde ali ſuſtentarique poſſint corpora, poſitam eſſe; ſi prouide curatum fuerit, vt harum rerum laetior copia adſit, aut vt, quae adeſt, aequabiliter ad corporum ſuſtentationem diſtribuatur, poſſe ita effici, vt in communi frugalitate alantur corpora plura, et melius alantur, roburque et vigorem conſequantur, ad defendendam vero remp. animos irasque ſuſcipiant, quae in fractis per inopiam et indigentiam animis corporibusque eſſe poſſunt nullae ſatis idoneae. Frugalitatis adeo laus et virtus non modo cernitur in eo, quod non plus, quam aequum erat, nec male, nec a quibus fas non erat, conſumitur; verum in hoc quoque, quod a corporibus duratis et bene habitis plus nouarum copiarum acquiritur et paratur,

eoque maior rerum vtilium prouentus curatur: coniuncta adeo cum frugalitate induſtriae laus eſt; quo ipſo fit, vt vagetur interdum diſputatio aſſumanturque plura in eam, quae ad aliam forte diſputationem ſpectare videri poſſint. Deſcriptum itaque a me argumentum eſt ita, vt I. multas terras, quae nunc infrequentia hominum et ſterilitate agrorum laborant, magnam incolarum multitudinem aliquando habuiſſe, exemplis demonſtrarem; II. frugalitatem magnam vim ad maiorem ciuium frequentiam habere poſſe, et vero etiam III. iſtis in terris habuiſſe, illud rationum idonearum declaratione, hoc exemplorum explicatione, docerem.

Iam de plerisque huius diſputationis partibus actum eſt, poſtquam illa ſcripta erat, in multis virorum doctorum libris, quibus arithmetica politica fuit pertractata: in hoc enim argumento deſudarunt paſſim ſcriptores, qui interdum ſolum capitum numerum computarunt, parum memores, non ſatis eſſe ad regnorum ſalutem ac felicitatem, vt magnus ciuium numerus ſit, niſi ea quoque cura habeatur, ne iis ex penuria et inopia contabeſcendum ſit. Inprimis ne vlterius perſequerer ea, quae hac commentatione comprehenſa ſunt, otium fecit *Suſſmilchius* inde a cap. XV. ſqq. etſi ſub aliis rerum appellationibus. Mihi itaque nunc ſatis erit attingere nonnulla quae cum antiquis litteris coniunctiora ſunt; cum de ipſa re, quae declaranda erat, nemo noſtra aetate dubitationem faciat.

Quod

Quod igitur ad primum illud quaeſtionis caput attinet, iis, quae de magna hominum frequentia in vetere Italia, et in Magna Graecia, extrema eius parte, narrata legimus, fides vel ex eo fit *), ſi ſoli vbertatem caelique clementiam, inprimisque ſi exēmpla ſimilis hominum frequentiae in nonnullis Italiae vrbibus exeunte Saec. XII. et XIII. compares **). De Aegypto in vtramque partem diſputatum eſt a viris doctis. Vir antiquitatis ſtudioſus, *d' Origny* ***), Aegypti inferioris ſuperficiem bis

 mille

*) De frequentia eorum. qui Sybarin, hoc eſt vrbem cum agro, incoluere, diſputatum eſt alio loco: *de Sybaritar. ac Thurior. rep. et LL.* Sect. I.

**) Florentia v. c. ad CM. habuit ciuium, qui arma ferrent; Bononia XXX M. peditum, II M. equitum. Multa ſunt hiſce de rebus, quae legi poſſunt apud Muratorium, e quibus ſua plerumque petiit V. C. Denina *Riuoluz. d' Italia* Lib. XII. c. 7. ſqq.

***) *Egypte ancienne* — Par 762. ch. 2. T. I. p. 36. ſqq. Singulis militibus, vnde ſe alerent, aſſignatae XII ἄρουραι, erat autem numerus militum CCCCX M. et portio agrorum ipſis relicta tertiam agrorum partem conſtituiſſe dicitur: Secundum haec ille argumentatur; vſus locis Herod. II. 168. Diod. I. 73. Add. Goguet *Origine des arts* T. IV. p. 281. (ed. Par. 759.) Illud in hoc militum ſtipendio vix fidem facit, quod iidem milites, quoties per vices apud regem ſatellitum more excubabant, quouis die panis toſti quinque libras, carnis bubulae binas libras, vini ſextarios quaternos accepiſſe dicuntur; quam rapaces horum hominum ventres fuiſſe dicemus! *Templeman*, cui ars illa terras et capita computandi tantum debuit, neſcio quo calculi errore, attributis forte deſertis arenarum et montium tractibus. Aegypto aſſignauerat milliaria anglica quadrata ad XIV centena millia DCC. quae ſunt gemanica VIII M. DCCXCIII. (8793. in quae ſi 2400. capita in ſingula millia diſtribueres, exiret numerus XXI

mille CCLX. ſuperioris mille DLXVI. trium Oaſium CCCCXX. adeoque vniuerſam Aegyptum IV mille CXLVI leucarum quadratarum eſſe*), multiplici ratione effecerat; et in terra, nunc omni fere cultu deſtituta, plus tamen quam XX M. pagorum numerauerat *Maillet.* Retudit vtriusque impetum et calculos ſevere caſtigauit ſcriptor grauiſſimus, *d'Anville,* qui terrae arabilis Aegypto reliquit non niſi CC M. et centum leucas quadratas**), adeoque vix dimidium iſtius ſummae; ita vt, ad efficienda ſeptuagies centena millia, ſingulis leucis attribuenda eſſent capita 3333. quod omnem fidem excederet. Enim vero non minus d'Anvillium cupiditate popularem ſuum oppugnandi verum deſeruiſſe manifeſtum fit; non enim ad vulgarem ſoli bonitatem ac fertilatem, qualis Galliae eſt, nec ad iugera, quae nunc arantur, reuocari poteſt Aegyptus.

Falli

XXI millionum et 103200. capitum, quae Aegyptum obtinuiſſent; quo ipſo numero computatio erroris redarguitur.)

*) 4146. leucarum quadratarum: (leucae XXV efficiunt gradum vnum). Quod ſi notam Vaubani rationem ſequaris, vt 850 capita in vnam leucam diſtribuantur, quippe quae inde ali poſſint, non vltra 3,524,000. capita in Aegypto numerari potuiſſent. Atqui hoc exploratae fidei ſcriptoribus repugnat, ſi vel Agrippae regis auctoritatem apud Ioſeph. B. Iud. II, 16. p. 190. memineris, qui ſuo tempore ſeptem milliones et L millia incolentium Aegyptum memorat. Enim vero hoc in plerisque hiſce computationibus accidere ſolet, vt, quod in vnam regionem cadit, alienisſimum ſit ab altera: Aegyptus quidem, quo eſt ſolo caeloque, vix cum alia terra comparari poteſt; multo minus ſi eam innumeris Nili foſſis interceptam et in hortenſem morem coli ſolitam reputes.

**) *Memoire ſur l'Egypte.* p. 26.

Falli ſane neceſſe eſt, quicunque veterem Aegyptum aut ad praeſentem terrarum faciem aut ad communem aliarum terrarum rationem et indolem reuocauerit. Praeter illa, quae in ipſa commentatione dicta ſunt, reputet aliquis haec cum fide ab antiquis tradita: cum centeſimo grano Aegyptum triticum reddidiſſe adhuc Plinii aetate (lib. XVIII, ſ. 21.); porro tertio quoque menſe *ducenties centena millia modiorum* frumenti Romam Aegypto eſſe adue*c*ta *); attamen iam tum foſſae Nili neglectae omnisque illa cura, ab arte, ingenio et induſtria hominum profecta, magnam partem erat ſublata; Nihilominus Iuliani Imp. aetate *aliquoties iactae ſementes in loco pinguis ceſpitis cum augmento fere ſeptuageſimo renaſcebantur* (Ammian. XXII, 15.) In tanta ſoli fertilitate, et in tanto Aegypti cultu, quantus ille antiquioribus temporibus fuit, cum hortenſi aliquo, vt diximus, ſoli cultu comparando, temerarium eſſet, ex noſtrorum locorum naturis aliquid ſtatuere velle, et veterum ſcriptorum fidem temere eleuare.

 Quod

*) Aurel. Vict. Epit. c. I. Modius Romanus exaequat, vt tamen aliqua parte ſuperet, menſuram Brunsuic. *Himten* dictam. In annum ſunt 80.000,000. modiorum Romam miſſa. Iam iugerum agri recipit tritici modios quatuor vel quinque (vt ap. Colum. XI, 2, 75. eſt) Facile itaque poteſt calculus fieri, quot iugera ad illam meſſem faciendam ſuffecerint, pro modo fertilitatis, quem ſtatuere velis ſeu centies ſeu ſeptuagies auctorum granorum. Verum haec, vt acuta ſunt et ſubtilia, ita ad rem parum tuta ac certa. Non magis auſim de reditibus regum Aegypti diſputare ad morem doctiſſimi et acutiſſimi Pauwii: *Recherches philoſ. ſur les Egypt. et Chinios* T. II. p. 314. ſq. nam nimis vaga et incerta ſunt haec omnia, ſi valorem rerum et argenti reputes. Nec certiora ſunt apud V.C. de *Schmidt.* Opuſc. p.310. ſq.

Quod autem ad ſummam Aegyptiorum frugalitatem victusque tenuitatem attinet, etſi nihil in his, quod aut perpetuum per omnes aetates aut per omnes ordines ſeruatum fuerit, ſtatuere licet ex vna vel altera auctoritate; qua in re plerumque ii falſi ſunt, qui de Aegypto egere; habuere tamen illa cauſſas ſuas conſtantes, primum in ſoli caelique natura, tum in religioſi cultus ratione, ad illam comparata. Namque religiones Aegyptiae animantium plerorumque vſum interdicebant, relegabantque adeo Aegyptios ad victum ex oleribus et plantis; hunc autem ipſum caelum torridum ſiccumque multo magis requirebat, animantium carnes faſtidiebat. Quantam porro ieiunia ex religioſo ritu ſeruanda ad victus copiam vel inopiam vim habeant, vti iucundum eſt ad cognoſcendum, ita graue ad rerum publicarum fortunas in noſtris quoque hominibus. Neque illud in diſputatione ſuper frequentia hominum in Aegypto praetermittendum, quod Aegyptii omnium hominum maxime ſalubri corpore vſi ſunt, id quod Herodoto mirationem faciebat (II, 77.); ita cum et aetate in multos annos protracta et prolis procreandae vi notabiles eſſent, ſi matrimonia iuſta et matura nutriendaeque prolis facilitatem adieceris, maioris hominum copiae numerum vt ineamus cauſſas idoneas ſubeſſe patet *). Quae ſi quis omnia ac ſingula repu-

*) Comparanda ſunt hanc in rem quae de Sinis, de Indis, de Perſis, de Iudaeis, narrata ſunt. Armenios chriſtianos prole feliciſſimos eſſe multi tradunt, inter hos *Chardin* in Perſis vidit inter eos familias plus quam quingentis capitibus abundantes; cauſſasque eius rei cum ex matrimoniorum facilitate, tum ex educandae prolis parato victu, ex adultiorum vero ſobrie-

reputet, vti nimis calidum eſt in antiquis rebus quicquid occurrat, vel affirmare praefracte vel negare, ita quiuis modeſtior vel timidior cauſſas plerumque videbit dubitandi multas ac graues, affirmandi vel negandi nullas ſatis idoneas. Ceterum de Aegypti fertilitate poſt illa, quae ſcripſeram, accurate egiſſe vidi d'Orignium *).

Quod ad frugalitatem ac victus veſtitusque tenuitatem inter Graecos, inprimisque Athenienſes, attinet; non ignoro, quae altera ex parte de luxu eorum tradita ſint et tradi poſſint. Verum diligenter in his attendendum eſt ad tempora, tum ad ipſius luxus genera et modos.

Ea enim aetate, qua luxus iam peruagatus erat Graeciam, hoc in argumento nec vtimur nec vti poſſumus: defecerant enim iam tum domus ac familiae, et exhauſtae viris vrbes pleraeque, corpora autem, quae ſupererant, fracta erant cum animis ex longa ſeruitute, quam poſt Alexandri obitum regum potentia impoſuerat. Noſtra diſputatio ad eas aetates ſpectat, qua liberae ciuitates ſuae ſalutis cauſſam in eo verſari intelligebant, idque curabant, vt et ſuſcipere liberos prodeſſet et fortes liberos habere laudi eſſet. Nec ignoro, quae hac de re diſputata ſunt,

 ad

brietate ac frugalitate, ieiuniisque religioſis repetendas eſſe, ex eodem intelligere licet: *Voyage en Perſe.* To. II. p. 122.

*) *D'Origny Egypte ancienne.* T. I. p. 91. ſqq. Nondum enim illum tum, cum illa ſcriberem a. LXVI. inſpexeram.

ad Athenas maxime ſpectare; de aliis Graeciae ciuitatibus pauca haberi, quae ad quaeſtionem faciant. Verum omnino de Athenis quae cum fide memorantur, hactenus de ceteris Graeciae partibus aeſtimationem relinquunt, quia illa vrbs omnium maxime opibus ex mercatu et nauigatione floruit; quod ſi non omnis parſimonia et frugalitas ex illa exulauit, multo magis in reliquis vrbibus et agris eius veſtigia ſuperfuiſſe neceſſe eſt. Quid? quod adeo in noſtrae aetatis ſumma luxurie ſimplicitas tamen vitae et frugalitas non omnino omnis ex oppidis, vicis et pagis exulat. Contra in vrbe, quae magni imperii caput eſt, quo frequentior illa ſeu ciuibus ſeu aduenis eſt, tanto exuberantior eſt luxus: ad quem modum de Athenis, de Corintho et aliis vrbibus, alio more de Roma, erit pronuntiandum, quae magnitudine ſua ac luxurie Italiam perdidit: (cf. Colum. praef. §. 15. ſqq.) Luxus autem, inprimis in tam vaga vocis acceptione, genera ſunt infinita; alia aliis pernicioſiora; alia ſubitam, alia lentam tabem inferentia; in omnibus autem hominum, rerum, locorum, ratio habenda; quibus effici ſolet, vt quod alteri populo aut ciuitati noxam, alteri afferat ſi non vtilitatem, ſaltem noxam multo leuiorem; ita vt nihil magis fluctuet quam omnis de luxu ſuſcepta diſputatio, niſi ea ad ſingulas cauſſas et exempla deducatur. Habuit tamen luxus, quem vocant, veterum multas et magnas diuerſitates, in primis ſi partim inſtrumenta luxus conſideres; quae priſcis aetatibus fuere a noſtris diuerſa, nondum in vtramque Indiam nauigatione aperta, tot artibus et opificiis nondum aut inuentis aut expolitis; partim ſi ge-

ſi genera luxus ſeu publici ſeu priuati a noſtris abhorrentia cogites, vt in aedificiorum publicorum multitudine et magnitudine, in pompis ſacris, in ludis, in balneis, in vnguentis et ſic porro; vtut cuncta luxus genera conueniunt inter ſe in eo quod efficiunt, vt ſeruientium miſeria, dominantium contumelia remp. perdat, perditaque illa res tandem eo redeat, vt ad rudem, aſperam et immanem vitam relabatur ſeu populi ſeu prouinciarum conditio; cuius rei exemplum luculentiſſimum habemus Italiam per ea tempora, quae inter antiqua et noua media ſunt. (cf. *Denina* V. cl. T. IV. p. 170. ſq.)

Magnam eruditionis ſpeciem habere ſolet, ſi vetera rerum pretia ad noſtram pecuniam referimus, et, comparatione facta, ex iis de rerum pretiis ſeu inſanis ſeu vilibus, aut de impenſarum modica vel immodica ſumma, de diuitiis vel paupertate, opibus vel inopia, luxurie vel frugalitate, iudicamus. Atqui omnem illam aeſtimationem lubricam parumque tutam, plerumque falſam aut erroneam, eſſe equidem compertum habeo *). Parcitas enim vel vilitas argenti auri aeriſque incredibilem in his facit diſcrepantiam, vt, quod numo modo venit, alio tempore et loco drachma ematur. Prouentuum itaque copia vel inopia, redituſque ex agro, comparati cum hominum neceſſitatibus, expenſis, affluentia, paupertatis vel diuitiarum arbitrium iuſtum facere poſſunt, non talentorum vel minarum nomina.

 Quam

*) Emendatiora nonnulla dedi ex hoc genere in ipſis Proluſionibus quam olim erant expreſſa.

Quam rem, ſi quid aliud, declarat profecto cenſus Atticae VI M. talentis aeſtimatus; de quo alio loco diximus *). Inprimis vero Solonis tempore raritas eſſe debuit argenti ſumma, quandoquidem medimnus frumenti aequiparatus eſt drachmae; quam rationem ſi ad alias res transferas, pretia rerum incredibili diſcrimine a noſtris opibus diſcrepaſſe intelligas **). Creuere mox rerum pretia, atque etiam ex-

*) *Antiquar. Abhandl.* P. I. p. 205. ſqq.

**) Fac drachmam ad noſtram pecuniam, quo quidem loco res nunc ſunt, 4 bonos groſſos, aut ſi ſubtiliſſime rationes exequaris, cum iis inſuper $9\frac{60}{100}$ pf. valere; medimnum atticum autem aequalem eſſe quatuor modiis Romanis adeoque totidem fere menſuris Brunſuicenſibus, quas *Himten* vocant, niſi quod aliquantum has excedunt; emtas adeo eſſe apparet quatuor noſtras menſuras *Himten* 9 groſſis vulgaribus a Maria appellatis; adeoque ſingulae 2 gr. 2 pf. Venit igitur Athenis id, quod nunc 24 groſſis, interdum carius, paratur, expenſa 2 gr. 2 pf. Ad eandem rationem ſe habebant Solonis aetate alia: v. ap. Plutarch. p. 91. B. ouis venibat vna drachma, quinis bos. Imputatum quoque in ſacrificium *πρόβατον καὶ δράχμη ἀντὶ μεδίμνου* ſc. in epulas: quod tamen de priuato ſacro accipiendum; nam publicis et ſollennibus ſacris victimae maiores caedebantur: cf. ibid. vbi *ἱερείων ἐκκρίτων* alia pretia axone XVI. definita memorantur. Fuiſſe tamen iam tum luxum aliquem, quem Solon reprimere voluit, ex hoc intelligas: quod Solon mulierem *ἐξιέναι* iuſſit *ἱματίων τριῶν μὴ πλέον ἔχουσαν, μηδὲ βρωτὸν ἢ ποτὸν πλείονος ἢ ὀβολοῦ φερομένην, μηδὲ κάνητα πηχυαίου μείζονα* Plut. Sol. p. 90. B. quae vt recte intelligi poſſint, haec monenda ſunt: *ἐξιέναι* eſſe *prodire in publicum*, et quidem h. l. ad pompas ſeſtorum, vt Panathenaea, in quibus contentio fuiſſe videtur inter mulieres cum in alia magnificentia, tum in caniſtrorum, quae geſtabant, ſumtuoſo ornatu. Cum vero eſculenta et potulenta efferre vetantur mulieres, quae oboli valorem ſupe-

excanduere, vt tamen, ſi ſingula ſequi velis, non facile ad calculorum concordiam ac paritatem reuocare ea poſſis *). Eſſent in his multa, quae praeclare conſtituere liceret ex oratoribus atticis, ſi modo otii ſatis ad id perficiendum ſuppeteret. Sed coniunctum ea cum re eſſet aliud ſtudium, retractandi .., quae recentiores ſuper comparandis menſuris, ponderibus et monetis noſtris cum antiquitate ſcripſere; in quibus vix duo ſunt, qui ſatis inter ſe conveniant. Vtinam contingat his quoque alter nunc Io. Fr. Gronouius doctrina, ſubtilitate, otii liberalis fructu par illi, qui de ſeſtertiis ſcripſit.

ſuperent, ſpectare hoc ſuſpicor ad Eleuſinia, ac ſimiles profectiones religioſas. Quod tamen obolus ſatis eſſe potuit ad quamuis cibi potusque copiam parandam, ingens argenti pretium declarat.

*) Ita Demoſthenis aetate medimnus tritici *quinque drachmis* veniit; et quod vna drachma emi ſolebat Solonis aetate, X. drachmis veniit Menandri aeuo: ſi quidem ille ap. Athen. VIII. p. 364. E. ſi X. drachmis προβάτιον emtum fuerit, καλλιερεῖσθαι poſſe ait; at ſolere ſacro facto talentum impendi: Αὐλητρίδας τε καὶ μύρον καὶ ψαλτρίαν, Μενδαῖον, Θάσιον, ἐγχέλεις, τυρὸν, μέλι, Μικροῦ τάλαντον γίνεται τὸ κατὰ λόγον.

*) ACADEMIAE GEORGIAE AVGVSTAE
PRORECTOR

ABR. GOTTH. KAESTNER

CVM SENATV
ANNIVERSARIA INAVGVRATIONIS SACRA
VICESIMA NONA
IN A. D. XVII. SEPTEMBRIS cIↃ IↃ CCLXVI.
INDICIT.

Proluſionis cauſſa diſputatur
de elegantiorum artium ac ſtudiorum vſu et fructu ad diſciplinam academiarum publicam **).

Quemadmodum, ſi cum hominibus perfectis, hoc eſt abſolutae rationis, adeoque etiam perfectae virtutis, viueremus, Ciues, omnino nullis legum ſanctionibus, aut poenarum minis ac terroribus indigeremus, ita in populis ad aliquam reipublicae ſeu ciuitatis formam reuocandis id ſpectare ſolent legum ſanciendarum auctores, vt, quo ferociores aſperiores ac praefractiores hominum animi, quo

*) Scripta eſt ante hanc alia proluſio *de Coloniarum iure et cauſſis prior*, quam paullo poſt praefigemus poſteriori, quae idem argumentum perſequitur.

**) Si cui curae eſt videre ac comparare has easdem notiones vernaculi ſermonis proprietate expoſitas, adeat *Gel. Anzeigen* 1766. p. 945. ſq.

quo rudiores et horridiores ſint mores, eo grauioribus eos poenis ac ſuppliciis illigent; quo vero mitiores et manſuetiores ciuium ſuorum eſſe animos cernant, eo minus poenarum metui, plus honoris ac laudis ſtudio honeſtatisque et bonae exiſtimationis naturali amori tribuant; quod enim aliquis in contrariam partem memorare poſſit atrociſſima ſupplicia in Francogallorum populo, qui humanitate alias gentes ſuperare ſibi videtur, legibus conſtituta, id et ſimilia alia exempla modo ab imperii forma ad dominationis libidinem deſcripta, modo ad morem antiquum nulla regnantium cura vel ſapientia emendatum referendum eſt. Nulla autem eſt respublica ac ciuitas, nulla hominum conſociatio, in qua, tum conſtituenda, tum adminiſtranda, bonae mentis, liberalioris inſtitutionis et educationis, et egregiae alicuius ad exiſtimationem, laudem et bonorum omnium beneuolentiam conſequendam propenſionis, tantopere ratio habeatur, quam vniuerſitas litteraria; ad quam qui confluunt et ciuitatis ius ſibi impetrant, eo ipſo, quod nomen ſuum profitentur, ſacramenti velut religione ſeſe obſtringunt, ſe non plebeiorum ac ſordidorum hominum ritu, quos poenarum ac ſuppliciorum terroribus coerceri neceſſe eſt, ſed tanquam adoleſcentes ingenuos, liberaliter educatos, optimis artibus imbutos, omnis praeſtantiae, laudis ac virtutis cupidiſſimos, honeſte, modeſte et decenter eſſe victuros. Itaque diſciplina academica, cum aliis de rationibus, tum potiſſimum hac de cauſſa, minus ſeuera ac triſtis, minus rigida ac dura eſſe ſolet; non quod imperii vis ac robur hac in parte claudicet et vacillet, nec ſatis

valeat

valeat per ſe ac vigeat; nihil enim faciliore negotio compeſci poteſt aut profligari, quam ciuium in rebusp. academicis flagitioſa audacia; *Hi motus animorum atque haec certamina tanta pulueris exigui iactu compreſſa quieſcunt;* verum quoniam ſapientiſſimorum virorum animis obuerſabantur omnia illa, quae modo memorata ſunt. Videbant iidem, ad animum iuuenilem fingendum ac firmandum et honeſta ſui fiducia imbuendum haud exiguam vim habere illud, ſi in tutela ſe ſua eſſe, ſe ſuis rebus ipſos ſupereſſe, decus vel dedecus a ſe ipſis petere ſentiant adoleſcentes; eſſe omnino academiam magnam aliquam domum ac familiam, quae patris familias iure et auctoritate regatur, neque adeo eſſe aut eſſe poſſe diſciplinam aliam quam domeſticam, ipſumque iudicium domeſtico ſimile, niſi in iis cauſſis, quae prorſus ciuiles ſunt et ciuili iure ac lege diſceptandae.

Quo itaque plus rectae et ingenuae ciuium indoli, animorum morumque manſuetudini et humanitati, in ciuitatibus academicis relinquitur, eo grauiore cura ac ſollicitudine eas ciuitates teneri neceſſe eſt, vt ciues habeant ingeniis et moribus politis, ornatis et ab omni ferocia intactis; atque eo diligentius prouidendum eſt, vt ea in promtu ſint, quibus bona indoles ali, praeclararum rerum ſtudia incendi, animi ad laudem erigi, a flagitioſa et ſordida vita reuocari et in optimis artibus ac ſtudiis teri ac ſubigi poſſint. Qua in re ſatis apparet, quantam vim, vti ad felices in diſciplinarum ſtudiis profectus, ita etiam ad morum vitaeque honeſtatem et elegantiam, puerilis olim inſtitutio, ſiue priuata

ſiue

ſiue publica in ſcholis, habeat. Nullus facile ad academias acceſſit feroculus et factioſus aut turpis et facinoroſus homo, quin talis ex ſcholis aut penatibus ſuis exierit. Neſciunt ii, qui ſcholarum inſpectionem et iuuentutis omnino educandae curam ſibi publice demandatam negligunt, ſe non minus academiarum eſſe corruptores et euerſores, quam totius reipublicae omnisque virtutis ac religionis peſtes. Nam virtutis ac religionis fundamenta in ſcholis iaci neceſſe eſt; in academiis huic tanquam areae inaedificari. Sed inter ea, quae in ipſis academiis ad morum diſciplinam et honeſtatem valere poſſunt, vnum eſt; quod ſi adfuerit, ſtatim mitioribus adoleſcentum ingeniis, honeſta verecundia, politioribus omnisque humanitatis ſignificatione ſeſe prodit; ſin ex academiis exulet, ingeniorum ſtupore, animorum ferocia, morum aſperitate, ſtulta arrogantia, vecordia et inſolentia, graue ſui deſiderium relinquit, *litterarum*, inquam, *et artium elegantiorum et humaniorum ſtudium.* Quod quanquam ipſa rerum experientia ſatis probat, nunc tamen in cauſſas huius tanquam effecti paullulum inquirendo, ipſam rem paullo vberius, licet breuiſſime, declarabimus.

Et primum quidem ipſarum *artium et ſtudiorum humanitatis et elegantiae* ea eſt natura ac vis, vt ad animi voluntatem inclinandam et bonis ac propitiis affectionibus et impulſionibus impertiendam vnice valeant. Nam, dum id, ſi non vnice, attamen inprimis in academiis, et recte quidem, agitur, vt memoria ſubtilibus doctrinis, acutis diſtinctionibus, nudis praeceptorum argumentorumque enarrationibus, oneretur,

aut,

aut, rerum verborumque ſubtilitate, intelligendi ac iudicandi vis acuatur; ad intelligentiam et doctrinam egregie multum, ad voluntatem, adeoque ad honeſtatem ac virtutem, nihildum profectum eſt. Sunt porro pleraeque diſciplinae ita comparatae, vt cum morum animorumque habitu parum aut nihil habeant quod commune coniunctumque ſit; fierique adeo poteſt ac ſolet, vt in ſua aliquis ſcientia ac diſciplina ſit princeps, qui tamen ab animi honeſtate liberalitate et humanitate ſit alieniſſimus; quo magis verendum eſt, ne, in ſumma ingeniorum per ſubtiliores diſciplinas expolitione, iuueniles animi ad bonos mores ac ſenſus ingenuos, honeſtos, generoſos, nihil omnino proficiant. Quid? quod in ipſis non modo philoſophicis doctrinis, verum in ſanctioribus ac diuinis litteris interpretandis aeuo exacto, videmus conſenuiſſe multos, qui tamen de fructu aliquo ad ſe inde deriuando, de cupiditatibus animi ſui reprimendis, de officiorum ſuorum numeris, et quae his ſimilia ſunt, ne vllam quidem ſuſcepere cogitationem: quod ſi a veteranis, litterarum ſtudia, etiam ſapientiae diuinae humanaeque diſciplina, eum in modum coli potuere, quid in iuuentutis calore et impetu rerumque externarum ad animum vi futurum eſſe putabimus! Virtutis, religionis ac patriae amor, rerum praeclararum ac pulchrarum ſtudium, ſenſus generoſi, homine ingenuo et liberaliter educato digni, ab omni humilitate ac ſeruili ſcurrilique foeditate alieni, et ſuper ipſas adeo fortunae ſordes eminentes, nullis profecto argumentorum ac verborum ſubtilitatibus in hominum animis excitari poſſunt, et miſere falli videas plerum-

rumque eos, qui expoſitis miro cum acumine praeceptis diuinae humanaeque prudentiae ſe conſequutos putant hoc, vt ad morum ſanctitatem neſcio quam homines adducerent; ſi quid fuit, quod hominum animos inter illa ipſa mouit, non ſane illud a praeceptis nudis et ſpinoſa horridaque oratione expoſitis profectum eſt; contra faciles expugnatu, et ad perſuadendum iis quod velis idoneos habeas animos, ſi aut auctoritate et grauitate, aut amoris ac beneuolentiae ſignificatione eos tentaueris; vnde etiam ad iuueniles animos flectendos et a prauo inconſultoque facinore auocandos maiorem plerumque habet vim aequalium ac familiarium ſuaſus et hortatus, quam ſubtilis e ſacris profaniſque litteris argumentantium obiurgantiumque loquacitas. Non facile expugnatur animus niſi, primo loco, factis et exemplis propoſitis, vſu et conſuetudine admota, tum, ſecundo loco, ſententiis grauibus, viuidis rerum ad ſenſum declarationibus, argumentorum probantium in mouentia conuerſionibus, exemplis mentem attonitam percellentibus, orationis porro dignitate, interdum etiam pulchritudine et ornatu. Voluntatis enim noſtrae inclinatio ac propenſio cum iis animi noſtri facultatibus, quae propius cum ſenſuum impulſibus, iisque aut in memoriam reuocandis aut menti tanquam in tabula exhibendis, nimis amice conſpirat, quam vt abſtractio ac ſubtilis diſputatio quicquam eam attingat. Cupiebamus ac nolebamus, deſiderabamus et auerſabamur, laetabamur ac moerebamus, multo ante, quam iudicandi elaboratior facultas intercedere poterat, quo minus in firmatos earum rerum habitus prorumperemus.

Non autem animorum habitus retexi poſſunt, niſi vias ſequaris, quibus quaſi pertexta ea tela et perfecta fuerat. Cum itaque, vt ab his retrahamus diſputationem, animus, qui elegantioribus artibus et litteris ſeſe addixit, omnino rerum, ſiue formis ſiue ideis pulchrarum, ſenſu, admiratione ac ſtudio, imbuatur, atque etiam praeſtantioris cuiusque virtutis, mollioris ſenſationis, ſymmetriae et harmoniae, ordinis ac decoris venuſtatisque alicuius in ipſa honeſtate, ſemina imbibat, ab omni autem facto dictoue, quod liberali ingenio indignum ſit, auertatur; cum porro in optimis ſcriptoribus, vitae humanae magiſtris, omnis virtutis publicae priuataeque praeconibus et laudatoribus, ille verſetur, et grauiſſimis ſapientiſſimorum ac ſummorum virorum ſententiis et exemplis non inflammari non poſſit; eum ex humaniorum litterarum ſtudiis non modo ingenii ſed omnis virtutis fomitem accipere, et ad vitam honeſtam plurimum et incitamenti et adiumenti habere manifeſtum eſt. Quid? quod eo modo culta ingenia, cum aliquando in vitam publicam prodierint, non modo fucum et pigmentum politioris alicuius et exquiſitioris culturae, quam non niſi ex elegantium hominum conſuetudine aſſequare, multo facilius et citius accipiunt, verum etiam, in ipſa illa arte ementiendi bellam egregiae erga omnes beneuolentiae ſignificationem, paullo plus candoris, humanitatis et verae honeſtatis retinent. Sed hoc illud eſt, quod vulgo ignoratur, artes ac diſciplinas elegantiores non ad exoletam modo aliquam linguam, ad res antiquitatis obſcuras, ad auctorem aliquem claſſicum intelligendum ſpectare, ſed, cum ad

ab iis, poſt ſanctiſſimam religionem, tota voluntatis noſtrae et propius cum ſenſibus coniunctarum animi facultatum, penes quas tamen in humanis animis imperii ſumma eſt, vis et emendatio pendeat, humanitatis doctrinas omnino vnicum eſſe ſtudium, quod ſiue per ſe animos ad virtutis, certe ciuilis, et honeſtatis amorem accendere, ſiue aliis diſciplinis, iisque ſanctiſſimis et grauiſſimis, eam veluti dotem largiri poſſit, vt, quicquid eſt diuinae humanaeque ſcientiae, non modo memoria comprehendatur et ſubtili iudicii acumine diſpungatur, verum etiam in animorum voluntates influat, eas animet, moueat, percellat.

In grauiſſimo nos verſari argumento videtis, Ciues amantiſſimi, et quam vellemus totam eius vim in animos veſtros infundere! hoc eſt, inſtillare omnis voluptatis ac dulcedinis perennem quaſi aliquem fontem, quo irrigatum pectus veſtrum perpetua ad ſeram quamuis ſenectam tranquillitate fruatur, nunquam aegra ignauiae taedia experiatur, nullisque, niſi puris et nulli poenitentiae locum daturis, gaudiis pateat. Si qua tamen vitae pars eſt, quae artium et litterarum ſuauitatem et iucunditatem recte ac plene perſentiſcere poſſit, iuuenilem eam eſſe putate. Plurimarum pulcherrimarum rerum ſenſus in animis noſtris hebet, vbi iuuenilis ardor refrixit, phantaſiae viuida olim vis exoleuit, fracta interdum rebus aduerſis animi vis et retuſa iacet. *Singula de nobis anni praedantur euntes. Eripuere iocos:* —

Sed cum in deſtinatae huic ſcriptioni paginae extremo margine iam dudum haereamus, duo adhuc

leuiter ſaltem ſunt attingenda, e quibus rem, quam propoſueramus, accuratius demonſtrare animus erat. Primum, ſi facultates animorum noſtrorum inferiores, quas vocant, inprimisque repraeſentandi et imaginandi vim, neglectas et incultas iacere patimur, nec bonis et pulchris optimarum rerum imaginibus ac formis animum inſtruimus et adornamus: animi noſtri natura ita fert, vt non modo horridus et incultus ille ager turpiter ſqualeat, verum etiam vt herbis noxiis, venenis ac toxicis exuberet, vtque animus in omnem prauitatem, foediſſimas libidines, flagitioſas turpitudines, luxuria incredibili ſeſe effundat. Porro, cum aetas veſtra, florentiſſimi Iuvenes, honeſtae voluptatis, gaudii ac delectationis, fructum iure ſibi vindicet; quod enim omnes mortales ſectamur, dum nobis belle eſſe dumque valere, quanquam ſua quisque lege, volumus, id vobis, Cariſſimi, quis deneget? ſed poſtulatur a vobis tantum hoc, vt eam voluptatem non ex contaminatis ſenſuum faecibus ac ſordibus, ſed ex rebus bonis, honeſtis, pulchris petatis. Neque porro quisquam adeo iniquus in vos et durus eſt, vt debita haec et conſentanea veſtrae aetati gaudia ex ſuo ſenſu, guſtu ac more definiat, et aut noſtrae aetatis ſeueritatem et triſtitiam vobis imperet, aut a vobis id expectet, quod nos ſiue muneris et officii ratione, ſeu rei familiaris augendae, forte et lucri captandi, ſtudio, ſeu famae cupiditate, ſiue etiam longo vſu et aſſuetudine, facimus, vt ex ipſis ſeuerioribus ſtudiis et laboris aſſidui aerumnis ſi non delectationem, attamen nec importunum taedium contrahamus. Optimo vtique iure iuueniles luſus iocosque et omnem hila-

hilaritatem ac feſtiuitatem, tanquam poſſeſſionem veſtram ac regnum, vobis vindicatis. In humanam naturam peccaret, qua quidem re nullum grauius eſt ſacrilegium, qui vobis illa ereptum iret. Enimvero regere illa et ordinare, circumſcribere et temperare, hoc eſt, quod leges faciunt; hoc, quisquis veſtri amantiſſimus eſt, facit. Cum autem alia, quibus animi refici et recreari poſſint, aut, vt in ciuitatibus academicis, nec noſtri arbitrii, nec in poteſtate noſtra ſita ſint, aut litterarum ſtudiis refragentur, nec bene cum otio Muſarum conueniant, aut abutentium prauitati et nequitiae pateant; ecce paratiſſimum vobis et tutiſſimum exquiſitiſſimae voluptatis fructum, humaniorum litterarum et elegantium artium ſtudia. Quibus quum nec aetas veſtra vacare debeat, nec vos ſine iis recte in vlla diſciplina addiſcenda verſari aut vlli vitae officio ac muneri ſatisfacere aut aliquem idoneum vitae cultum animique bene temperati conſtantiam, et εὐταξίαν, aſſequi poſſitis, quam praeclare vobiscum agitur, dum ſimul omnis purae et honeſtae delectationis copia in iisdem ſtudiis vobis apponitur et propinatur. Seuerioribus ſtudiis feſſus torpet animus? non iam poſtulamus, vt a Digeſtis reduces iterum otii et animi cauſſa ad Digeſta aduoletis et ex iis animum recreetis. Sed nunc libellum aliquem elegantiorem, praeſtantiorem hiſtoriarum cuiusuis aeui ac populi auctorem, vtilem aliquem poetam, Tragicum ſententiis grauem et ad adſuefaciendum humanitatis ſenſui animum vtilem, Comicum, vitae ciuilis ac domeſti-

cae optimum magiſtrum, in manus ſumite; aut ipſi aliquid in chartam coniicite, vel verſus pangite, leuius certe ac tolerabilius inſanietis quam bacchico furore. Exterorum populorum deſcriptionibus itinerumque ac nauigationum narrationibus quantum voluptatis honeſtiſſimae capi poteſt! At lectionis taedet. Recte; iam penicillo pictorio aut calamo delineatorio formarum pulchritudinem advmbrate; aut, ſi magis placet, artificum opera aere expreſſa cognoſcite, veterum monumentorum reliquias recenſete. Multi fingendis ex argilla ſimilitudinibus omnique plaſtices genere, alii vitrum lapidemue torno terentes, ebur lignumue ſcalpentes, egregium ſibi languoris et ſocordiae remedium peperere. Nondum muſicam, diuinam hanc omnis taedii depultricem et auerruncam deam, non eas artes, quae cum corporis robore, agilitate, celeritate aut bona valetudine ac dignitate, coniunctae ſunt, attigimus. Sin autem ad naturae ſtudium animus bene informatus delatus fuerit, nunquam ei, quo detineat aut excitet ſe, deeſſe poterit. Quibus voluptatum et luſuum honeſtorum generibus ſi animos veſtros adſuefeceritis, Ciues optimi, primum ingentia vobis ad omnes diſciplinas viatica et adiumenta parabitis; tum ad vitae officia et politiorum hominum coetus obeundos ampliſſima conſequemini praeſidia; denique nunquam vos ſeu deſidiae taedio victos ſeu inquietae mentis tanquam furiis actos ad friuola et futilia, aut ad deſpectiſſimorum ac contemtiſſimorum hominum compotationes aut impuras confabulationes recurrere oportebit; neque adeo,

adeo, quicquid prauae noxae inde ortum eſt et oriri ſolet, vnquam ingenia, ad vitae elegantiam et humanitatem comparata, contaminare poterit.

Quod nouum vitae inſtitutum vtinam cum his ipſis anniuerſariis ſacris, quae vobis, Ciues, nunc cum maxime indicimus, initium habeat! quam fauſta et vere aurea haec nobis lux futura eſſet! Ita demum, quicquid labis veſtro coetui nonnullorum exitioſorum et vecordium hominum audacia adſperſit, eluetur! ita demum nihil erit, quod felicitati noſtrae decedere putabimus. Proſperitas publica, res imperii florentes, ſucceſſus laeti conſiliorum et curarum Regis noſtri Auguſtiſſimi et Conſilii ſanctioris; Curatoris noſtri ac Parentis vegeta et ſufficiens tot curis, tot laboribus, ſenectus, et noſtrae felicitatis pertinax et cum annis increſcens amor: quae ac quanta bona, ſi ad ea hoc vnum acceſſerit, vt vos his tantis bonis non indigni eſſe videamini! Agentur Deo O. M. gratiae et noua vota ſuſcipientur in templo academico, quo pompa ducetur. Praeibit verba Decanus Ordinis Medicorum Spectabilis *) inter ſollennia creandis nouis in arte medica Doctoribus inſtituenda. Vos itaque, ſi nos amatis, quod vtique facitis, Illuſtriſſimi Comites, Generoſiſſimi ac Nobiliſſimi Commilitiones, frequentes adeſte, bona ac fauſta verba dicite, P. P. d. XVI. Sept. cIↄ Iↄ CCCLXVI.

*) Phil. Ge. *Schröder* v. *Gel. Anz.* 1766. p. 1233. 36.

IVSSV ET AVSPICIIS
REGIS AVGVSTISS. POTENTISS. CLEMENTISS.
RECTORIS ACADEMIAE NOSTRAE
MAGNIFICENTISSIMI

GEORGII III.

ACADEMIAE GEORGIAE AVGVSTAE
PRORECTOR

ABR. GOTTH. KAESTNER

CVM SENATV
INSTITVTVM HISTORICVM
IN A. D. XXIII. DECEMBR. CIϽIϽCCLXVI.
INAVGVRANDVM
INDICIT

Quum multarum earumque praeſtantiſſimarum rerum ea non raro calamitas fuerit, vt ſiue hominum ſtupore et inſcientia, ſiue opinionis aliqua leuitate et temeritate contemtae aut ſpretae et neglectae iacerent, hiſtoriae tamen quanta eſſet dignitas, praeſtantia et vtilitas, nullus facile fuit paullo doctior et prudentior, quin perſpiceret et verbis teſtaretur. Quae enim eſt diſciplina, quae non ſiue fundamenta ſua, ſiue materiam, ornamenta ſaltem ac lumina, ex ea petat? Siquidem omnis fere ſcientia ac doctrina noſtro tempore non tam intenta ipſarum

rum rerum contemplatione diuturnaque vniuscuiusque obſeruatione ac iudicatione comparatur quam iis, ſi non continetur, tota tamen innititur et incumbit, quae ab aliis inuenta, prolata, ornata et expolita memoria atque animo comprehendimus; vt interdum adeo in rebus aliunde acceptis tota ſubſiſtat eruditio. Iurium certe nulla poteſt eſſe ſcientia paullo accuratior, niſi imperiorum et populorum hiſtorias, tanquam fundamentum, ei ſubſtruxeris. Diuinior vero diſciplina tanto maiorem hiſtoriae dignitatem ac ſplendorem conciliat, quod, quoad factis et rebus geſtis nititur, hiſtoricae fidei ſtabilitatem ac firmitatem vnice reſpicit. Tu autem, ſanctiſſima philoſophia, vitae lux, vniuerſi huius interpres, mirandorum ſummi opificis operum enarratrix, veritatis auctor eademque reſtitutrix, quae etiam ex ſacra doctrina tenebras et ſqualorem ſuperiorum ſaeculorum depuliſti, ciuitatum vero ac rerump. ſola ſoſpitatrix et emendatrix, quibus conſtituendis et deſcribendis legumque tutela firmandis niſi tu adfueris, non niſi caeco impetu ac temere coaleſcunt imperia, vt monſtris ac portentis ſimiliora ſint, et in paucorum eorumque nequiſſimorum vtilitatem eſſe conſtituta videantur; noſtrorum autem animorum diuiniores naturas, vires, opes ac facultates incredibiles, earumque impellendarum, regendarum aut incitandarum rationes, omninoque illa rerum miracula, quae ſuo quisque pectore circumferimus, quis, niſi te hierophanta initiatus, cognoſcat? Quid tamen te nulla hiſtoriae luce colluſtratam eſſe dicemus, a qua niſi materia, in qua tractanda verſeris, ſit ſuppeditata, et multorum ſaeculorum experientia

breuis vitae anguſtos fines protulerit et dilatauerit, a veris et vtilibus rebus ad ſubtiles et ſpinoſas poſitiones delaberis et in anguſto ieiunarum quaeſtiuncularum ſpatio tereris. Quae cum ita ſint, vt hiſtoriae ſumma ad ceteras diſciplinas vtilitas nemini non in oculos incurriſſe videri debeat, ipſa autem per ſe dignitatis et amplitudinis, nec non vtilitatis fructusque incredibile quantum habeat, quomodo tandem fieri potuit, vt ſtudium tamen hiſtoriae recte ſiue cognoſcendae et addiſcendae ſiue condendae ac conſcribendae ad noſtra fere vsque tempora tantum non neglectum contemtumque iaceret, et vix aliqua dignatione et honore etiam ab iis haberetur, qui hiſtoriam praecipuo in loco habendam eſſe putarent? In academiis autem per aliquot ſaecula ſtudium hoc iis diſciplinis, quas plerisque hominibus non tam dignitas ſua et auctoritas, quam principatus alicuius, quem illae inter ſcientias tenere putantur, opinio a monachorum inde ſtupore accepta, aut vtilitatis alicuius ad ventrem paſcendum reſpectus, commendat, non modo erat poſthabitum, verum etiam ad ſcholaſticorum ſtudiorum cenſum detruſum ac reiectum. Quae res, id quod multis aliis rebus bonis et vtilibus vſu venire ſolet, duplex malum reciproco quodam aeſtu in ſe replicatum et recurrens peperit; nam contemtus grauiſſimi et honeſtiſſimi ſtudii generoſiores animos ab eo abalienauit, ita vt in re difficili obſcuram et ignobilem operam ponere nollent; eo tamen ipſo euenire neceſſe fuit hoc, vt, cum nulla recte cognoſcendae, diiudicandae et conſcribendae hiſtoriae praecepta vigerent, annales et hiſtoriae patrum memoria conditae rerum grauitate

ac

ac dignitate, verborum honeſtate ac venuſtute, carerent, in rebus vero futilibus cognitu audituque indignis, obſcuris iuris quaeſtionibus, ad quas interdum tota hiſtoriae ratio fuit reuocata, notationibus genealogicis et ceremoniis conuentuum, conſeſſuum aut ſollennium, barbarico potius faſtu quam vlla elegantia notabilibus, occuparentur, orationis autem ſqualore et barbarie horrerent. Ea ipſa res non raro prudentibus et doctis viris, qui non ad omnem humanitatis ſenſum occalluerant, omne recentiorum hiſtoriarum ſtudium in faſtidium adduxerat. Ii autem libri, quibus in academica et ſcholaſtica diſciplina ad hiſtorias, imprimisque hiſtoriarum orbem tradendum vtebantur, nullo plane cum rerum dilectu, ordine et veritate erant perſcripti, nulla vtilitate ad prudentiam vitae ſeu ciuilis ſeu domeſticae inſtructi, omni autem iudicii acumine et ſubtilitate, grauitate et auctoritate, quam melior et conſummatior philoſophia ſola afferre poteſt, erant deſtituti. Redibat itaque res fere in orbem, vt et contemtus eius ſtudii neglectum pareret et neglectus contemtus cauſſam et excuſationem faceret. Verum cum, vt in aliis rerum iudiciis, ita etiam in hac de ſtudii hiſtorici vtilitate ac praeſtantia exiſtimatione, nubeculae illae ex ſuperiorum ſaeculorum barbarie, (inter quam omnes noſtrae diſciplinae, ſacrae et profanae, et pleraque noſtra inſtituta, inprimis academiae, initia, interdum etiam incrementa, habuere) rerum veritati obductae, partim philoſophiae partim humaniorum diſciplinarum artiumque tanquam luce eſſent diſpulſae: melior etiam in academiis ſtudio hiſtorico lux affulſit. Inprimis autem academiae

no-

noſtrae ſingulari aliquo prouidentiae diuinae munere contigit, vt a primis inde incunabulis hiſtoriae ſtudium, etſi illud monachico illo vetere academiarum inſtituto claſſi philoſophicae adhaerere iuſſum eſt, inter vtiliores et praeſtanciores diſciplinas referretur, a viris autem doctiſſimis, optimis et integerrimis, mirifica indulgentia et cura ſuſciperetur, qui illud multo magis ornarent et locupletarent, in praeclaraque luce collocarent, alii etiam genera nonnulla hiſtoriae, aut partes et capita, peculiari doctrina magna cum laude traderent et illuſtrarent. Quae res quantum ad academiae noſtrae celebritatem et accuratiorem aliquam ſtudiorum regendorum rationem profuerit, cum per ſe manifeſtum ſit, dicere nunc neceſſe non eſt. Omnino enim vera ac ſolida academiarum laus famaeque ac ſplendoris perpetuitas ab iis maxime pendet diſciplinis, quibus, vt claſſicae illae tres diſciplinae recte et vtiliter tractentur, doceantur et addiſcantur, vtque eae omnino verarum, grauium et abſolutarum diſciplinarum formam accipiant, efficitur. Philoſophiae itaque cum matheſi, hiſtoriae et humaniorum litterarum, ſtudia quanto maiore cum laude in quacunque vniuerſitate litteraria vigeant, eo magis reliquas etiam diſciplinas omnes florere, contra autem has et ipſas deflореſcere, deperire et tantum non extingui neceſſe eſt, quoties iſta ſtudia aut nullo honore habentur aut ingenia ad eas accedunt iis litteris et doctrinis non ſatis imbuta et ornata, ſine quibus in ceteris omnibus eſt caecutiendum, vt vix vlla doctrina inde comparari poſſit, quae in aliqua laude ac dignatione ſit habenda. Quocirca academias videmus paſſim viris

celeberrimis inſtructas, ſi de iis diſciplinis quaeritur quae ad nobilem illam *triadem facultatum* referri ſolent, iacere tamen et lenta tabe conſumi, quandoquidem exulant ex iis eae diſciplinae aut aegre pomoeriis adhaereſcunt, quibus aluntur ingenia, et vt in ſe deſcendant ſuisque ſtudiis vitae, non ſoli ventriculo, conſultum eſſe velint, excitantur. Contra Georgia noſtra Auguſta ſi inter ceteras academias non delituit, ſed maturam celebritatem, matura incrementa habuit, illam felicitatem non tam eo conſequuta eſt, quod in diſciplinis ſollennibus viros nacta eſt doctiſſimos et clariſſimos; etſi enim hoc ipſum magnam vim ad eius celebritatem habuit, commune tamen ipſi fuit cum aliis academiis: verum quia liberalius in illa habitae, diligentius excultae, viris doctiſſimis, qui ſcriptis, non modo lectionibus, eas expolirent, inſtructae ſunt eae diſciplinae, quas Pontificius ſtupor olim ignorabat, dominatio et fraus obterebat: matheſis, inquam, cum phyſica ceterisque diſciplinis ex illa ductis; philoſophia ad vitam et actum deducta; litterae humaniores a verborum ſpinis ad rerum et ſententiarum fructus reuocatae, inque his hiſtorica ſtudia, ad vitae magiſterium, ciuitatum, legum, inſtitutorum emendationem, et opinionum ac fraudium depulſionem translata.

Cum itaque res ſit praeclara et exoptatiſſima, vt ſtudii hiſtorici amor ardorque quam latiſſime ſpargatur, ipſa autem hiſtoriae recte cognoſcendae, tradendae ac condendae ars et ratio paullo maiore luce colluſtretur: perquam commendabili profecto et fructuoſo ad academicam inprimis noſtram iuuentu-

tu-

tutem conſilio inſtitutoque Collega noſter amantiſſimus, Vir excellentiſſimus,

IO. CHRISTOPH. GATTERER,
Hiſtoriarum P. P. O.

cum adhuc ſtudium hiſtoricum meliore et accuratiore ratione ac praeceptione, exemplis etiam praeclaris propoſitis, emendauiſſet; alia autem, quibus hiſtoria ſiue fidem et veritatem anquirit, firmat et adſtruit, ſiue lucem ſalubrem et vitam mutuatur, egregie ornaſſet et illuſtraſſet, inprimisque Diplomaticam, cum magno et ad noſtram aetatem et ad poſteritatem fructu et vtilitate, in diſciplinae academicae formam cum eximia doctrinae ingeniique ſubtilitate redegiſſet, vt tamen ſtudii hiſtorici praeſtantia vtilitasque vberius et explicitius declararetur, adoleſcentum porro animi ad illud amplectendum inflammarentur, ingeniaque acuerentur, dum per diuerſas variasque hiſtoriae partes circumferuntur et in interiores earum receſſus admittuntur, iam a duobus inde annis ACADEMIAM HISTORICAM condiderat, hoc eſt, ſocietatem cum virorum doctorum et hiſtoricis ſtudiis florentium, tum iuuenum ad accuratioris doctrinae laudem adſpirantium, qui partim in hiſtoricis diſciplinis perluſtrandis ac cognoſcendis exquiſitiorem operam ponerent, partim ſalebroſis incaeduisque locis, cuius generis multa paſſim per hiſtoriae ſpatia curſum morantur, culturam adhiberent, alias plagas ac regiones ad mitiorem et elegantiorem cultum componerent et exornarent, eas autem litteras ac diſciplinas, quae fundamenta hiſtorici ſtudii et firmamenta ſunt, inprimisque codi-

dicum ac diplomatum cognoſcendorum et diiudicandorum artem et ſcientiam, geographiam, numismaticam, heraldicam, vt quemque ingenium ſeu voluntas ferret, ſubtilius cognoſcerent et tractarent. Quod enim in reliquis diſciplinis vſu venit, vt, quo accuratiorem operam in iis ponere inſtitueris, ita indies earum ſines longius recedere et ſpatia proſpectumque multo latius quam primo aditu cogitatione praeceperas, patere ſentias, id multo euenit magis in hiſtoria, vbi a ſingulis populis et imperiis ad vniverſum genus humanum proceſſeris; nec cognitionem recte inſtitui poſſe facile perſpicias, niſi, non modo ingenia populorum, mores, ritus, inſtituta, leges, artes, opera, et quaecunque ab ingenii humani vi proficiſcuntur, cognoueris, verum etiam illa indagaueris et erueris, quae earum rerum cauſſas praebere ſolent, inprimisque caeli ſolique morem, naturam, munera et beneficia, a quibus, niſi arte et conſilio emendata ea ſiue etiam corrupta fuerint, omnia illa, tanquam e ſeminibus ſuis, neceſſaria ratione procedunt. Vt autem ea, quae modo commemorata ſunt, hiſtorici ſtudii adiumenta et praeſidia ſodalibus in promtu et ad manum eſſent, liberali porro opera ac cura idem Collega noſter honoratiſſimus eorum apparatum aliquem inſtruere et adornare inſtituit, diplomatumque adeo, earumque partium rerumque, quae in iis inprimis ſpectari ſolent, vt characterum, ſigillorum, monogrammatum, praeterea inſignium ſigillorumque gentilitiorum, numorum ac monetarum aliorumque monumentorum, quae hiſtoricis argumentis ſidem faciunt, earumque tandem rerum, quae ſoli naturas de-

declarant et cuiusque populi induſtriae tanquam materia ſubiectae ſunt, eique aut affluentia ſua aut commoda exportatione aut ſcita et ingenioſa elaboratione opes ac potentiam conciliant; earum, inquam, rerum omnium promtuarium aliquod indies magis magisque locupletandum et ornandum ordinauit. Quae quidem omnia quantum ad ampliora ſtudii hiſtorici incrementa, inprimisque ad iuuenilium animorum ſollertiam acuendam et generoſiorem aliquam auiditatem ac cupiditatem tot ac tantas res praeclaras et vtiles, ſine quibus hiſtoriae ſtudium aut nullum aut vanum et ineptum eſt, cognoſcendi valere debeant, monere opus non eſt.

Cum interea Academia haec, exactis intra priuatos parietes incunabulis ſuis, vegetae iam iuuentae robur ſumſiſſet: conditori eius et membris conſultum et e re viſum eſt, vt illa iam nouo INSTITVTI HISTORICI nomine ornata in publicum prodiret. Rex itaque noſter auguſtiſſimus et potentiſſimus, cuius ſacroſanctam maieſtatem cum propter alias immortales virtutes adoramus, tum ob inſignem in vniuerſitatem hanc litterariam indulgentiam ſumma cum pietate veneramur, praeclarum hoc de hiſtoria, tuendis imperiorum et regnorum iuribus, decoribus et praeſidiis, vtiliſſima diſciplina, bene merendi conſilium, pro admirabili illa facilitate ac voluntatis propenſione, qua, quidquid remp. noſtram amplificare et ornare poteſt, aut prouidet, aut annuit, re ad ſe delata, propter inſignem vtilitatem magnopere probauit,

INSTI-

INSTITVTVMQVE hoc HISTORICVM propitio ac fauente numine ſuſcepit, regia auctoritate confirmauit, quoscunque honores, priuilegia ac decora ſocietas litteraria publica habere poteſt, ei addixit, et quicquid ad eius dignitatem aut tranquillitatem pertinere poſſit, clementiſſime conceſſit; Senatui autem academico eiusque Prorectori negotium dedit, vt Inſtitutum hiſtoricum in curam tutelamque Vniuerſitatis noſtrae academicae reciperet, legesque eius et ſtatuta auctoritate ſua confirmaret. Cuius rei tam laeta auſpicia quandoquidem debitis ſollennibus ex more peragenda ſunt, cumque iis a. d. XXIII. Dec. hora a meridie II. dicta ſit: noſtri officii eſſe duximus, amicitiae autem ac beneuolentiae erga Collegam coniunctiſſimum hoc quaſi pignus publice edere voluimus, vt vos, Illuſtriſſimi Comites, Generoſiſſimi et Nobiliſſimi Ciues, et quotquot ſacris noſtris aut litant aut fauent, tabula hac propoſita humaniſſime rogaremus, vt ſollennibus his in auditorio maiore celebrandis, inter quae a Gatterero, Viro Excellentiſſimo, Commentatio *de arte inueniendorum numiſmatum recentiorum, quae vulgo Schaumünzen ſiue Medaillen dici ſolent*, praelegetur, frequentes adeſſe, nouo inſtituto fauere et fauſta quaeuis apprecari velitis. P. P. Gottingae a. d. XXII. Decemb. CIↃ IↃ CCLXVI.

ACADEMIAE GEORGIAE AVGVSTAE

PRORECTOR

RVDOLPH. AVGVSTINVS VOGEL D.

CVM SENATV

SVCCESSOREM SVVM

ABR. GOTTH. KAESTNER

COMMENDAT

CIVIBVS.

KAL. IVL. cIↃIↃCCLXVI.

De veterum coloniarum iure eiusque cauſſis.

PROLVSIO PRIOR.

Quum omnium rerum auſpicia bonis votis ominibusque tanto lubentius proſequamur, quo magis ſiue vtilitate et fructu aliquo ſuo ſe commendent, ſiue eorum, ad quos pertinent, amore ac caritate, gratae nobis ac iucundae eae ſint: non veremur, Ciues amantiſſimi, ne non inter ſollenniores dies merito referri bonisque verbis et ominibus celebrari vobis videatur dies ille, erit autem d. III. Iulii, quo magiſtratus academici inſignia in Virum Illuſtrem,

ABR.

ABR. GOTTH. KAESTNERVM

tranſferentur, qui, vt mathematicarum diſciplinarum ſeueritatem cum Muſarum luſibus vnus omnium coniunxit, ita diſciplinae ſeueritatem omni comitate, humanitate et lenitate, qua idem Muſarum conſortium animum eius imbuit, temperabit. Quod itaque et viri dignitas, ſummus erga vos amor, publicaeque vtilitatis ſtudium, veſtra vero pietas et officium, poſtulat, hoc facietis, ornamenta Academiae huius ſplendidiſſima, Comites Illuſtriſſimi, et vos, natalium, ingeniorum ac virtutum decoribus ornatiſſimi iuuenes, et quicumque ſacra noſtra aut colitis aut fauore veſtro proſequimini, vt ſollennibus his frequentes intereſſe, animis linguisque fauere, velitis.

Atque ita fere officio noſtro ſatisfeciſſe videri poſſemus, niſi mos a maioribus acceptus ita ferret, vt in tali tabula, in qua ea, quae e re veſtra eſſe videntur, proponi ſolent, de re aliqua vndecumque petita diſputatio, quaſi corollarii loco, adiiciatur. Quae quum vix de quaeſtione recondita et ex penetralibus certae alicuius diſciplinae, cui veſtrum aliqua tantum pars vacet, depromta, inſtitui poſſit, ſed in eiusmodi argumento conſumenda ſit, quod aut omnibus, aut plurimis ſaltem, cognitu ſeu vtile ſeu iucundum videri poſſit aut debeat, (quo etiam conſilio ſapientiſſimi noſtrae reip. conditores hoc ſcriptionis munus in eos contulere, quibus humanioris doctrinae cura in academiis relicta eſſe ſolet, Profeſſores eloquentiae eos appellant, quoniam ſcilicet hoc litterarum genus ac ſtudium omnibus ac ſingulis commune eſſe ſeu putabant ſeu volebant pruden-

tiſſimi viri) quae, inquam, quum ita ſint, circumſpicientibus nobis, quod nonnullorum ſaltem animos quodam modo tenere poſſit, offerebat ſeſe iſta quaeſtio *de veterum coloniarum iuribus;* in quam quidem animus ſiue incidere ſiue deduci tanto facilius poterat, quo plura hoc tempore inter Britannos de coloniarum iuribus diſceptari audiuimus. Quid enim, inquis, quum coloniarum deducendarum ac deductarum tam frequens in antiquis ſcriptoribus ſit commemoratio: ſimilisne iuris diſceptatio nunquam incidit? aut, ſi incidit, quod tandem ius in eo ſequuti ſunt veteres? ſin minus incidit, quae eius rei cauſſae commemorari poſſunt?

Iam de veterum coloniis earumque iuribus egerunt multi, ita tamen, vt aut ad antiqui moris ac ritus indagationem operam omnem referrent, aut, quum iura exponenda eſſent, ritus potius et inſtituta aliqua nobis commemorarent, certe de cauſſis earum rerum parum ſolliciti eſſent*). Diuerſa quidem a noſtris coloniis veterum coloniarum fuiſſe iura, ſatis obuium. Nam quum noſtro tempore coloniae non minus ſint membra eiusdem corporis, pars eiusdem imperii et ciuitatis, ac veteres coloni, adeoque iisdem legibus teneantur, iisdem iuribus vtantur; veterum coloniae, ſi Romanorum colonias excipias,

*) *Valeſii* nota ad excerpta Polyb. p. 6. *Spanhem.* de praeſt. et vſu Numiſm. T. I. diſſ. IX. p. 564. ſqq. Non ad manus erat, cum haec ſcriberemus, *Bougainvillii* diſſ. quae praemium Academiae Inſcr. et Eleg. Litter. Pariſ. anno 1745. reportauit; ſed eius argumentum habetur in Memor. Treuolt. eiusd. a. T. CXXXVII. p. 494. De Sigonio et aliis mox dicetur.

pias, liberae et antiquae ciuitati nullo modo fuere obnoxiae, aut, ſi origines ſuas reuereri debuiſſe memorantur, non minus tamen libertate et *αυτονομια* vſae ſunt, quam aliae ciuitates aut imperia, quae maieſtatem alterius populi comiter habere et *ἡγεμονευεσθαι* neceſſe haberent*). At, qua tandem, inquis, ratione, quibus de cauſſis, haec tam diuerſimode comparata ſunt? Fuit ſcilicet coloniarum veterum diuerſa a noſtris coloniis natura, diuerſum conſilium, diuerſus ad metropolim reſpectus ſeu *relatio* ac vinculum; et tota deducendarum coloniarum ratio non niſi ſero hominum prudentum animos advertit, vt, a caſu et priuatorum lubidine, reip. conſilio, voluntati et auctoritati vindicaretur. De quibus quidem quo liquidius ac certius conſtiterit, eo tutior erit iurium finitio ac deſcriptio. Omnino enim, niſi ciuitatum inſtitutionem, principia ac conſilia, perſpexeris, iura earum declarare ac definire fruſtra ſuſcipias. Sed tum interdum illa ſolet incidere dubitatio, vt, ſi in argumento hiſtorico verſeris, ex rerum naturis ac principiis multa iura deducere poſſis, quae factis confirmari nequeant; ſiue, quod eorum memoria intercidit, ſeu, quod iure ſuo homines aliorum vi et iniuria excluderentur, ſeu, quod nunquam rem in eo loco conſtituerat temporum progreſſus, vt eorum iurium notitia et intelligentia animis obiiceretur; vt hoc ipſo tempore multa, quae colonias attingunt, antea a nemine animad-

 verſa

*) *Grot.* de Iure B. et P. lib. I. c. 3. §. 21, 3 II, 9. 10, 2. *Eſprit des Loix* liv. XXI. c. 21. *Melon Eſſai ſur le Commerce* ch. IV. VI. *Dictionaire Encyclop.* Art. *Colonies.*

verſa aut parum ſubtiliter conſtituta, nunc primum accuratius declarata ſunt. Nam ſi, vt hoc exemplo vtamur, Albani de iure ſuo in colonias maturius cogitaſſent et deliberaſſent, non illi Romam ea incrementa capere permiſiſſent, quibus ipſi mox inuidia incenſi nimis ſero remoram facere volebant. Quum porro interdum iura, ſuis rationibus rite ſubſtructa, quibus tamen contraria facta in hiſtoria commemorentur, aut facta interdum poſſint excitari, quibus nullum aut obſcurum ius ſubſit: ea quidem omnia in ſua genera in tali diſputatione referenda ſunt ac ſegreganda.

Coloniarum quidem notio ſubiici animo poteſt nulla, quin et hominum coetum et priſtinam ſedem et nouam habitationem cogitatione verſes. Poteſt autem quum populi aut ciuitatis aliqua pars, tum totus interdum populus ac ciuitas, in nouas ſedes deduci; quod tamen poſterius genus *migrationis* potius nomine appellare vſus fert, et inſunt alia in re a coloniarum naturis diuerſa. Itaque nec *barbarorum colonias* Europam et reliquas terrarum partes inſediſſe dicimus tum, quum ex vltimo oriente fluctuum more aduoluti antiquis imperiis excidia, noſtris origines afferrent; nec expeditiones eorum, qui cruce ſignati erant, in Terram ſanctam in coloniarum numero habentur, etſi conſilio eo ſuſceptae erant, vt nouas ſibi ſedes quaererent Franci, ſeu conuenae Europaei *); nec Iudaei, cum Aegypto relicta, ad occupandam Palaeſtinam diſceſſere, in colo-

*) Cf. *Memoires de l'Acad. des Inſcr* To. XXXVII. p.496. 506.

coloniam exiiſſe dici ſolent; non magis quidem hi quam Hiſpani, qui et ipſi nouas ſedes non alio modo tenuere, quam exciſa gente, quae eas tum inhabitabat. Iam terrae, quas nouae coloniae occupant, aut hominum cultu plane vacare, aut non ſatis frequenter coli, aut, licet ſatis cultae, prioribus eiectis, a nouis colonis poſſideri poſſunt. Primo quidem modo omnis terrarum orbis eſt habitari coeptus et noſtro quoque tempore inſulae nonnullae; altero coloniae Europaeorum in magnam Americae, Africae Aſiaeque partem, maxime littoralem, deductae; quemadmodum olim Phoenicum, Graecorum aliorumque populorum; nouiſſimo tandem modo quum alii paſſim, tum inprimis Hiſpani in America occupanda, graſſati ſunt. Sed ſiue in veterum colonorum locum ſuccedant aduenae, ſiue cum iis permiſti habitent, vtrumque ſeu pacto fit, vt Carthaginem olim, nunc Penſyluaniam, conditam eſſe notum eſt, et vt habitaſſe narrantur Iones cum Cretenſibus, qui Colophonem iam tenebant (Pauſ. VII. 3. p. 528. alia exempla v. ib. eod. cap.) ſeu vi; vti maior pars Ionicarum coloniarum in Aſia condita fuit (v. Pauſ. VII, 2. 3.): et a vi quidem, incurſu et iniuria, verendum eſt, ne plerarumque ex noſtro continenti per totum terrarum orbem diſſeminatarum coloniarum initia repetenda ſint; vt hactenus adeo Europaei ab immanitate maiorum ſuorum, qui imperium olim Romanum, adeoque cultiſſimam orbis terrarum partem, armis occuparunt, non adeo longe disceſſiſſe videri poſſint. Poteſt et illa diuerſitas memorari, vt aliae coloniae a cultioribus locis in incultas terras, aliae ab incultis in cultiores tranſeant. Ad

quod genus examina referri poſſunt barbarorum, qui plerumque eas terras ipſi vaſtant et diripiunt, in quibus mox ſedem figere decreuerunt. Commemorauimus pleraque, quae coloniarum notionem, indolem ac genera diuerſa declarare poſſunt, vt in eo genere ſubſiſtere liceat, quod proprie ac vulgari vſu eo nomine appellari ſolet. Quoties enim populo in rem publicam ſeu ciuitatem legibus conſtitutam deſcripto (inter feros enim, ſilueſtres ac barbaros, coloniarum nomen locum non habet) pars aliqua ciuium ad alias ſedes quaerendas diſcedit, in coloniam ea exire aut mitti ac deduci dicitur; ſiue id fiat lege et ſcito populi, ſiue ciuitate non prohibente, ſiue etiam ea inuita, vt in ſeditionibus ac diſſidiis domeſticis. Metropolin autem quae cauſſae adducere poſſint, vt ciuium partem finibus ſuis exire aut iubeat aut permittat, eae modo *a neceſſitate*, modo *ab vtilitate* aut vtilitatis aliqua opinione petendae eſſe videntur: Nam ſocordiam nonnullorum imperiorum, aliorum ſtultitiam aut ſuperſtitionem, quae omnium ſuarum virium et opum fundum, *ciuem*, ſuppliciorum adeo minis, fugarunt, quod a Gallis et ab Hiſpanis factum, cum opinione certe aliqua coniunctam fuiſſe credere licet. Et *neceſſe* quidem viſum eſt hominibus, iuuentutem ad alias ſedes quaerendas mittere, quotiescumque populus aut ciuitas nimis laetis incrementis augeſceret, quam vt ali nutririque multitudo poſſet; id quod in rep. bene ac ſapienter inſtituta accidere vix vnquam poſſe arbitramur, quum tot exquiſitiora conſilia et artificioſi modi (vtamur enim ea voce) ſuſtentandae plebis excogitari poſſint, modo animi hominum ad hanc ſollertiam et ſagacitatem ſatis acuan-

acuantur; verum in iis populis, in quibus nec agrorum idoneus cultus, nec mercatura et nauigatio eſſet, contra autem magnus hominum prouentus et laetiora indies incrementa, vel vnius anni ſterilitate ingruente, ſaepius ea calamitas incidere debuit. Neque adeo mirum aut a fide alienum eſt, ſi in primis vitae humanae aetatibus longe maxima pars coloniarum, in primis Graecarum, quae Italiae, Galliae, Aſiae et Africae oras frequentarunt, eiusmodi calamitatibus exordia ſua debuiſſe memoratur: neque Gallorum et Aboriginum Ver ſacrum alias cauſſas habuit *). Neceſſitas patriam relinquendi et nouas ſedes quaerendi etiam inde nonnumquam nata eſt, quod metropolis bello deleta eſſet; vt Phocaeenſibus, patria a Perſis capta; aut ſi ciuili diſcordia ac bello ab ea parte, cuius cauſſa ſuperior eſſet, altera pars eſſet expulſa. Frequentiores tales cauſſae eſſe debuere tum, cum tam frequentes fierent barbarorum incurſus, fines vero nullis eſſent caſtellis ſatis muniti; vt primo impetu totam regionem externus hoſtis occupare poſſet. *Vtilitatis*, quae coloniarum deductiones ſuadere poſſit, pro reip. natura variae rationes eſſe poſſunt; eſtque hoc illud genus, quod certa tandem ratione adminiſtrari, lege populi deſcribi, et proprie coloniae nomine appellari coepit **); patet autem hoc genus latiſſime. Aut

T 5 enim

*) V. *Dionyſ. Halic.* I, 16. *Puffendorf.* de Iure N. et G. VIII, 11, 6. *Hiſt. de l' Acad. des Inſcript.* Vol. III, p. 93. ſqq.

**) Cadit in hoc genus definitio apud Seruium ad Aen. I, 12. *eſt pars ciuium aut ſociorum miſſa, vbi rempublicam habeant, ex conſenſu ſuae ciuitatis aut publico eius*

enim colonia mittitur, vt ſtirps liberioribus auctibus creſcat, aut vt pauperes ciues agros ſortiantur; quem Romanorum et Athenienſium *) maxime morem olim viguiſſe vulgo notum eſt. Interdum vrbs a plebe egena, otioſa et nouarum rerum cupida, colonia deducta, liberatur. Aut inuitamentum eſt melius ac fertilius in alia terra ſolum aut maior agri portio **). Antiquiſſima ratio illa eſt, quum victor victos in alias terras abduceret eorumque agros aliis populis aſſignaret, vt vtramque gentem pacatam ſecuro imperio teneret; quam quidem iam Aſſyrios et Babylonios, vt in Iudaeis, Alexandrum ac Romanos ſequutos eſſe, ſatis conſtat. Coniunctum cum eo illud coloniae mittendae genus, cum quaſi in ſupplementum noui coloni in victas vrbes mittuntur, aut, cum

eius populi, vnde profecta eſt, conſilio. Hae autem coloniae ſunt, quae ex conſilio publico, non ex ſeceſſione ſunt conditae.

*) *Liban.* argum. or. Demoſth. περὶ τῶν ἐν Χεῤῥονήσῳ.

**) Pleraſque nouarum coloniarum cauſſas enumeratas videas apud Senecam Conſolat. ad Helv. c. 6. *Alii longo errore iactati, non iudicio elegerunt locum, ſed laſſitudine proximum occuparunt; alii ſibi armis ius in aliena terra fecerunt: quasdam gentes, cum ignota peterent, mare hauſit, quaedam ibi conſederunt, vbi illas rerum inopia depoſuit. Nec omnibus eadem cauſſa relinquendi quaerendique patriam fuit. Alios excidia vrbium ſuarum, hoſtilibus armis elapſos, in aliena ſpoliatos ſuis expulerunt; alios domeſtica ſeditio ſubmouit; alios nimia ſuperfluentis populi frequentia, ad exonerandas vires, emiſit; alios peſtilentia aut frequens terrarum hiatus aut aliqua intoleranda infelicis ſoli vitia eiecerunt; quosdam fertilis orae et in maius laudatae fama corrupit, alios alia cauſſa exciuit domibus ſuis.* Nihil luculentius eſſe poteſt hoc Senecae loco.

cum poenae loco ademti victis vrbibus agri nouis colonis aſſignantur. Tales κληρουχίας Athenienſes in vrbes agrosque eorum, quos bello ſibi ſubiecerant, mox adeo eorum quos ſociorum nomine comprehendere ſolebant, miſerunt*). Etiam infeſtas hoſtium incurſiones coloniis in finibus poſitis reprimere conſultum viſum inprimis Romanis **). Praeclarum coloniae deducendae conſilium ſequuti narrantur, ſi modo vere, olim Yncae, Peruanorum reges, digni qui toti terrarum orbi, certe barbaris illis, a quibus cultiſſima gens fuit exciſa, imperarent; namque illi ex prouincia ingrati et ieiuni ſoli in aliam vberioris et felicioris agri aut clementioris caeli regionem transmittebant populos ſuos ***). Specioſum etiam illud conſilium, quo Athenienſes deduxiſſe colonias Iſocrates memorat (Paneg. c. 9.), vt nomen Graecorum latius habitaret et barbaros reprimeret. Sed longe omnium praeſtantiſſimum genus eſt illud, quod commerciorum, nauigationis ac mercaturae cauſſa inſtituitur; quod quidem noſtris temporibus omni arte perfectum et elaboratum eſſe nemo vt nec neget ita nec miretur, quum nauigandi arte veteribus longe ac multum antecellamus. Ab hac enim nauigationis noſtrae praeſtantia, qua effectum eſt,

*) Diodor. XV, 23. Πλεονεξίαν hanc excuſat Iſocr. Paneg. p. 89. non miſſos eſſe niſi in agros deſertos. Sed tandem Ol. C, 9. τὰς γενομένας κληρουχίας ἀποκαταστῆσαι τοῖς πρότερον κυρίοις placuit, et lex facta μηδένα τῶν Ἀθηναίων γεωργεῖν ἐκτὸς τῆς Ἀττικῆς.

**) *Sigon.* de ant. Iure Ital. II, 2.

***) *Garcillaſſo de la Vega* Comment. Reg. ſ. Yncarum hiſtoric. P. I. lib. VII. c. I.

eſt, vt multo facilius et promtius nunc ſit, colonias in officio continere et commercia cum iis tueri; ab ea omne fere id repetendum eſſe videtur, ſi quid recentiorum aetatum coloniae prae antiquis laudis et praeſtantiae habent. Nec tamen priſcis temporibus hoc coloniarum genus, quantum per nauticae rei, quae tum erat, naturam licuit, prorſus ignotum aut inuſitatum fuit; nam eiusmodi colonias non Phoenices modo, Carthaginienſes et Maſſilienſes, verum etiam Athenienſes, in Thracia et Ponto *), Ptolemaei reges ad mare Erythraeum, iam olim Idumaei et Iudaei in altero huius maris littore, forte et Syro Macedones in India, condiderunt. Condi autem et hae poſſunt duplici conſilio, aut ſolius mercaturae et navigationis cauſſa, vt pro emporiis, foris et nundinis, quo interiorum terrarum mercatores confluant, vtque pro receptu nauium, mercium et hominum ſint; quam vtilitatem fere Batauorum coloniae Aſiaticae, et aliorum populorum quum aliis in locis tum in Africae littoribus, praeſtant; aut cum coniuncta aliqua dominandi et imperii fines propagandi libidine; aut, quae ratio ceteris facile praeſtat, variasque ad ipſam metropolin habet vtilitates, ita condi et collocari poſſunt, vt a ciuibus ex metropoli eo migrantibus accuratiore arte et induſtria agri colantur, e quibus mercaturae materia prouentura ſit. Hoc vltimo fere conſilio deductae ſunt coloniae in Americam; quippe quae non tam auri argentique co-

*) (De his egit diligentius aliis, etſi alieno loco, *Will. Clarke Connexion of the Roman Saxon and Engliſh Coins*. Lond. 1767. 4. p. 53. ſqq.)

copia, quam ii, qui primi adierunt, votis expetierant, quam earum rerum prouentu Europam beauit, quae a colonis Europaeis, cultu diligentiore, e ſolo eliciebantur; vt ſaccharum, herba Nicotiana, ligna et ſucci ad medicamenta tingendasque lanas vel lina idonei. Nullum ex his genus eſt, quod non veteres experti ſint: Tyrii quidem ac Sidonii, vt tantum ſtationes nauium et emporia haberent, Carthaginienſes autem, vt etiam imperii fines propagarent; quod non tam conſilio quodam ſuo, quam, quod et Alexandriae et Romae opes metuendae erant, feciſſe videntur. Hoc vnum ſagacitatis et aſtutiae vtrique populo defuit, quod religionum nomine et colore ad exterminandos ac delendos aut in ſeruitutem miſerrimam redigendos incolas vti neſciuerunt.

Cauſſas, rationes et *conſilia, coloniarum deducendarum* vidimus: expedita deinceps erit noſtra *de earum iuribus* diſputatio. Quum ſocietatis humanae iura omnino non, niſi ſero, et vita hominum iam admodum exculta, paullo accuratius deſcribi ac definiri coeperint: nulla omnino de coloniarum iuribus diſputatio in illa tempora inferri poteſt, quae, ab rerum inde originibus, ad imperiorum ac ciuitatum, legibus ac religionibus ſapienter deſcriptarum, non ortus modo et incunabula, ſed adultam admodum aetatem effluxerunt. In promtu enim eſt ad intelligendum, quoties priſcis temporibus in colonias diſcederetur ſine vlla populi lege, aut etiam inuita ciuitate, aut parte ciuium vi ex vrbe pulſa ad nouas ſedes quaerendas profecta, nec metropolin de vllo ſuo in eos iure, nec illos de vlla neceſſitudine aut obſequio cogitaſſe.

Loca,

Loca, quae a nouis colonis erant occupata, agri, moenia, nouae ciuitatis initia conſtituiſſe videbantur, cui ſuo iure vti liberum eſſet. Id quod tanto magis locum habebat, ſi in terras aut inſulas mari interiecto remotas coloni exiiſſent. In toto itaque illo genere, quod ad neceſſitatem referebamus, de coloniarum neceſſitudine cum metropoli nulla naſci potuit quaeſtio. Quae patria ſua eiecta erat iuuentus, ſiue victus difficultate ac fame, ſiue alia magna calamitate vrgente, ea metropolin ſuam nouercae potius quam matris loco habere debuit, et de officiis in eam muniisque ſuis parum vtique fuit ſollicita. Mores quidem ac conſuetudines inſtitutaque a maioribus accepta cum ſermonis ac linguae conſociatione, cum populis in nouas ſedes migrarunt; ſenſus forte etiam aliquis neceſſitudin' alicuius, qualis inter populares ac conſanguineos eſſe ſolet, animis inſedit; at de iure aliquo nemo profecto iis temporibus cogitauit. Ea cogitatio tum demum hominum animos ſubiit, quum ſua intereſſe viderent, vt ius aliquod vigeret; quum vtilitas aliqua animos acueret, vt in illud inquirerent. Quando itaque coloniae vtilitatis alicuius cauſſa, inprimisque eo conſilio deductae ſunt, vt imperii fines propagarent ac munirent, aut vt nauigationis ac commerciorum vtilitates firmarent, tum demum metropoles iura ſeſe aliqua in colonias habere ſenſerunt ac viderunt; etſi principio non ſtatim perſpexerunt, quam late illud ius ſuum pateret; verum, vt res et tempora ferebant, modo hoc modo alio iure vſae ſunt. Ita ſatis habuere, modo liberum aditum et ſtationem nauium, commercia et fora, in coloniis haberent, plerumque ſic, vt barbari,

bari, qui vicinas terras incolebant, ad mercatum confluerent: in ceteris rebus coloniae autonomae habebantur, ſuisque iuribus ac legibus vtebantur. Mox etiam pactione in certas leges conuentum eſt. Tandem colonis vrbe deductis leges ſcriptae, et diuerſis quidem modis pro diuerſis coloniae mittendae conſiliis, temporibus ac rationibus.

Quod ſi itaque iura coloniarum et in eas metropoleon partim ex ipſa re, neceſſitudine et mutuo vinculo, quo vtrinque tenentur, partim ex populi lege, conditione propoſita aut impoſita neceſſitate, proficiſcuntur: prius quidem cauſſarum genus non niſi ſero et pedetentim, vt tempora tulerunt, perſpectum, hoc vero, cum ſingula et quidem alia poſt alia diuerſis temporibus iura conſtituerentur, ſubnatum eſt et excreuit paullatim in illa coloniarum iura, quae nunc habentur aut quae inter Romanos viguerunt, a quibus ea, inter veteres quidem, omnium diligentiſſime fuere deſcripta; neutrum tamen genus aut ad cauſſarum rerumque principia ſubtiliter referre aut vniuerſo rerum complexu explicitum deſcribere curae fuiſſe videtur.

De coloniarum itaque inter veteres iuribus ſi agendum eſt, non niſi per ſingularum coloniarum exempla incedi poteſt, quorum aliud alia iura, leges aut conditiones complectitur: quod ſi inde ſumma forte plerorumque iurium, quae inter coloniam et patriam eſſe poſſunt, conficitur, non tamen vllum coloniae exemplum laudari poteſt, in quo omnia ea iura ſimul viguerint. Magnum enim in toto hoc genere diſcrimen facit diuerſa temporum locorum-

que

que ratio, nec niſi ſaeculorum decurſu ea, quae ad ciuitates et regna pertinent, recte perſpici ac teneri ſolent; idcirco etiam neceſſitudinis illius, quae inter patriam et coloniam eſt, notitiam ac ſcientiam maiorem ſubnatam eſſe, credere par eſt, partim quo magis rerum vſus ac ratio aut tempora et caſus eam ſuggererent, partim quo maior inter vtramque conſuetudo ac notitia maneret; quam arte facere, et mutuis commerciis, nauigatione, praeſidiis impoſitis, continere, ſero didicere homines. In propinquo itaque, nec longe a metropoli diſſito loco ſedem figere debuit colonia, in quam illa ius ſuum exercere inciperet. Accidit ita, vt ad ditionem potius metropoleos adigeretur colonia, et miſſis in eam praefectis regeretur; a liberis tamen ciuitatibus, in quibus ii, qui exirent, aequali vtebantur iure cum iis, qui manerent, aequali cum metropoli iure colonia fuit plerumque conſtituta. In imperiis autem ac regnis nouas vrbes conditas regni partem feciſſe, et res et hiſtoriae ſatis declarant. Regna enim, etiam ea, quae aliis in rebus, quae ad opes tuendas aut amplificandas valere poſſunt, admodum allucinantur et oſcitant, finibus tamen proferendis mirum quantum inuigilant. Hoc enim vnum genus opes et potentiam aſſequendi noſſe videntur, quod ſcilicet omnes etiam barbari norunt, vt magnum terrarum tractum poſſideant. Vt itaque neceſſitudo ſatis magna inter metropoles ac colonias eſſet, nec nimis diſſitae nec nimis propinquae ac viciniae eae eſſe debuerunt; ne aut in idem imperium confluerent, aut nullo inuicem nexu ac vinculo teneri poſſent. Hoc quidem alterum quo minus fieret, Romani ſedulo curaſſe viden-

dentur, dum vsque ad Gracchorum tempora nullas colonias extra Italiam deduxerunt *). Et habebant ante oculos exempla coloniarum, quae metropoleon incuria maiores opes et mox ipſis grauem et odioſam potentiam ſibi pararant; Carthaginem, Maſſiliam, Syracuſas, Corcyram, Cyzicum, Byzantium et Albam ipſam.

Primos autem ad maiorem neceſſitudinem progreſſus feciſſe et ad iura mutua ſubtilius recenſenda et exquirenda animos aduertiſſe videntur Graecae ciuitates, quae de principatu bello contenderent. Suas enim quaeque colonias naturali aliqua ſibi ſocietate iunctas eſſe, nec ſine ſcelere et impietate partes aduerſas ſequi, videbat. Tum, vt principatus et imperii iura ſtabilirent, etiam a coloniarum neceſſitudine, officio et pietate, quodcumque poſſent iuris deriuare coeperunt, adeoque, quam late id pateret, perſpexerunt. Mercatus ac nauigationis vtilitates mox alia metropoleon iura expediuere, easque, vt iure ſuo vterentur, adduxere. Quae ſi ita ponimus, non tam opinionis vanitatem, quam rerum naturam, et factorum, quorum iis in rebus memoria ſupereſt, veſtigia et indicia ſequi videmur; et exempla in noſtris coloniis habemus, in quarum initiis et originibus multum abeſt vt ſubtilitatem conſilii et prudentiae mireris. Multa iam ab Europaeis populis Americae littora erant occupata et hominibus frequentata, priusquam vtilitas, quam ex his

*) Vellej. II, 15. Coloniae deductae enumeratae I, 14 et 15.

his coloniis, in primis per agrorum cultum, metropoles capere poſſint. animis occurreret. Nihil enim aliud ſibi ab initio inde propoſitum habebant, quam vt aurum effoderent. Itaque in iis chartis, quibus ſiue libertas eo nauigandi ſiue eas poſſidendi ius conceditur, originibus, hoc eſt, metropoli et imperio, cuius ciues erant, vix quicquam aliud reſeruatur, quam modo quinta pars, modo decima, auri argentique, quod ex metallis nouorum colonorum induſtria eſſet erutura.

Omnino credi vix poteſt, quam parum regna Europae et imperia in primis coloniis in Americam deducendis rebus ſuis conſultum eſſe voluerint; adeo et iura coloniarum, et cauſſas, et conſilia, quae mittendarum eſſe deberent ac poſſent, aut ignorarunt aut neglexerunt*). Quod ſi iam tum fuiſſent, qui ex priſcis hiſtoriis coloniarum exempla collecta ac diſpoſita ante oculos poſuiſſent, forte mala ex illa ſocordia aliquando naſcitura iam tum prouideri potuiſſent: verum maluere recentia imperia per plura ſaecula ſua mala pati, nec niſi magnis multisque damnis adduci vt meliora probarent, quam veterum rerumpublicarum et imperiorum bene inſtituta ſequi, et quae a ſapientibus viris ex antiquorum temporum comparatione ducta et prudenter monita eſſent, in vſus ſuos conuertere.

Multorum itaque ſaeculorum decurſu, ſtirpium ac populorum excidio, rerum vſu et experientia, opus

*) Cf. ſollertiſſimi ingenii virum *des Broſſes* in *Hiſt. des Nauigations aux Terres Auſtrales* To. I. p. 22. ſqq. (add. Adam *Smith Wealth of Nations* Lib. IV. c. 7.)

opus fuit, vt tandem de iis conſtaret, quae primo obtutu ſtatim in oculos incurrere debere putes; cuiusmodi haec ſunt: nulli ciui licere, niſi auctore ciuitate, patriam relinquere et alio migrare; in ciuem enim ciuitas ſummum ius habet; porro ſoli ciuitati ius fasque eſſe colonias mittere, de earum vtilitate vel neceſſitate decernere, locum ac ſedem, colonorum numerum ac conditionem praefinire; tum ciuitatem colonis ſuis non concedere de iure ſuo in eorum perſonas ac facultates et in poſteros eorum; ſed hoc ſolum agere, vt eos alio commodiore ſolo collocet; colonos autem deductos idem ius, eundem locum et ordinem, quem habuerunt, retinere: niſi melioribus propoſitis conditionibus ad patrium ſolum commutandum fuere inuitati, aut deterioribus adacti. Itaque iura ſummi imperii metropoli manere integra, nec coloniam ciuitatis liberae et autonomae naturam induere poſſe, nec bellum indicere aut legatos mittere. Cum autem vnicuique ciui liberum ſit, in coloniam migrare aut domi manere: quandoquidem iis, qui alio migrant, et vectura, et aliae vitae commoditates, et in nouo ſolo ager, interdum quae ad eum colendum neceſſaria ſunt, ſuppeditantur, cumque ciuitas tutelam eorum ac curam nunquam deponat: eſſe ſane ciuitati ius et fas, conditiones certas praeſcribere, iura certa commerciorum vel nauigationis conſtituere, etiam eiusmodi, quibus colonis minus liceat, quam antiquae patriae eiusque ciuibus, aut quibus iura his ipſis praecipua ſeruentur, colonorum autem libertates et iura circumſcribantur ac praecidantur. Quae tamen ex prima pactione et for-

formula coloniae deducendae erunt iudicanda; quae ſi, conditorum incuria vel inſcitia, male erunt inſtituta, aegre quidem medela adhibebitur, reuocabitur tamen res ad principia, quae vocant generalia. Contra autem metropolin ad tuendam ac firmandam coloniam nihil omittere neceſſe erit, nec vlla re committere, vt ius ſuum depoſuiſſe aut officium deſeruiſſe videri poſſit. Haec et eiusmodi alia, quae vulgo nunc conſtant, non niſi multorum caſuum et euentorum fortuna diſcere et in ſummam doctrinae colligere contigit.

Iam quum Romanarum coloniarum diuerſae a Graecis cauſſae ac conſilia fuerint, diuerſa earum inſtituta ac leges fuiſſe mirandum non eſt. Sunt in iis expedita omnia. Manſit, ad noſtrum morem loquendi, ius ſummum apud remp. Rom. ad cuius, tanquam metropoleos, ſpeciem et imaginem conſtituta noua ciuitas, vt Romam aliquam minorem referre ea videretur; propagata tamen ex vetere illa ſic, vt iura inſtitutaque P. R., non ſui, arbitrii haberet. (Gell. XVI, 13.) Reliqua coloniae lege e SCto definita, pro diuerſo coloniarum genere (vt ſi eſſet Romano an Latino iure) ac pro diuerſo deductionis conſilio: quod fere aut ad ciues egenos, quibus agri aſſignandi eſſent, aut ad fines coloniis tanquam praeſidiis occupandos ſpectauit; (militares enim colonias quippe a violentia et iniuria profectas non memoramus), quae tamen ad ſtatum ciuilem ac priuatum pertinerent, relicta fere integra ac libera. Sed de his quidem poſt Sigonium *) ac Spanhemi-

*) De ant. Iure Italiae lib. II. c. 2. ſeqq. III, 3. ſq.

mium *), quorum deinceps riuulis alii cum Heineccio ſua topiaria irrigarunt, diſputare nihil attinet. De Carthaginienſium aliorumque populorum coloniis exigua memoria, quae ad noſtra tempora peruenit, in aliud tempus ſeponetur. Graecarum autem coloniarum ac metropoleon quae iura mutua apud veteres memorentur, in alteram diſputationem vt reſeruemus impoſita nobis eſt neceſſitas. P. P. prid. Kal. Iul. cIↄIↄ CCLXVI.

*) Orb. Rom. c. 8. 9.

ACADEMIAE GEORGIAE AVGVSTAE
PRORECTOR
ABR. GOTTH. KAESTNER
CVM SENATV
SVCCESSOREM SVVM
CHR. GVIL. FRANC. WALCH
COMMENDAT
C I V I B V S.
KAL. IVL. cIↃIↃCCLXVII.

De veterum coloniarum iure atque cauſſis.
PROLVSIO ALTERA.]

Exſoluenda eſt fides, quam nuper obligauimus, Ciues Cariſſimi, cum de Coloniarum veterum iuribus diſputare inſtitueremus, ne, quod nomina interdum non bona faciunt, vt ipſa mora ſolutionem explicitam eſſe putent, dilationis beneficio nimis liberaliter vſi, animo tandem debiti memoriam prorſus dimittamus.

Ad Graecorum colonias res erat deducta, vt, quae de earum cum originibus ſuis neceſſitudine paſſim memorata ſeſe obtuliſſent, vno loco ſubiiceremus. Neminem enim ex antiquitate fuiſſe nouimus, qui ea iura aut vno volumine eſſet complexus,
aut

aut ex inſtituto vno loco commemorauiſſet. Quid? quod raro adeo iuris hac in re omnino mentio fit. Scilicet vniuerſe ea, quae, ad noſtram diſciplinarum formam, in Iure gentium et Iure publico vniuerſali *iura* recenſeri ſolent, veteres ad *morem* fere, ſiue a natura profectum ſiue a maioribus acceptum, ad *το νομιμον και δικαιον*, referre ſolebant. Iuribus enim a natura fixis, quibus ſubtilis diſputatio vix vnquam roboris quicquam adiecit, ſanctionem quaſi aliquam grauioremque maieſtatem ipſa ea opinio aut recordatio afferre videbatur, quod iisdem maiores pro inſtitutis ac moribus, quos ſequerentur, eſſent vſi. Quae res non animaduerſa iis, qui eas diſciplinas ex hiſtoriis et monumentis veterum illuſtrare voluerunt, interdum fraudi fuit, vt ſimplicitatem antiquorum hominum riderent, quibus iura inter nos vulgatiſſima ne nomine quidem nota eſſent; aliis, qui compilandis tantum antiquitatibus ſtuderent, manifeſta res non tamen in oculos venit, vt viderent, male ſe ritus et caerimonias aliquas memorare, quae iurium potius ſanctiones eſſent, quibus iura illa, ſiue hominum veterum ingenio ſiue legumlatorum prudentia, auguſtiorem formam accepiſſent. Locis itaque, ex ſcriptoribus vetuſtis, nonnullis congeſtis, quae ex iis de coloniarum iure conſtitui poſſint, videbimus. Ante omnia tamen ea in memoriam reuocanda ſunt, quae nuper *de coloniarum natura ex temporum, locorum rerumque conditione varie definienda* diſputauimus, illudque inprimis animo tenendum, *Graecorum colonias ex vrbibus plerumque populari reip. adminiſtratione vſis eſſe profectas.*

Omnia coloniarum iura et officia Graeci omninoque veteres *neceſſitudinis* notione et vocabulo conſecraſſe videntur. Ξυγγένειαν enim et *generis familiaeque communionem ac coniunctionem* inter coloniam et metropolin intercedere viſam; et vtriusque ciues *conſanguineos et propinquos* fuiſſe habitos, permultis veterum ſcriptorum locis, e quibus permulta ab aliis memorata ſunt, ſatis conſtat *). Quod itaque, rerum natura ac ratione ita ferente, naturalique aliqua iurium officiorumque ſanctitate iubente, erat praeſtandum, id, *pietatis* ſacro nomine ſancitum, magis vtique verendam horrendamque ſpeciem praebere debuit. Atque in hoc omnino veteres legumlatores diuinioris ingenii et ſagacioris alicuius ſapientiae, quae naturae humanae interiores receſſus rimaretur, admirationem faciunt, quod iura et officia, quae nude et ieiune propoſita, aut ſpinoſa ſubtilitate expoſita, ingenia tantum ad fraudes acuunt, ad animorum autem ſenſus nullam vim habent, auguſta aliqua ſpecie, quae venerationem ac reuerentiam horroremque adeo religionis in hominum animis excitaret, induerunt et conſecrarunt. Colonia itaque metropolin ſuam ea pietate, qua liberi parentes, colebat et amabat **); et quemadmodum a liberis

*) Duxit hinc commentum ſuum Hobbes de Ciuitate c. XXIV. coloniam eſſe *prolem ciuitatis* et vel *in poteſtate manere* vel *emancipari*, ſed male ille ex ingenioſo dicto argumentationem petit, aliisque auctor fuit, vt eadem comparatione indolem coloniarum comprehenſam putarent.

**) Ὡς γονεῦσι πρὸς τέκνα, vt in monumento Locrorum publico, quod Timaeo memoratum Polybio quidem ſuſpectum habebatur, nec tamen vt in formula quicquam

beris omnia pietatis officia nullo iuris reſpectu ſed ſolo animorum affectu ex domeſtica diſciplina contracto praeſtantur, ita colonia pietatis officia ex ſanguinis coniunctionisque neceſſitudine adimplebat, vt de nulla facile naturalis iuris alicuius et obligationis vi cogitaret: metropolis autem tanquam paterna indulgentia et amore amplectebatur coloniam, auctoritate patria, conſilio, hortatione, monito regebat. Sic Corinthii apud Thucydidem *) Corcyram ſe condidiſſe dicunt, *eo vtique conſilio, vt ſuam coloni auctoritatem ſequerentur et ſe colerent.* Ex eodem porro loco et ex multis aliis ſatis apparet, principatum aliquem metropoli in coloniam communi vſu ſeruatum fuiſſe; qui quanquam interdum multis de cauſſis cum reliqua neceſſitudine intercidiſe aut exoleuiſſe videtur: vt vel Albanorum exemplo et oratione apud Dionyſium Halic. docemur **), et vt nonnullarum

quam reprehenderet. Exc. de Virt. et Vit. ex Polyb. lib. XII, p. 40. Ed. Vindob. vide ibid. Valeſii notam. p. 159. Laudatur loc. Dionyſ. Halic. III. ſ. 7. p. 137, 33. (143, 1.) adde ſ. 10. p. 140. extr. Phoenicum ſimile iudicium videas ap. Herodot. III, 19. vbi v. Weſſel.

*) Thucyd. I, 38. ἐπὶ τῷ ἡγεμόνες τε εἶναι καὶ τὰ εἰκότα θαυμάζεσθαι. αἱ γοῦν ἄλλαι ἀποικίαι τιμῶσιν ἡμᾶς, καὶ μάλιστα ὑπὸ ἀποίκων στεργόμεθα. Hoc illud ἡγεμονεύεσθαι ap. Thucyd. III., 61. vbi Thebani de Plataeenſibus conquerentes: ὅτι ἡμῶν κτισάντων Πλάταιαν, ὕστερον τῆς ἄλλης Βοιωτίας, καὶ ἄλλα χωρία μετ' αὐτῆς, ἃ ξυμμίκτους ἀνθρώπους ἐξελάσαντες ἔσχομεν, οὐκ ἠξίουν οὗτοι, ὥσπερ ἐτάχθη τὸ πρῶτον, ἡγεμονεύεσθαι ὑφ' ἡμῶν. Nouiſſima vtique de pactione aliqua accipere neceſſe non eſt.

**) Dionyſ. Halic. III. ſ. 10. p. 140. extr. et ſ. 11. p. 142. pr.

larum coloniarum magis opibus auſtarum, Carthaginis, Cypri, Byzantii, Maſſiliae, exempla declarant: tamen communi vſu et conſuetudine viguit, et, a quo inde tempore de principatu concertationes Graeciam diſtraxerunt, multo magis modo diſputatione modo vi et armis eſt defenſus. Dubitari itaque nullo modo poteſt an veteres metropoles ius aliquod in colonias retinuerint. Etſi enim ius illud interdum minus ſubtiliter et minus accurate definitum et declaratum et, vt et ad vnum fere vel alterum munus et offcium, de quo tum maxime agebatur, a coloniis exigendum, omne id, quicquid haberetur, iuris relatum eſſe videri poſſit, tamen, ſi exempla talium factorum ſingula colligas, nullum facile eſt iuris, quod in colonias metropolis habere ſolet, et potetatis genus aut caput, quod non aliquando memoratum aut vindicatum videas. Quid? quod adeo vi colonias ad obſequium adigere ſuumque principatum manu defendere *) non dubitarunt metropoles, quod Boeoti apud Thucydidem feciſſe ita narrant, vt iure ſe feciſſe declarent **). Si tamen coloniae metropolin ſuis vtilitatibus non ſtudere, ſed omnia ad ſe trahere, pro beneuolentia malignitatem,

*) Multae coloniae fuere euerſae, quod defecerant; *δὶ ἀπόστασιν*, vt Camarinaei a Syracuſanis. Thucyd. VI., 5. Samii ab Athenienſibus. Diodor. XII., 27. 28.

**) Thucyd. III., 61. Ibidem Boeoti Plataeenſes *patria inſtituta violaſſe* aiunt: *παραβαίνοντες τὰ πάτρια*, quo ipſo exemplo videmus metropoleos ſeu patriae iura *patrii moris* nomine declarari. Iidem Boeoti Plataeenſes ad belli ſocietatem vocantes lib. II, 2. *εἴτις βούλεται κατὰ τὰ πάτρια τῶν πάντων Βοιωτῶν ξυμμαχεῖν* pronuntiant. cf. III, 65. 66.

tem, pro indulgentia odium expromere, incrementis laetioribus inuidere, eaque mala fraude atterere ſeu intercipere viderent: iam neque ipſae in officio ſibi eſſe manendum, ſed, qua tandem poſſent ratione, ſuae reip. prouidendum eſſe exiſtimabant. *Omnis colonia*, inquiunt Corcyraei de Corintho metropoli querentes *), *honore proſequitur ſuam patriam, ſi bene erga ſe animatam videat; at, ſi iniurioſam et contumelioſam in ſe videat, ab ea abalienatur. Non enim mittuntur coloniae ea conditione, vt ſint ſervae, ſed vt cum iis, qui domi relinquuntur, aequali iure ſint.*

Maiorem huic neceſſitudini ſanctitatem et religionem afferebant inſtituta nonnulla alia, inprimis *religionum et ſacrorum, legum et inſtitutorum communio.* Nam, antequam res et tempora augendarumque opum conſilia metropoles adduxerant, vt coloniis ſuis iura et leges ſcriberent, quemadmodum Romani, Decemuiris vel Triumuiris coloniarum deducendarum conſtitutis **), coloniae patria iura ac leges in nouas ſedes transferebant et pro rerum conditione nouae ciuitati accommodabant ***). Quid autem

*) Ap. Thucyd. I, 34.

**) De iis Sigonius de ant. Iure Ital. II, 4.

***) Adeo eadem ciuitatis forma ſeu popularis ſeu optimatum. Sic Athenienſium πολιτείαν amplexae fere erant inſulae Cydades: v. Iſocr. Panath. p. 243. D. 241. D. Sin coloni diuerſi erant generis, de inſtitutorum, quae ſequerentur, ratione conueniebant inter ſe. Sic Gela Siciliae condita a Rhodiis et Cretenſibus, νόμιμα δὲ Δωρικὰ ἐτέθη αὐτοῖς. Thucyd. VI. 4. Cf. 5. de Himera. Exem-

autem in tali diſcedentium et manentium neceſſitudine magis conſentaneum, quam vt ſacra et religiones, quibus imbuti erant, coloni retinerent? inprimis eo tempore, quo publica religio non niſi ad ritus ac caerimonias a maioribus acceptas referretur. Sed alius ritus, qui tamen pro iure haberi non poteſt, hanc vim habere debuit, vt religionum ipſa ſpecies multo eſſet nouis coloniis auguſtior; quandoquidem *ſacra patria*, hoc eſt, ſigna deorum patriorum, inſtrumenta et vaſa ſacra, inprimisque ignem ſacrum ex ara in penetralibus vrbis, ſeu prytaneo, accenſum ſecum portabant *). Etiam maiorum ſepulcra in patria, quam coloni reliquerant, aliaque monumenta, pro ea, quae erat priſcarum gentium ſumma circa haec religio, magnam vim ad inflammandos pietatis ſenſu animos et in obſequio retinendos habere debuere **); antiquioribus temporibus etiam vatum reſponſa et oraculorum religio; nam niſi ſortibus a deo petitis vix aliqua colonia deducebatur, quas, vt toti huic conſilio, ita patriae vrbis decre-

Exemplum rarum eſt Thuriorum ap. Diodor. XII, 35. inter quos diſſenſio erat orta ποίας πόλεως ἀποίκους δεῖ καλεῖσθαι τοὺς Θουρίους. aliud non diſſimile in Cumis condendis v. Strab. V. p. 372. conf. de Zancle Pauſan. IV, 23. p. 337.

*) V. Etymolog. M. iam Valeſio laudatum in πρυτανεῖα p. 694, 28. Hinc Herodot. I, 146. cum vellet dicere, Ionum colonias Athenis exiiſſe, his verbis vtitur: ἀπὸ τοῦ πρυτανηίου τοῦ Ἀθηναίων ὁρμηθέντες. De ſignis deorum aſportatis res eſt nota. cf. Pauſan. VII, 2. extr.

**) Non diſſimili ratione Epidamnii exules Corcyraeos per communes ſepulturas obſecrant, vt ſe reſtituant. Thucyd. I, 26.

decretis, magnam auctoritatem conciliaſſe *) credere licet. Praetermittimus auſpicia **); nam de Romanorum coloniis nunc non agimus.

Quae omnia, quanquam ipſa natura ad ea adducebat, ipſi tamen populi *maiorum more* potius obſeruare videbantur; ita vt *neceſſitudinem ac religionum legumque communionem* pro fundamento ac principio, a quo iura ſua et officia repeterent, haberent ***); quorum nunc exempla aliqua ad ſuum quaeque caput relata memorabimus. Ad principatum igitur metropoleon, qui neceſſitudine et patria auctoritate continebatur, pertinuiſſe videtur inprimis hoc, vt ad bella, quibus eſſent metropoles implicitae, multo autem magis, ſi calamitate graui afflictae aut ab hoſte eſſent obſeſſae, coloniae auxilia mitterent

*) Callimach. H. in Apoll. 56. 57. ib. Spanhem. Exempla v. ap. Pauſan. VII. 2-5 Cic. de Div. I, 1. ext. Atque haec more ac ritu fiebant, et ſunt illa *νομυζόμενα*, de quibus Herod. V, 42. vbi Dorieus, qui ſibi Cleomenem in regia dignitate praelatum videbat, indignatus Sparta diſcedere volens, obtinet a populo, vt coloniam deducere ſibi liceret, Ol. LXII, 3. *αἰτήσας λῃὸν, Σπαρτιήτας ἆγε ἐς ἀποικίην, οὔτε τῷ ἐν Δέλφοις χρηστηρίῳ χρησάμενος, ἐς ἥντινα γῆν κτίσων ἴῃ, οὔτε ποιήσας οὐδὲν τῶν νομιζομένων.*

**) V. Cic. Philipp. II, 40.

***) Minus itaque accurate Coloniarum et Metropoleon iura ea ipſa commemorantur, quae eorum principia et fontes potius ſunt. Si v. c. Athenienſes Notium Colophoniorum deducebant, fecerunt ſane iure ſuo, quod *κατὰ τοὺς ἑαυτῶν νόμους κατῴκισαν τὸ Νότιον.* Thucyd. III, 34. ſed de eo iure, quod per ſe manifeſtum eſt, non quaeritur.

rent *). Quae res Athenienſibus, qui inter caeteras Graeciae ciuitates longe maximum coloniarum numerum deduxiſſent **), non parum ad principatum Graeciae conſequendum profuiſſe videtur. Mox eadem coloniarum munera foederum et pactionum ſollennibus ſunt firmata, quibus copiarum, commeatus, aliarumque rerum conditiones definirentur. Quamobrem mira res videri non debet, ſi vſu et conſuetudine loquendi communi ſociorum nomine (συμμαχων) comprehendi ſaepe videmus colonias ***). Quod ſi colonia munus ſuum praeſtare detrectaret, non modo ius violare, ſed, quae res ad animos continendos multo magis valere debuit, aduerſus pietatem et religionem feciſſe videbatur. Quae autem aduerſas adeo partes ſequeretur, aut in aduerſa acie pugnaret, et eos, qui metropolin oppugnarent aut bello adorirentur, opibus ſuis iuuaret, ea, iuxta atque ii, qui contra communi origine

*) V. c. Thucyd. VII, 57. p. 482. et infinitis aliis locis. Sic Corinthii Syracuſanis miſere auxilia non vno tempore.

**) Iſocr. Paneg. p. 47. Steph. (c. 9. p. 135 Batt.) Panath. p. 392. 393. 400. Meurs. de Fortuna Att. c. VI. Ariſtid. Panath. p. 112 Iebb. (194. Cant.)

***) Videmus quoque ab eodem nomine promiſcue impoſito profectum hoc, vt, quando Athenienſes ſocios graui tributo vexaſſe dicuntur, ad colonias et inſulas id non minus pertineat, quia ſub ſociorum nomine comprehenſi erant. *Φόρος* is ſ. *σύνταξις* (v. Spanh. ad Iulian. Or. I. p. 166.) primum modicum tributum mox admodum fuit auctum: res nota, et v. Meurſ. Fort. Attic. c. 7. cf. p. ſq. ***

origine oriundos arma ferebant *), impium et nefarium ſcelus committere, diis hominibusque inuiſa, multoque grauiore perfidiae poena eſſe vlciſcenda credebatur **). Interea coloniis maieſtas ſua et maieſtatis iura, ſaltem domeſtica, quae nos appellamus, manebant. Nihil deminutum de libertate foedera iungendi, paciſcendi et tranſigendi quibuscum vellent, modo ne cum iis ſocietatem facerent, qui infeſtis conſiliis armisque metropolin vexarent. Quid? quod Potidaeatae, Corinthiorum coloni, a quibus, vti mox videbimus, magiſtratum ſibi miſſum accipiebant, *Athenienſium tamen ſocii erant, et quidem vectigales* ***).

Contra metropoles coloniarum tutelam ſuſcipere, curam agere, vtilitatibus et commodis ſtudere,

*) Vt ſi Dorienſes contra Dorienſes, Iones contra Iones arma ferebant. v. inprimis cap. 57. lib. VII. Thucyd. vnde ſingulae propoſitiones firmari poſſunt. Erant autem et hi συγγενεῖς inter ſe.

**) Hinc in victos interdum crudeliter ſaeuitum eſt. Sic Pericles in Eſtiaeenſes ap. Plutarch. Pericl. p. 165. cf. Thucyd. I, 114. it. Colloquium Meliorum Thucyd. V, 85. ſq. Potuit tamen, vt ſupra vidimus, illa neceſſitudo adeo relaxari et ipſo tempore obliterari, vt, quemadmodum inter Albam et Romam factum legimus ap. Dionyſ. Halic. III, 3. *ad foedus metropolis et colonia deſcendere potuerint, quo caueretur, vt neutra alteram bello* peteret, ſed res antea repeteret.

***) Thucyd. I, 56. ἑαυτῶν (Athenienſium) ξυμμάχους φόρου ὑποτελεῖς. de tributo annuo, quod Athenienſibus ſocii pendebant ex Ariſtidis er Periclis inſtituto ad res contra Perſas conſtituendas. Cf. Thucyd. I, 95.

dere, ſi in magno diſcrimine verſarentur, opem ferre, publica calamitate afflictas recreare *) tenebantur. Qua in re ſi officium ſuum deſiderari paſſae eſſent, a pietatis officio receſſiſſe videbantur **). Indignum autem et ſceleſtum habebatur, quanquam vi aliena interdum id facere coactae ſunt, contra eos, qui a ſe originem ducerent, arma ferre ***). Et ſane videri debuit talis ciuitas in ſuos liberos, ſuam progeniem et in viſcera ſua ſaeuire. Illud, admodum dubitamus, an coloniarum obſequium et metropoleon ius ac poteſtas in eas flagitauerint, vt, quod nonnunquam factum legimus, coloniae graui bello imminente duces a metropoli peterent ****). Quod autem coloniae, quoties reip. tempus et vtilitas legum mutationem aut reſtitutionem poſtularet, vti ſi excuſſo tyrannidis iugo libertatem recuperauerant, a metropoli petierunt, vt ſibi mitterentur, quos legibus ſcribendis adhibere poſſent *****), prudentia potius ac ratio ſuaſiſſe, quam

*) V. Plutarch. Timol. p. 236. D. F. Hinc toties bella ſuſcepta et communicata, vt ab Athenienſibus bellum Siculum, διὰ τὸ συγγενὲς, διὰ τὴν συγγένειαν. v. c. Thucyd. III, 86. VI, 6 Diodor. XII, 53. 54.

**) Corcyaraeorum exemplum v. ap. Thucyd. I, 24. et quae Melii de Lacedaemoniis V, 106. Etiam Phoenices adv. Carthaginem. v. Herod. III, 19.

***) V. Thucyd. VII, 57. p 482.

****) V. Spanhem. l. l. p 582. Syracuſani in Timoleontis, quem Corinthii miſerant, honorem legem tulerant, vt, quoties bello externo vrbs peteretur, Corinthio duce vterentur. v. Plut. Timol. p. 254.

*****) V exempla ap. Plutarch. Timol. p. 248. A. in Dione p. 981. C. μεταπέμπεται ἐκ Κορίνθου συμβούλους καὶ συνάρχοντας.

quam iuris alicuius neceſſitas impuliſſe videtur. Interior enim reip. adminiſtratio omnisque adeo ciuilium iurium deſcriptio, quantum quidem nobis obſeruatum eſt, metropoles nullo modo attingebat; potuerat autem vtile videri, vt ex ea vrbe viri prudentes et legum inſtitutorumque patriorum intelligentes arceſſerentur, e qua ipſi primo legum ſuarum tabulas ſecum transtulerant. Verior eſt illa ratio, qua coloniae, quae nouam a ſe coloniam dimittere vellet, dux a maiore patria petendus fuiſſe dicitur *). Sic enim Thucydides **), poſtquam Epidamni conditorem Phalium Corinthium memorauit, priſco eum more, hoc eſt, lege et inſtituto ſeu iure, e metropoli eſſe arceſſitum ſubiicit. Spanhemius olim ex Pauſaniae loco probare voluit, etiam metropoli partem praedae iure antiquo debitam fuiſſe, quotiescunque colonia in vrbem hoſtibus ereptam deducta eſſet; ſed eum et loci ſententia et rei ratio deſtituit. Quis enim dubitet, vrbis captae praedam victori inte-

*) Quid? quod omnino metropoleos auctoritas etiam ad coloniarum colonias pertinere debuit; quo etiam arbitrium a Themiſtocle inter Corinthios et Corcyraeos de Leucade ſpectaſſe putamus. Plutarch. Themiſt. p. 123. E.

**) Thucyd. I, 24. *κατὰ τὸν παλαιὸν νόμον.* Etiam ibi Schol. vocem *μετακληθεὶς* male accipit. Erat autem inſignis ad omnem poſteritatem honos conditoris, *οἰκιστοῦ*, quem a metropoli delatum eſſe, rei ſane ratio fert. cf. Thucyd. VI, 4. Athenarum ciuitas Ionibus in Aſiam migrantibus *προέπεμπεν* (non *προσεπ.*) *ἡγεμόνας ἑκάστοις ἐφιστᾶσα.* Ariſtid. in Panath. p. 114. l. (197. Cant.)

tegram iure ceſſiſſe *)? Ita in vrbibus aut euerſis aut a barbaris receptis non erat quod reprehenderentur Athenienſes, ſi, in iis reſtituendis, veteribus quos reuocarant colonis nouos in ſupplementum ex ſuis ciuibus ſcriberent, iisque agrorum partem aſſignarent **). Ita porro non tam iuris quam moris potius indolem et naturam habere videtur hoc, quod coloniae in numis inſignia ſeruant patriarum vrbium ***). Melius ad principatus iura retuleris προεδρίαν metropoleon, de qua infra dicetur et morem ſummos ſacrorum antiſtites ab iis petendi, ſi talis quidem mos vsquam obſeruatus eſt ****).

Exempla occurrunt magiſtratuum a metropoli in colonias miſſorum. Potidaeam, nobilem Pallenes in Theſſalia vrbem, magiſtratum publicis negotiis adminiſtrandis Corintho, metropoli, miſſum accepiſſe Thucydides memorat *****). Idem Lacedaemonios Cythera quotannis magiſtratum iuri dicundo

*) Spanhem. de vſu et praeſt. Numiſm. T. I. p. 570. Locus eſt Pauſan V, 22. p. 436. pr.

**) Cf. Iſocrat. Panath. p. 215. Batt. Herodot V, 77. Aelian V. H. VI, 1.

***) De quo egit idem Spanhem. p. 568 ſq. (Appellant quoque coloniae heroem in metropoli coli ſolitum, κτίστην ſuum: v. exempla ap. Neumannum V. C. *Populorum et Regum Num. anecd.* To. I, p. 107. et p. 63.)

****) Spanhem. ibid. p. 575. Scholiaſtes Thucyd. I, 25. ſed eius parua aut nulla auctoritas, niſi alia grauior acceſſerit.

*****) Nomen ἐπιδημιουργός. Thucyd. I, 56. vbi conferri poteſt Schol.

cundo miſiſſe docet *). Nec tamen id communi iure factum, ſed aut ex ſingulari more aut ex lege aliqua et conditione in ipſa deductione coloniae impoſita repetendum eſſe exiſtimamus.

Namque, vt ad hoc progrediamur, ſaepe ea memorari paſſim reperimus, vnde diuerſas interdum diuerſis coloniis deducendis leges fuiſſe ſcriptas et conditiones propoſitas colligimus, quibus ii, qui nomina ſua coloniis dare vellent, adſtringerentur eoque ipſo inaequali iure ac foedere eſſent **). Huc refe-

*) *Κυθηροδίκην.* Thucyd. IV. 53. v. Spanhem. p. 581. Cytherios autem colonos Lacedaemoniorum fuiſſe ex cap. 54. p. 269. l. 67. Ed. Ducker. ibid. VII, 57. p. 482, 43. ſq. 483, 74. patet. Aeginetae iura ab Epidauriis petebant. Herod. V. 82. *Τοῦτον ἔτι τὸν χρόνον, καὶ τὸν πρὸ τούτου, Αἰγινῆται Ἐπιδαυρίων ἤκουον τάτε ἄλλα καὶ δίκας, διαβαίνοντες ἐς Ἐπίδαυρον, ἐδίδοσαν τε καὶ ἐλάμβανον παρ' ἀλλήλων οἱ Αἰγινῆται.* Scilicet Epidauro coloni inſederant Aeginam, vt diſcere licet ex Pauſ. I, 29. p. 178. med.

**) Cf. Pufendorf. de I. N. et G. VIII, 11, 6. Athenienſes videmus aliis coloniis tantum vectigalia impoſuiſſe, vt in ceteris rebus ſui iuris eae eſſent; at colonias alias videmus *decreta* non feciſſe *niſi praeſcripto Athenienſium* nomine. Sic Deliorum marmora nonnulla in Exerc. de Delo Miſc. Obſſ. crit. Vol. VII. p. 7. cf. p. 16. Cumque Athenienſes ſatis callide colonias in *Συμμαχῶν* nomine concluſiſſent, turbata hinc nonnulla ſunt vtriusque generis officia. Sic *συμμαχους* euocatos fuiſſe Athenas in cauſſis grauioribus a populo diiudicandis notum eſt vel ex Xenoph. de Ath. rep. p. 694. C. quod ipſe ille reprehendit factum. Traducta eadem vexatio et contumelia ad colonias. Exemplum Deliorum et Rhenaeorum commemoratum v. in ead. Exercitat. p. 15.

referendum eſſe arbitramur, quod in Xenophonte occurrit, exemplum vectigalis colonis pro agris aſſignatis impoſiti *). Idem alia etiam exempla declarant **); atque has eſſe formulas, de quibus Harpocrationis locus accipiendus ſit, exiſtimamus, cum *αποικια* ***) interpretatur tabulas, ſecundum quas interdum coloniae deducantur.

Verum etiam deductae iam coloniae cum metropolibus ſuis foedera ſanxere: quale videtur illud fuiſſe, quod inter Locros Italiae et Locros Graeciae factum Timaeus memorauerat ****). Decreta porro, altera in alterius ſiue honorem ſiue vtilitatem, ſeu de mutua amicitia, communiue aliquo bono ac commodo, ſaepe fecere. Sic idem Timaeus decreta memorauerat, quibus conſtitutum erat, vt civi-

*) Xenoph. Cyri exped. V, 5, 3. et 6.

**) Apud Thucyd. I, 27. quem locum male acceptum vidimus in nota Grotii de I. B. et P. per Barbeyr. T. I, p. 381. (2) Corinthii, qui magnum colonorum numerum conficere volebant, proclamant: *ἐπὶ τῇ ἴσῃ καὶ ὁμοίᾳ τὸν βουλόμενον ἰέναι.* Hoc igitur alias non vſitatum erat. Et ſane ſi peregrini vna cum ciuibus in coloniam mittebantur, debuit tum diuerſa colonorum conditio eſſe. Apud Thucyd. III, 61. verba ſupra laudata *ὥσπερ ἐτάχθη τὸ πρῶτον* huc vocari poſſint.

***) Ἀποίκια (int. *τὰ α.* non *ἡ ἀποικία*, vt ſcribitur) *ἰδίως τὰ γράμματα, καθ' ἃ ἀποικοῦσι τινές.* cf. Valeſ. ad Polyb. p. 159. extr.

****) V. Polyb. Exc. Valeſ. lib. XII. p. 40. Vindob. *συνθήκας* tamen *ἐγγράπτους* forte rectius iungas cum *πρὸς τοὺς ἐξαπεσταλμένους*, et ſic ad ſuperius genus hoc foedus eſſet referendum.

vitatis ius commune inter ſe haberent Locri. *) Ita nonnunquam commune connubiorum ius **) inter conſanguineas gentes nouis decretis firmatum in marmoribus legitur. Cum autem iura illa omnium coloniarum ex libera ciuitate prodeuntium communia fuiſſe videantur, antiqua tantum iura, quae exoleuerant, reuocari iis decretis debuere, niſi deteriore iure colonia ab initio miſſa fuerat.

Ex ſacrorum autem ac religionum communione haec fluxiſſe videntur ſiue iura ſiue officia, vt ad certa ſollennia, diis fere *πατρῴοις* a metropoli habita, quot annis mitterent coloniae, qui iis intereſſent ***) et ſacrificia ac donaria ferrent. Iidem epulis ſacris adhibebantur et in ludis ſacris ſedem in theatro aſſignatam habebant. Viciſſim ſacris coloniarum ſollennibus legati a metropoli miſſi intererant, quibus id honoris ex more tributum, vt victimae molam ſalſam adſpergerent et libationem ſacram facerent; vtque in ludis princeps locus iis daretur ****); qui honos etiam viris ex metropoli, ſi qui aderant, principibus fuit habitus *****). Simili

*) Polyb. ibid.

**) Ἐπιγαμίαι.

***) Θεωρούς. De hoc genere forte accipiendus Thucyd. VI, 3.

****) Προεδρία.

*****) Apud Thucyd. I, 25. Corinthii exacerbati in Corcyraeos colonos ſuos: ἅμα γε καὶ μίσει τῶν Κερκυραίων, ὅτι αὐτῶν παρημέλουν, ὄντες ἄποικοι. Οὔτε γὰρ ἐν πανηγύρεσι ταῖς κοιναῖς διδόντες γέρα τὰ νομιζόμενα, οὔτε Κορινθίῳ ἀνδρὶ προκαταρχόμενοι τῶν ἱερῶν, ὥσπερ αἱ ἄλλαι

mili iuris neceſſitate tenebantur eae coloniae, quibus quotannis frugum primitiae aut decimae diis patriis in metropolin erant mittendae; qua religione etiam

ἄλλαι ἀποικίαι. Turbant hic Intpp. Nam τὰ γέρα, τὰς τιμὰς καὶ προεδρίας, interpretatur Scholiaſtes. At Diodorus XII. 30. qui eundem locum Thucydidis ante oculos habuiſſe videtur: τοὺς δὲ Κερκυραίους inquit μισοῦντες, διὰ τὸ μόνους τῶν ἀποίκων μὴ πέμπειν τὰ κατειθισμένα ἱερεῖα τῇ μητροπόλει. Scilicet Scholiaſtes nimis anguſte, Diodorus autem paullo latius explicuit, vt genus tantummodo certum poneret, cum Thucydides omnino γέρα memoraſſet, h. omnia ea, quae honoris cauſſa metropoli eſſent praeſtanda in ſollennibus communibus, ſub quorum adeo cenſum etiam προεδρία et ἱερεῖα cadunt. In explicandis verbis Thucydideis προκαταρχόμενοι τῶν ἱερῶν iterum a Scholiaſte in fraudes inducti ſunt viri docti; ſubiicit enim ille: διδόντες τὰς καταρχάς. ferri hoc poteſt; at additur: ἔθος γὰρ ἦν ἀρχιερέας ἐκ τῆς μητροπόλεως λαμβάνειν. Verum id quidem; vt ſupra vidimus, ſed ad h. l. male refertur. Vertunt autem illa verba in hunc modum: *neque in ſacrificiis, cum viſcera diſtribuebant, a viro Corinthio auſpicabantur;* quam recte id fiat, ipſi viderint. Nam viſcerum diſtributionem heroicis quidem temporibus factam ſcimus, at deinceps exta diis offerebantur, vt vel ex Athenionis Comici ex Samothracibus loco ap. Athen. XIV. p. 661. A. conſtat. προκατάρχεσθαι autem haud dubie, idem ac κατάρχεσθαι, ad ſacrificii auſpicia ſpectabat, atque ea, quae ipſam immolationem antecedebant, χέρνιβα, οὐλοχύτην, τριχοτομίαν, σπονδήν, complectebatur (vide vel Valkenar. V. C. ad Euripid. Phoeniſſ. p. 216). Erat autem is honor praecipuus viris principibus, qui ſacris aderant, habitus, vt ſacra haec miniſteria per eos fierent; id quod ex heroicis temporibus manſiſſe videri poteſt, cf. Odyſſ. Γ. 445. in quibus adeo mactatio victimae et percuſſio viris primariis tanquam eximium munus relinquebatur. v. ibid. 442, 5. 6. Apollon. I, 427.

etiam Carthaginienſes obſtrictos fuiſſe conſtat *), Tyriorum colonos.

Iecimus, quantum per libelli breuitatem licuit, Ciues cariſſimi, tanquam fundamenta, quibus multa alia ſuperſtrui, et ex antiquis hiſtoricis obſeruata ſub capita ſua referri poſſint. Vocat nos nunc noſtra metropolis, cura et amor noſter, Georgia Auguſta. Sunt enim quodammodo, ſunt academiae ingeniorum metropoles, vnde tanquam coloniae quotannis exeunt: et ſacra noſtra, inſtituta ac mores ad alias terras vehunt; quae coloniae modo illae ſemper neceſſitudinem et pietatem retineant, multarum profecto terrarum ac populorum communis patria et origo Georgia noſtra Auguſta erit appellanda; tutelaris autem Heros, Curator noſter Illuſtriſſimus, modo eius cura et auſpiciis bona ſe illa conſequutas eſſe

X 4 memi-

*) Polyb. Exc. Legat. CXIV. p. 761. Curt. IV, 2. 10 ap. Valeſ. ad Polyb. p. 160. Vind. et in pr. locus Diodori XX, 14. Laudant in eadem re Spanhem. de vſu et praeſt. Numiſ. p. 581. et alii eum morem, quo quotannis a plerisque Graecis vrbibus frumenti primitiae Athenas conuehebantur. Sed veremur, vt recte hoc ad coloniarum munera referatur. Nam ex Iſocratis Paneg. c. 7. (p. 133. Batt.) ſatis intelligitur, in acceptarum ab Athenienſibus frugum memoriam hunc morem ſeruatum fuiſſe, nihilque eum cum patriae reſpectu ac pietate commune habuiſſe. Ariſtides autem in Eleuſin. p. 450. D. Steph eundem locum ante oculos habuit, et, quamquam verbis minus propriis, eandem ſententiam tractauit. Cf. eund. Panath. p. 105. Iebb. (182. Cant.) et p. 188. l. 16. (p. 328. extr. Cant.) Poteſt tamen ſimilis Athenienſium mos memorari: Nam Panathenaeis ſingulae coloniae bouem Athenas mittebant ad ſacrificium et epulas. v. Meurs. Panath. cap. XV.

meminerint, vt olim immortales illi vitae mitioris et melioris auctores, communi aliqua omnium terrarum religione coletur. Pro cuius vita ac proſperitate etiam nunc, ſecundum eas preces, quas pro Rege noſtro Indulgentiſſ. et Gente Regia facimus, noua vota ſuſcipimus. Sed fiet id ſollennibus verbis inter eas caerimonias, quas nunc indicimus. Transferentur enim a. d. II. Ianuarii magiſtratus academici inſignia ad Virum ſumme Reuerendum, Profeſſorem Theologici Ordinis Primarium,

CHR. GVIL. FRANC. WALCHIVM D.

cuius viri grauiſſimi pietas, placidumque ac mite ingenium, Ciues optimi, non minus omnes probos et ingenuos animos ad ſui amorem alliciet, quam diſciplinae ſeueritas malos terrebit. Itaque vos, Illuſtriſſimi Comites, generoſa propagine gentisque nobilitate, aut generoſiore etiam animorum indole conſpicui Iuuenes, et quicunque tandem voluntatibus nobis animisque addicti eſtis, rogamus et hortamur, vt frequentes fauentesque adeſſe velitis. PP. ipſis Kal. Ianuar. cIↄ Iↄ CCLXVII.

* * *

De argumento duarum harum Proluſionum actum eſt ab eo inde tempore a multis; opportunitatem et locum praebente bello, quod poſthaec exortum eſt, Magnae Britanniae cum coloniis Americae. Nec itaque neceſſe, nec ad animum gratum eſt, deſcendere iterum ad ea, quae ſatis commode pertractata

ſtata ſunt ab aliis, inprimis ab illuſtri viro, L. B. *de Sancta Cruce* *).

*) Mr. *Le Baron de Sainte Croix de l'Etat et du ſort des Colonies des anciens Peuples. Philadelphie 1779. 8.* Impugnat ille partim Mr. *de Bougainville Diſſ. qui a remporté le prix de l'Acad. des Inſcr. en 1745. Quels étoient les droits des Metropoles Grecques ſur les colonies; les devoirs des colonies envers les metropoles; et les engagemens reciproques des unes et des autres. 12.* partim alterum librum: *Hiſtory of the Coloniſation of the free States of Antiquity, applied to the preſent Conteſt between G. B. and her American Colonies. 1777. 4.* Gallice verſum a V. C. *Ceriſier*: *Hiſtoire de la fondation des colonies des anciennes Republiques 1778. 8.* Iudicia horum libellorum dedimus in Recenſibus noſtris litterariis (*Gelehrte Anzeigen. 1779. Zug. 59. 1780. p. 613.*) Inſurrexit quoque in Britannum *Iohn Symmonds Remarks upon an Eſſay, intituled Hiſtory* etc. 1777. 4. Attigere idem argumentum alii, inque iis V. C *Adam Smith Inquiry into the Nature and Cauſes of the Wealth of Nations* To. III. Lib. IV, c. 7. minus probandus in rebus antiquis quas intexuit; inde ductum *Fragmens ſur les Colonies. Lauſanne* 1778. Occurrunt quoque nonnulla paſſim in iis libris, qui de legibus coloniarum, et de iure eas ferendi agunt; vnum hoc non praeterire liceat, quod de prudentia in coloniis deducendis iam nonnulla monita fuere a *Bacone* in *Eſſays* num. XXXIV. *Plantations* (To. III. *Works* p. 349.) tum a Ioh. *Child in Diſcourſe of Trade Chapt.* 10. p. 164. Verum ita omnium aetatum mos tulit, vt in libris multa ſalubriter monerentur, quae latuerunt eos, quorum manu et conſilio imperia adminiſtrantur.

*) ACADEMIAE GEORGIAE AVGVSTAE

PRORECTOR

PHILIPPVS GEORGIVS SCHROEDER D.

CVM SENATV

SVCCESSOREM SVVM

IO. CHRISTOPH. GATTERER

COMMENDAT

CIVIBVS

A. D. IV. IVLII CIↃIↃCCLXVIII.

Repetuntur origines panificii frugumque inuentarum initia. **)

Exacto iam iuſto ac legitimo tempore, quo magiſtratus academicus geri ſolet, transferetur ille a. d. IV. Iulii in Virum Excellentiſſimum,

IO. CHRISTOPHORVM GATTERER,

cuius eximium de academia noſtra deque rebus veſtris, Ciues amantiſſimi, promerendi ſtudium a vobis, qua eſtis

*) Exierant ante hanc Proluſionem aliae, tempore priores, *Legum Locris a Zalcuco ſcriptarum fragmenta*, Diſputatio *prior*; et *poſterior*; tum *Legum Charondae fragmenta*, ſectio *prior*; quas reieci in Tomum II. qui Proluſiones de *rerump. Magnae Graeciae inſtitutis et legibus* deinceps complectetur.

**) V. *Gelehrte Anzeigen 1768. p. 676.*

eſtis humanitate, poſtulare videtur, vt obſequio, amore et pietate eum vos viciſſim demereatis. Tradentur autem ei inſignia et ornamenta magiſtratus a Viro Illuſtri, *Ayrero*, qui, Prorectore iniqua valetudine tentato, munia, quae in eum ſuperiore ſemeſtri tranſtulerat, iterum ſibi imponi paſſus, per aliquot menſes vicaria opera praeſtita, nouo in remp. noſtram merito ſuum publicae vtilitatis ſtudium illuſtrauit. Agentur inter reliqua ſollennia gratiae Deo O. M., qui academiam noſtram, grauiſſimo metu perculſam, reddita iterum ac firmata Soſpitatoris noſtri ac Parentis, Illuſtriſſimi *Munchhuſii*, bona valetudine, nuper recreauit. Quod autem feſti huius diei caerimonias multo illuſtriores et memorabiliores faciet, erit hoc, quod Sereniſſimus Brunſuicenſium Dux, FERDINANDVS, cuius incredibilem comitatem nuper, cum hanc academiam inuiſeret, vos deuota mente adoraſtis, academicis his ſollennibus coram adeſſe dignabitur; ſe enim praeſente omnia vt agantur vtque hac poſtera die praelectiones ſe audiente habeantur, litteris ad Exprorectorem datis Ipſe indulgentiſſime nobis iniungere ſuſtinuit. Quemadmodum autem ii, qui, magnae alicuius rei ſumma expectatione cruciati, cum vix ſolitis negotiis animum applicare poſſint, ſermonibus cum amicis ſerendis longi temporis taedia fallere ſolent, ita nos, ſermonem ad iucundam aliquam et vtilem fabulam protrahendo, vos detinere in veſtroque conuentu conſpectuque tanquam in confabulantium circulo, nimis tardi temporis compendia facere iuuat.

Venit nuper in manus noſtras nouum volumen praeclari operis ſuper artibus et fabricis aetatis noſtrae,

Aca-

Academiae Scient. Regiae Pariſ. cura ſtrenue procedentis, quod *rei molendinariae, piſtoriae et panificii rationem et diſciplinam* complectitur *); in quo cum inter alia de origine panificii primisque frugum ſerendarum et percipiendarum initiis, breuiter quidem, ſed probabiliter tamen ſatis, agatur, recurrebant in mentem ea, quae cum apud alios tum apud *Goguetum* **) eadem de re tradita olim legeramus; in quibus cum iam tum multa, quae aut perperam et parum accurate aut falſo ac temere expoſita eſſent, animaduerſa votum expreſſiſſent, vt exiſteret aliquis, qui haec diligentius retractaret; fore enim operae pretium in tam graui et vtili argumento; venit in animum, decerpere ex iis nonnulla, quae in hoc libello paullo curioſius exquireremus. Et nunc quidem de inventarum *frugum, omnisque vitae melioris* (ἡμέρου βίου) *primis initiis* diſpiciemus; In aliam diſputationem ſeruabuntur ea, quae ad *frugum perceptarum tractationem, qua in alimentum idoneum conuertuntur,* pertinent.

Vt multarum itaque aliarum rerum, ita cum frumentorum tum panificii vſum, niſi ab ipſo deo com-

*) *Deſcription et Detail des Arts du Meunier, du Vermicelier et du Boulanger. Par Mr. Malouin.*

**) *De l' Origine des Loix, des Arts et des Sciences;* doctus liber et vtilis, cuius lectio adoleſcentibus ſatis commendari non poteſt; idem tamen in multis fidei fluxae et ſubleſtae, multo magis in locis excitatis. De agricultura locum fere ex *De la Mare Tr. de la Police Livr. V. tit. II.* ſqq. deſcriptum eſſe deprehendimus. Petiere ex eodem hoc fonte multa Auctores *Encyclopaediae*, indiligentes quidem illi et leues in iis, quae hiſtorica fide tradenda erant, ſed in aliis acutiſſimi viri et ſubtiliſſimi.

commonſtratum dicere malis, non tam hominum aliqua ſagacitas, tanquam diuinitus acceptum, caelo deduxiſſe, aut, ita vt nihil omnino eſſet, quod eo duceret, eruiſſe et repente protuliſſe, quam, pro ingenii humani indole, aut fames et egeſtas ſuaſiſſe, aut ſimilitudo aliqua et cum noto cibi genere comparatio monuiſſe videtur. Quibus autem temporibus, quibus in terris, et quos inter homines, frumentorum vſus cultusque primum inuentus ſit, quaeſitum eſt a multis; et eſt ſane quaeſtio, quae diſcendi cupiditatem iniicere poſſit. In magna tamen ſententiarum varietate, quas opinio potius quam rerum ratio ac fides protulit; cum ſint adeo, qui aut omnino negent, vt Ill. de *Buffon*, aut dubitent tamen, an cerealis graminis ſilueſtris vsquam reperta ſit herba, nonnulla eſſe videmus, quae non modo ab hiſtorica et critica ſubtilitate recedere, verum etiam parum ſubtiliter definita eſſe et conſtituta videri poſſint. Nam primum omnino non bene quaeritur, quo terrarum in loco frumentum ſilueſtre proueniat, nec de primo frumenti vſu infinite quaeri poteſt; ſed de certo frumenti genere diſpiciendum eſt, de tritico, de hordeo, de ſecali et ſic porro. Sunt enim fruges, quae in auſtralis plagae terris domeſticae ſint et vernaculae; in ſeptentrionali autem ſolo vix hortenſi cura educentur. Oryzam, zeam mays, alia genera, vt exemplo vtar, oriens habuit et adhuc habet multis in locis, quae triticum, multo magis hordeum et ſecale, ignorant. Diuerſorum itaque generum diuerſa fuiſſe initia neceſſe eſt; nec vnius generis vſu inuento ſtatim omnium etiam reliquorum vtilitas patuit. Farris vſus in Italia per multa ſae-

cula

cula viguit, cum hordei aut tritici eſſet nullus; ſecalis autem ne Plinii quidem tempore. Cultu porro genera non mutari, variari tantum ea, quae generi ſubſunt, ſpecies vocant, ſatis conſtat *); genus tamen aliquod, quod in aliis terris, quamuis et in illis eſſet vernaculum, exile tamen erat, horridum, dirique ſaporis, adeoque neglectum, ignotum et inutile iacebat, in ſolo feliciore cum laetius effloreſceret, facilius ad cultum inuitare potuit, atque etiam excultum eſt cultuque emendatum. Ita ſecale, triſte olim, amarum et ingratum, cultu longo mitigatum eſt. Praeſtantiora tritici genera in noſtris terris vix reperiuntur; atque etiam in felicioribus plagis robus facile in ſiliginem vertitur, quae iterum in bonum ſolum translata in robum, cultus diligentia, tranſit. Tandem nec illud animo eſt dimittendum, varia ratione frumenta inuenta dici poſſe ac ſolere. Fuere ſcilicet fruges inuentae, cum per multa tamen ſaecula, vt etiamnum apud multas Americae et Africae gentes, nulla alia culturae nota eſſet ratio, quam hominum manu, ſine vllo idoneo inſtrumento ruſtico; nulla alia frumenti fruitio, niſi toſti aut in pultem conuerſi. Potuere itaque vel ſic, multis annis poſt, fruges iterum inuentae dici, agriculturaeque ratio monſtrari, quando aratio eſſet reperta, aratro aliisque inſtrumentis aratoriis inuentis; quae tamen, niſi ferro inuento, armentorumque, ac boum inprimis, miniſterio, et ſtercoratione, quae totam fere melioris culturae rationem con-

*) Inprimis poſt Linnaeum v. c. *de Transmut. frument. in Amoenit. acad.* Tom. V. p. 116.

continet, animaduerſa, vix eſſe potuit ſatis elaborata. Porro fruges aut ſic inuentae dicuntur, vt cum aliqua in terra ſilueſtres et agreſtes eſſent herbae, cultus earum et ſatio monſtraretur, aut vt alibae, vnde illata grana ad ſationem diſtribuerentur. Ita Ceres modo hac, modo illa ratione dicta eſt fruges inueniſſe *).

Iam quaeſtione ita inſtituta, vt dubitetur, quodnam frumenti genus omnium primum hominibus innotuiſſe probabile fiat, earum initio regionum ratio eſſe habenda videtur, in quibus primum in magnos coetus, ciuitates et imperia, humanum genus coiiſſe traditur; tum autem de eo frumenti genere eſſe diſpiciendum, quod in illis terris domeſticum et vulgare eſſe, et vel temerario cultu laetiſſime eſſloreſcere conſtat. Clementiore igitur ſub caelo et in fertiliſſima Aſiae parte, inter Euphratem et Tigrim ſita, vnde omnis cum ſacrorum tum ceterorum ſcriptorum fides ipſaque rerum ratio ac natura, generis humani non modo origines; ſaltem quatenus eae nobis innotuere; verum etiam prima vitae cultioris, legum litterarumque diſciplinae, oppidorum imperiorumque conditorum, initia repetit, primas fuiſſe fruges ſatas, vel ſine ſcriptorum fide (et tamen hanc, neglectam vulgo, afferemus paullo poſt) paullo ſubtilius diſpicienti probabile fit; neque adeo difficile eſt ad intelligendum, *triticum* aut *zeam* (h. e. triticum zeam vel ſpeltam) debuiſſe eſſe illud fru-

*) V. c. frumentum ſponte inter herbas natum hominibus eam monſtraſſe ex Creticis hiſtoricis narratum tradit Diodor. V, 68.

frumenti genus, quod primum ſatum fuerit, cum vtrumque, inprimis tamen haec, iis terris fuerit domeſticum. Iam quae iisdem ex terris ad nouas ſedes quaerendas digreſſae ſunt gentes, aliae quidem ante inuentas fruges diſcedere potuere, aliae frumenti acceptam notitiam animis iterum dimittere, aliae dimiſſam et obliuioni traditam multis poſt ſaeculis caſu vel exemplo recuperare, aliae tandem, cum in aliis terris, quas acceſſerant, diuerſum quidem frumenti genus, ſed ſimilitudine tamen aliqua eius, quod domi viderant, ſe commendans, reperiſſent, in eodem tentarunt, quod in altero vtiliter fieri olim viderant. Mox, quae miſſae ab iis coloniae nouas terras et inſulas, nauigatione etiam inſtituta, frequentarunt, aut ex priſca patria ſemina cerealia ſecum attulere aut, quae in nouis ſedibus ſponte nata reperirent, cultu emendauere. Neque circa legumina ratio potuit eſſe admodum diuerſa *).

Omnino iucundum eſt cognitu, quot quantisque rerum viciſſitudinibus populorumque migrationibus, diuina prouidentia ita moderante, effectum ſit, vt frugum fructuumque ac plantarum per totum terra-

*) Exemplo quoque res patet populorum Indiae, Americae et inſularum, qui ea frugum cerealium (vt Indi oryzam, quam Herodotus quoque innuit lib. III. 100.) tum ſtirpium radicumque genera excoluere, in quae, vtpote ſponte naſcentia, inciderant, cum eas terras adiiſſent: v. c. Caſſaua ſeu Manioc; palma farinifera, quam Sago appellant; Arum eſculentum, quod iam veteri Aſiae, Syriae ſaltem et Africae, innotuit: Dioſcor II, 197. Plin. XIX, 5. ſ. 30. V. *Manetti ſpecie di frumento e di pane* Art. IX et X, p. 162. ſqq. et ſic plura alia.

terrarum orbem permutatio fieret et transportatio; ſcilicet vt indies manifeſtius declararetur illud, quemadmodum communis omnia parentis cura et indulgentia contineantur, ita communi inter ſe vinculo et genus humanum et totam rerum naturam eſſe vinctam ac copulatam. Babyloniae non minus atque Indiae iam ab initio nobiliora frugum genera domeſtica fuiſſe, cultu tamen mox excitata et emendata, eadem Aegypto ſiue illata ſiue a ſilueſtri ad mitiorem naturam adducta, paullo poſt probabili aliqua ratione oſtendemus. Ex iisdem, Oſiridis et Patris Liberi (rerum nomina ſymbolica ſunt, quod non dubites,) cura, latius vitae humanae cultus ſerpere coepit. Mox Phoenices frugum ſationem, vndecunque ipſi eam acceperant, ad nouas terras ac colonias ſecum attuliſſe veriſimile eſt; Carthaginienſes autem, qui agricultura non minus ac nauigatione claruere, per Africae, Hiſpaniae et Galliae littora cerealia ſemina diſperſiſſe dubitari nequit. Alexandro vero Aſiam victoriis peragrante, Ariſtotelis inprimis cura, factum eſt, vt multa frugum, leguminum, arborum herbarumque genera Graecis partim innoteſcerent, partim, idque multo magis ſub Seleucidis et Ptolemaeis, ex Aſia in Europam transportarentur. Mox Romanorum arma Mithridati illata apertusque oriens variis arborum et plantarum generibus ditauit Italiam; a Romanis vero eadem cum reliquo vitae cultu in ceteras Europae terras fuere inuecta. Novis iterum plantis, oleribus certe et frugibus, Europam impertiuere barbari, Gothi inprimis *), qui ex

*) Linnaeo ſaltem, Viro Ill. auctore; in diſputatione mox laudanda.

ex ſeptentrionali Aſia fines imperii Romani ſunt ingreſſi. Etiam expeditionem in Palaeſtinam ſuſceptam nonnulla arborum plantarumque genera aduexiſſe narratum meminimus. Tandem frequentibus hiſce omnium terrarum commerciis, quae nauigatio emendatior fecit, in vnam Europam omnium terrarum populorumque bona ac mala influxerunt.

Verum vt eo, vnde deflexit, redeat ſermo noſter, primas frugum generisque adeo humani origines nuper noua ratione Ill. *Linnaeus* *) in Sibiria auſtrali reperiſſe ſibi viſus eſt. In quem locum cum primum incideremus, percuſſus nouitate rei animus haerebat aliquamdiu et ſubſiſtebat. Obuerſabantur enim cum multa alia, tum diſputationes ſuper montium Armeniorum iugis ac variis cacuminibus, et ductae inde multorum doctorum virorum de Paradiſi ad maris Caſpii littora ſitu opiniones, inque his Schukfordiana de Noachica habitatione in Bactriana regione quaerenda, et id genus alia. Enimuero ſubſidente paullulum hoc animi tumore, cum paullo diligentius inquireremus, opinionem illam probabilitate ſua carere intelligebamus. Nam primum quidem in tota generis humani antiquiore hiſtoria non modo nihil ea habet, quo firmetur aut ad ſpeciem ſaltem aliquam veri exornetur, quae autem de Bactriano imperio e Cteſia ac Iuſtino produntur, manifeſta videntur praui affectandae et rebus affingendae vetuſtatis ſtudii veſtigia habere; verum etiam multa ſunt,

*) In Diſputatione a. 1764. Vpſalae habita *de neceſſit. promov. H. Nat. in Ruſſia* §. 12.

ſunt, quibus ea penitus ſubuertatur. Prima enim generis humani in ciuitates, vrbes et imperia, collecti veſtigia, conſtante antiquitatis fide, nonnullis etiam adhuc apparentibus indiciis, citra mare Caſpium, in auſtrali Aſiae parte, reperiuntur; vltra mare Caſpium vero nulla veterum memoria vllum magnum imperium aut populum ad meliorem vitae cultum progreſſum prodidit, ad quem tamen, frugibus repertis et agricultura inuenta, in tanto temporum decurſu, neceſſario aliquando gens aliqua peruenire debuiſſet. Contra populos, qui eam plagam incoluere, perpetuis erroribus paſſim vagatos, modo ſilveſtri vita, modo paſtoritia vſos, armentorum ſaltem, non agrorum, curam habuiſſe, et hiſtoricorum fragmenta, et ea teſtantur, quae de iis narrantur, qui modo ſub Scytharum, modo ſub barbarorum nominibus in Aſiam vel Europam incurſiones fecerunt. Nec niſi ſero admodum in iis terris imperia, ad ceterorum quidem populorum exitium nata, quae tamen artes vitae cultioris et inſtituta aemularentur, exſtitiſſe liquet. Fac igitur triticum aeſtiuum et hordeum diſtichum in Baſkirorum terris, quas aliquando melius cultas fuiſſe, dubitari non poteſt *), ſponte provenire, fac ſecale cereale agreſte Sibiricis agris naſci, vnde panem coquant; potuit illud, ſerius illatum aliunde in iſtas terras clementioris caeli et ſoli frumentum, mox ſolo inculto relicto, agreſtem habitum induere; at agrorum cultum ſerendarumque

 ac

*) Extant multae paſſim reliquiae tumulorum, metallorum, vallorum ac murorum: V. *Rytſchkov. Deſcr. Gubernii Orenburgenſ.* P. II. p. 56.

ac percipiendarum frugum artem quomodo iam ab initio inde adfuiſſe credas, cum omnis hiſtoriae fides deſit, cumque populorum aut vnius populi, qui in illis terris ad agriculturam progreſſa ſit, antiquior memoria ſuperſit nulla; cum contra de populis Scythiae nomadibus narratio frequens et diſerta occurrat? Potuiſſent itaque frumenta ſilueſtri quidem ortu in iis locis gigni, eorum tamen ſerendorum et colendorum ratio multis ſeculis eſſe poſterior, vt in aliis plantis, aliis in locis, ſexcenties accidiſſe conſtat. Si vero humanum genus diluuio ſuperſtes non omne in interamnam planitiem, inter Tigrim et Euphratem, deſcendiſſe ſtatuas, ſed proceſſiſſe partem in vlteriora, alios etiam ad orientales plagas, et Indiam verſus latius habitaſſe; non quidem repugnabimus; ſi tamen per aſpera et continua montium iuga, aliquot centenis millibus paſſuum itinere continuato, hominum exiguam turbam ad altiſſimos illos, qui Sibiriae fines faciunt, montes ſtatim properaſſe contendas, vnde aucta iterum ſtirpe denuo prodiret, id vero, vel hiſtoricis argumentis probatum, vix fidem extorqueret. Chaldaica itaque fama, quam ab Abrahamo ad poſteritatis memoriam proditam Moſes ſacris litteris conſignauit, ipſi rerum naturae ac fidei vel maxime conſentanea eſt et in hoc, quod raram et imbellem hominum turbam, omnibus vitae neceſſitatibus deſtitutam, in planitiem camporum, magna fructuum plantarumque eſculentarum copia abundantem, maluiſſe deſcendere, quam aſpera ac continua montium iuga ſequi, veriſimile eſt.

Si qua ſit terra, quae primas ſibi in genere humano alendo ac nutriendo partes, primasque frugum

gum origines, vindicare poſſit, Babyloniam eam eſſe, iam ſupra diximus, quippe quae, litterarum ſacrarum omnisque priſcae hiſtoriae conſpirante in idem fide, prima magnos hominum coetus, in civitates et vrbes collectos, magnique imperii prima vidit initia; quae fieri nequierunt, niſi ipſa haberet terra, vnde magnam hominum copiam alere poſſet. Sine frugibus autem cerealibus et victu e frumentis parato nondum vllum populum audiuimus aut per ciuitates habitaſſe aut imperium certa ratione deſcriptum conſtituiſſe. Quod itaque de Athenis ſuis apud Platonem *) Aſpaſia contendebat, cum in ea terra primae fruges enatae fuiſſent, homines etiam primos ibi naſci debuiſſe, inuerſa ratione paullo tutius de Babylonia pronuntiari poſſe putamus. Sed habemus etiam eximium hanc in rem Beroſi fragmentum **), in quo ille teſtatur *Babyloniam, hoc eſt terram inter Tigrim et Euphratem, ferre triticum agreſte* (adeoque ſponte naſcens) *et hordeum, eruiliam praeterea, ſeſamum, radicesque paluſtres; naſci porro in ea terra palmas, poma et reliqua frugiferarum arborum genera; nec non piſcibus auibusque terreſtribus et aquatilibus eam abundare* ***). Quod ſi agreſte triticum

in

*) In Menexeno p. 237 E.

**) Ex Alexandro Polyhiſtore deſcriptum a Syncello Chronograph. p 28.

) *Φύειν δὲ αὐτὴν ἀγρίους καὶ κριθὰς καὶ ὄχρον καὶ σήσαμον καὶ ἐν τοῖς ἕλεσι φυομένας ῥίζας ἐσθίεσθον. ὀνομάζεσθαι αὐτὰς γόγγας, ἰσοδυναμεῖν δὲ τὰς ῥίζας ταύτας κριθαῖς.* Quo de loco diſpiciendum eſt paullo accuratius. Primum, qui *ὄχρος* ſit. neſcitur. Poſſis *κέγχρον*, ***milium, coniectare. Et memorat ſane illud

cum

in ea terra naſcebatur, matura Babyloniorum ad exquiſitiorem vitae cultum incrementa fidem faciunt, mature etiam tritici huius, ſiue triticum vulgare ſiue triticum zeam eo nomine appellauit Beroſus, vſum et ſementem inter eos in notitiam hominum veniſſe. Erat autem inprimis idonea ea terra ad frugum culturam. Fertilitate enim Babylonii et Aſſyrii agri nihil inter veteres vulgatius; et vt Herodoti ſaltem, qui per iſtas terras iter fecit, fide vtamur, frumenti tam luxurians vbertas, vt ad ducena, eſt vbi ad trice-

ſeſamo Herodotus I, 193. inter ea legumina, quae felicem in Babylonia habent prouentum. Reperitur quoque alias *κέγχρος* cum *σήσαμον* iunctum, vt Diodor. II, 36. *Seſamam, milium* Plin. XVIII, 10. Sed dubitari nequit *ὦχρον* hic legendum eſſe, leguminis genus, etiam noſtris terris frequentiſſimum, Romanis *eruiliae nomine* appellatum v. Plin. XVIII. 10. 5. qui locus tantum non transſcriptus eſt ex Theophraſt. Hiſt. Plant. VIII, 3. *τὰ δὲ προμηκέστερον, οἷον ὁ πισὸς, καὶ ὁ λάθυρος* (cicerculae genus) *καὶ ὦχρος* (ita ſcrib. pro *ὠχρός*) Porro *ἐσθιεσθον* nihili eſt; pro quo aut ſcribendum cum Scaligero *ἐσθίεσθαι*, aut plenius *ἐσθίεσθαι καὶ ὀνομαζ*. aut, quod malis, *ῥίζας ἐδεστάς. ὀνομάζεσθαι δὲ αὐτὰς γόγγας.* Quod vocabulum vti cum ſimili Arabum voce herbam eſculentam deſignante conuenire videtur, ita potius corrupte ſcriptum ſuſpiceris; nec *γόγγας* ſed *γόμας* a Beroſo exaratum fuiſſe. *Gome* autem aquatici generis planta eſt nobiliſſima, quam cum papyro eandem eſſe docuit Celſius Hierobot. P. I, p. 137. at *Gomne* origani genus eſt ap. Heſych. Radicum autem medulloſarum ac bulboſarum varii generibus Babylonia non minus quam Aegyptus atque etiam India, veſci aſſolet. cf. Diodor. I, 10. et 43. II, 36. Porro de *palmis* in Babylonio agro naſcentibus conuenit Herodotus I, 193. (cf. Strabo XVI, p. 1078. A.) ficum autem, vitem, oleam, in eo prouenire negat.

tricena, redderet *). Quod vtique non ita accipiendum eſſe patet, ac ſi natura ſoli id ſola effecerit; verum, vt in aliis locis, v. c. Libyae, Aegypti, Thraciae, quando ſimilis fertilitas agrorum memoratur, caeli ſolique naturalem bonitatem humano cultu inſigniter eſſe auctam facile intelligitur; quo ceſſante mox laudata illa fertilitas et ipſa ceſſauit. Itaque fruſtra nunc in iisdem terris feliciorem aliquem frugum prouentum expectes aut vlla antiquae felicitatis veſtigia; inprimis in Babylonia, cuius ſolum olim Euphrate per foſſas innumeras recepto irrigari ſolitum, temporum rerumque viciſſitudinibus manuum cultu deſtitutum ita exaruit, vt ex planitie arenoſa caloris vis incredibilem in modum intendi ſoleat. Ex iis porro, quae de agrorum Euphratis vndis riguorum cultu apud veteres Babylonios narrant ſcriptores, procliue eſt ad intelligendum, hortenſi potius cultu fruges ab iis curatas fuiſſe; quo ipſe ſummae vbertatis miraculum a prodigii opinione

 libe-

*) Herod. loc. laud. I, 193. vbi terram non pluuiis ſed hominum opere irrigatam ſumma fertilitate eſſe praedicat; frumento tamen duntaxat ferendo: *τὸν δὲ τῆς Δήμητρος καρπὸν ὧδε ἀγαθὴ ἐκφέρειν ἐστὶ, ὥστε ἐπὶ διηκόσια μὲν τὸ παράπαν ἀποδιδοῖ· ἐπειδὰν δὲ ἄριστα αὐτὴ ἑωυτῆς ἐνείκῃ, ἐπὶ τριηκόσια ἐκφέρει* etc. Frumenti genus idem mox declarat nomine ſuo: *τὰ δὲ φύλλα αὐτόθι τῶν τε πυρῶν καὶ τῶν κριθέων τὸ πλάτος γίνεται τεσσέρων εὐπετέως δακτύλων.* Ait igitur, *quaternum facile eſſe digitorum illic latitudinem tritici atque hordei foliis.* Rabbinos audire tibi videare, triticum Palaeſtinae cedro Libani exaequantes magnitudine: ap. Celſium Hierobot. P. II. p. 115. Verum reliqua ab Herodoto eo loco memorata et ipſa narrandi ratio nullam credulitatis ſuſpicionem admittunt.

liberatur. Conueniunt enim cum culturae ratione ea, quae de Sinenſium opere ruſtico Haldius narrat*). Poſſit forte aliquis ſuſpicari non tam triticum noſtrum, quam Indicum illud, vt nonnulli vocant, vulgo *zeae* nomine appellatum, Herodotum declarare voluiſſe; verum diuerſi vtrumque generis eſſe, viri naturae rerum intelligentes ſatis diſerte docuere **).

Sed

*) Du Halde *Deſcript. de la Chine* Vol. II. p. 77.

**) Scilicet alia *eſt zea Mays*, aliud *triticum Zea*, nobilius tritici genus: *illud*, frumentum Turcicum ſeu Indicum vulgo appellatum, ex America prodiiſſe creditur, deductum in multas Aſiae, Indiae, Africae, Europae, partes, vt in Italiam; (*Turcici* nomen non ex eo accepit, quod ex Turcorum terris exportatum fuit, verum ab ariſtarum ſimilitudine aliqua cum criſta ſeu pluma in apice Turcorum capitibus impoſito) *hoc* vero veteres vulgo nomine *Zeae* declarant. *Zea* haec, ſeu Spelta, multis veterum locis celebratur. E Graecis primum Iones in Aſia eius notitiam et vſum habuiſſe videntur; hinc apud Homerum ζείδωρος ἄρουρα, mox et apud Heſiodum. Celſius II. p. 99. *Zeam*, *far*, *olyram*, *ſpeltam*, pro eodem frumenti genere haberi vult. Enim vero: *Qui Zea vtuntur*, *non habent far*, ſunt Plinii verba XVIII, 19. Vulgari ſermonis vſu, vti nec inter nos, ita nec olim, genera haec accurate ſemper fuere diſcreta, ita vt nomen Zeae transferrent interdum ad ſimilia. Ita Dionyſius Halic. *far* per *zeam*, et eadem *zeae* voce *olyram* interpretatur Herod. II. 36. Peregrina itaque multo magis frumenta ac legumina ſimili more ſcriptores ſuis vocabulis appellant, interdum quidem ſatis incommode. Idem Herodotus paullo poſt ſe *milium* in Babylonia vidiſſe narrat arboris magnitudinem aequans. *Milium* forte *Indicum* vidit, de quo v. Plin. XVIII, 10. ſq. Subtilius Theophraſtus H. Plant. IV, 5. ext. ſemina in India naſci, alia leguminibus *ſimilia*, alia tritico, alia hordeo, narrat; quae Macedonum ſermonibus eum accepiſſe probabile ſit. Addit ille: *ἐρέβινθός μεν γὰρ* (*cicer*) *καὶ Φακὸς καὶ τ' ἄλλα τὰ παρ' ἡμῖν*

Sed differenda ſunt in aliud tempus, quae de frugum initiis inter Aegyptios, Phoenices et Graecos, porro in Sicilia, Italia aliisque in terris, narranda habebamus, Vos autem, Comites Illuſtriſſimi, reliquique Ciues ſanguinis, ingenii animique nobilitate praeſtantiſſimi. humaniſſimis noſtris precibus tantum tribuite, vt ſollennem noſtram pompam frequentia veſtra ornatam eſſe velitis. PP. cIↃ IↃ CCLXVIII. a. d. III. Iulii.

ἡμῖν οὐκ ἐστίν. ἕτερα δέ ἐστιν – κριθαὶ δὲ καὶ πυροὶ (naſcuntur enim vtique noſtra frumentorum genera in India; cf. Strabo et Diod. II, 36.) καὶ ἀλλ' ὅτι (leg. ἄλλο τι) γένος ἀγρίων κριθῶν, ἐξ ὧν καὶ ἄρτοι ἡδεῖς. *Silueſtre hordeum* itaque et hic in India deprehendere videri poſſimus; Enim vero de frumenti aliquo genere Indiae, quod cum hordeo noſtro comparet, eum loqui manifeſtum eſt; quanquam Plinius, qui illa verba tranſtulit, minus accurate, *Hordeum*, inquit, *Indis ſatiuum et ſilueſtre*, XVIII, 13. Ita et Strabo ſatis accurate ex Oneſicrito, libro XV. p. 1017. in Muſicani regis Indorum terra naſci σῖτον αὐτοφυῆ πυρῷ παραπλήσιον, igitur non verum triticum ſilueſtre. Quod Herodotus apud Indos milio aſſimulat, vnde victitant vulgo homines, *oryza* eſſe videtur: lib. III, 100. Ceterum Herodoto ſua ſublegit Apollonius Tyaneus de India narrans apud Philoſtr. de Vita A. III, 5.

ACADEMIAE GEORGIAE AVGVSTAE

PRORECTOR

IO. CHRISTOPHORVS GATTERER

CVM SENATV

ANNIVERSARIA INAVGVRATIONIS SACRA

XXXI.

IN A. D. XVII. SEPTEMB. CIↃ IↃ CCLXVIII.

RITE

INDICIT.

Origines Panificii frugumque inuentarum initia.

PROLVSIO ALTERA. *)

Sollennia indicimus, Ciues amantiſſimi, anniuerſaria Georgiae Auguſtae, diem laetum ac feſtum, ſi quis alius, fauſtum et auſpicatum, et inter bona verba ac vota nuncupanda exigendum; quippe quo natales et incunabula parentis noſtrae communis ac nutricis, Georgiae Auguſtae, pia mente recolimus, ſimulque laeta eius incrementa, proſperos conſiliorum ſucceſſus, ſecundos rerum euentus, verbo, bona noſtra publica ac domeſtica, apud animos

*) V. *Gel. Anz. 1768. p. 1113.*

mos noſtros recenſemus exultantesque gaudio ad vnicum Boni Euentus Bonaeque Fortunae auctorem, eumque indulgentiſſimum, Deum O. M. grato ſenſu perfuſas mentes conuertimus. Recordamur porro non ſine religione ac retractamus magnorum virorum memoriam: qui primi ſapientia ſua, doctrina nominumque ſuorum celebritate, vniuerſitatem hanc ad eam, qua nunc floret, famam laudemque euexere; eorumque conſilia et virtutes, coniunctas mutua beneuolentia ac neceſſitudine voluntates, publicaeque ac communis vtilitatis Ordinum omnium ſtudium, quod non ad eum, cui quisque adſcriptus eſſet, Ordinem omnia traheret, aut ſuae cuiusque diſciplinae ſoli rerum ſummam arrogaret, multo minus vt ad ſe, ad ſuam priuatam famam nominisque celebritatem rerum ſummam referre mallet, ea omnia nobis exempli praeclari loco ante oculos ponimus. In primis gratulamur Academiae noſtrae viros meritis et auctoritate grauiſſimos ex iis ſuperſtites, qui Georgiae Auguſtae primordia et incunabula non modo viderunt, verum eam etiam teneram et infirmam ſuo ſinu exceperunt, fouerunt, educarunt, et ad dignitatem eius famamque ſecundam apud exteros firmandam nominum ſuorum ſcriptorumque celebritate plurimum effecerunt. Sed cum iis ipſis aliud habemus maius, inſignius et memorabilius diuinae indulgentiae exemplum documentumque, ipſum, inquam, auctorem, parentem ac nutritorem Academiae noſtrae, Illuſtriſſimum *Munchhuſium*, ſuperſtitem, qui XXXI. hoc anniuerſarium ſollenne ſoſpes et incolumis viuendo attigit, ſuamque hanc filiolam nutritiamque, quam Ipſe ſuſcepit, aluitque ac nutriuit,

triuit, laetis incrementis efflorefcere et adolefcere, mox roboratam et firmatam caput efferre vidit; quique etiam nunc incredibili indulgentia et amore eam amplectitur, quotidie in eam beneficia noua cumulat, fupellectili autem libraria ita inftruit, vt, in tanta earum rerum, quibus litterarum ftudia acuuntur, copia, tales alumnos, qui ad accuratiorem aliquam eruditionem perueniant, tum demum defuturos effe Georgiae Auguftae credere par fit, quando natura effeta ingeniis felicioribus proferendis defecerit. Ingeniis enim praefidia et adminicula non raro deeffe folent; adminiculis et copiis litterariis ingenia non item. Rariffimum autem hoc et vnicum forte exemplum protractae in tam feros annos curae ac tutelae Curatoris Vniuerfitatis noftrae et Nutritoris, eiusdemque Fundatoris et Auctoris, quis eft, qui, modo a rebus noftris alienus non fit, non pro incolumitate et bona valetudine Viri immortalis vota precesque fufcipiat? Hoc idem faciet publice, follennibus verbis, Vir Excellentiffimus, Collega nofter coniunctiffimus, *Io. Phil. Murray*, Ampliffimi Ordinis philofophici h. t. Decanus, qui, ad philofophiae doctorem creandum renuntiandumque *) oratione habita, pro REGIS Auguftiffimi, Piiffimi, Reginae, feminae fanctiffimae, totiusque Regiae ftirpis, falute ac felicitate, pro reip. adminiftris publicaque fortuna rerumque profperitate, fufcepta ante hunc annum vota perfoluet nouaque vota fufcipiet. Ad quae agenda ac dicenda quum follennis pompa in templum Academ-

de-

*) *Io. Ern. Faber*, Profefforem mox Kiloniens. tum Ienenfis Acad.

demicum ſit ducenda: veſtra humanitas, officium et amor, Ciues amantiſſimi, fidem nobis facit, fore vt et frequentes ſollennibus his intereſſe et ad audientiam admiſſi, quo ſoletis, more fauere dicenti velitis. Atque hoc eſt, Comites Illuſtriſſimi, Iuvenes ſtirpis, animorum, ingeniorumque nobilitate florentiſſimi, quod, quum iure quodam noſtro poſtulare poſſimus, beneficii tamen in nos collati loco habebimus.

Nobis interea cum id officii impoſitum ſit, vt, antequam ab aliis ipſa pugna inſtruatur et conſeratur, leui quaſi velitatione animos experiamur et virtutem accendamus, atque diſputatione aliqua, de re cognitu non iniucunda, inſtituta ad auditionem ipſam proludamus; reuocemus agedum ad animos quaeſtionem, quam nuper agitare coepimus, de *panificii originibus frugumque inuentarum quaſi epochis*. Prima quidem frumenti, ſiue tritici, ſiue, quod probabilius eſt, zeae, cum ſponte enati tum cultu humano ſati et elaborati, veſtigia in Babylonia inueniſſe nobis videbamur; eamque opinionem vt aliis hiſtoriarum argumentis rationibusque, ita inprimis inſigni Beroſi loco firmari poſſe arbitrabamur. Nunc, quae de ceteris terrarum orbis regionibus reliquisque frugum generibus obſeruata nobis ſunt, bona cum venia veſtra, in medium afferemus.

Aegypto in tanta ſoli fertilitate, quae Nili beneficio contigit, vllum frumenti genus domeſticum eſſe aut ſponte in ea naſci, neminem vidimus qui tra-

tradiderit, praeter Diodorum *), in loco tamen, in quo Aegyptium aliquem Graeculum exſcribit, ad extollendam patriam laudibus omnia ad Aegyptum trahentem et in maius ferentem. *Iſidem* ait *tritici et hordei fructum inueniſſe, cum is antea paſſim in agris cum aliis herbis naſceretur, ignotus tamen vulgo eſſet.* Contra Aegyptio ſolo propria et vernacula erant varia herbarum eſculentarum, olerum, leguminum, cauliumque ac radicum paluſtrium genera **), in primis agroſtis, papyrus ac lotus, quibus partim igni toſtis, partim farinaceo inde alimento confecto et in pultem verſo, magna Aegyptiorum multitudo olim victitabat et adhuc paſſim victitat. Quod ſi infirmiorem minusque valentem cibum bulboſas illas radices praeſtare debuiſſe dicas, ſub tali caelo valentiore cibo corpora non admodum indigere cogitandum eſt. Si itaque Iſis et Oſiris frumentum inter Aegyptios et agri culturam inueniſſe et triticum hordeumque, aut, quod verius dixeris, *olyram* ***), (ſpeltae genus

*) Diod. I, 14.

**) V. Diodor. I, 10. it. 34. 43. Plin. XXI, 15. ſ. 10. eſt in his nobiliſſima colocaſia: ibid. 15. aron eſculentum, Manioc plantae ſimile: Plin. XIX, 5. ſ. 30. Inprimis fabae aut certa ſaltem earum genera Aegypto videntur fuiſſe domeſtica v. Theophr. H. Plant. IV, 10. Plin. XVIII, 30. Ceterum de his videndi Ol. Borrich. Hermes Aegypt. c. 4. Proſp. Alpin. Hiſt. Aegypt. nat. P. I. lib. I, 14. et 17. lib. III, c. 9 - 15. Paſſim etiam Celſius in Hierobot.

***) Deprehendas facile ſeriorum temporum ac ſcriptorum incuriam etiam in hoc, quod Iſidem triticum et hordeum inueniſſe dicant, quo ſcilicet Aegyptus ſub Ptolemaeis, vt credere fas eſt, vti coepit. Antiquiores Aegyptii *olyra* victitabant; at tritico hordeoque veſci extremo ſibi probro ducebant. Herod. II, 36.

nus eſſe videtur, Romanis interdum *arincae* nomine declaratum) primi oſtendiſſe paſſim apud veteres memorantur, haec eadem fama hominum ore ferri et celebrari potuit, ſi eae fruges aliunde, ex peregrina terra, in Aegyptum inuectae fuere; nam Iſidis et Oſiridis nomina nihil vetant, quominus ita ſtatuas, quando quidem, vt ſupra diximus, tantum habenda videntur eſſe ſymbolica. Ceterum ab Aegyptiis Libya et forte Africa proprie dicta, incredibili fertilitate inter veteres celebrata, agri colendi frugumque rationem accepiſſe videri poteſt.

Apud Phoenicas, quantum quidem ex fragmentis hiſtoriarum Sanchuniathonis per indoctum hominem, Philonem Byblium, graece conuerſis apud Euſebium *) colligas, cum in iis veterum ſaltem narrationum doctrinarumque fragmenta et veſtigia facile agnoſcas, illa primum aſperitas ac feritas, tum victus omninoque vitae emendatio viguit, qualis eſſe ſolet populorum, qui non tam advenae alicuius ſapientis opera, quam communi rerum viciſſitudine, a ſilueſtri vita ad mitiorem humanioremque cultum proceſſere. Plantis enim principio vſi ſponte e terra natis, mox ad arborum fructus, tandem, inuento iam ferro, ad fruges terrae agrique culturam conuerſi ſunt. Ad *Dagonem*, Philo vertit *Sitonem*, h. frumenti praeſidem, mox autem inuento frumento et aratro; *Iouem Aratorem* appellatum, referebant haec inuenta Phoenicum mythi **): in quo nemo veteris ſermonis et moris non

*) Praep. Euang. I, 10.

**) V. Euſeb. II, p 36. C. p. 37. D.

non prorſus rudis, haerebit. Nec tamen Phoenicen admodum frugibus abundaſſe, ſed ab eo ſaltem tempore, cum ob mercaturae et nauigationis opportunitates magna hominum copia alenda eſſet, frumento peregre inuecto indiguiſſe, ex iis colligas, quae Hiramus cum Salomone erat pactus *), et quae de Iudaeorum mercatu apud Tyrum memorantur ab Ezechiele. Ex narratione, quam Seruius **) ex antiquiore ſcriptore memorare videtur, patet Tyriorum morem fuiſſe, vt de pecunia publica frumenta de peregrinis coemerent, atque vt ad hoc ipſum naues frumentariae haberentur in portu; Iis enim correptis Dido aufugit.

At Phoenicum coloni, Carthaginienſes, vti nauigatione et mercatura, ita agrorum colendorum ſtudio nulli facile populo, ne noſtrorum quidem temporum, ceſſerunt; itaque eorum per Africam ditionem omni frumentorum genere laetam fuiſſe legimus. Ab iisdem probabile fit agriculturam in Hiſpanias, coloniis Poenorum frequentatas, fuiſſe allatam, in quibus inprimis Baeticam olim incredibili frugum prouentu felicem celebrant ſcriptores, inprimis Strabo ***).

Iam inter Graecos quem fugit frugum inuentrices celebrari Athenas? Res multis mythis eſt obſcu-

*) I. Reg. V, 11. II. Paralip. II, 10. cf. Ezech. XXVII, 17.

**) Ad Aen. I, 363.

***) Strabo lib. III, p. 212.

obſcurata; ſatis tamen apparere videtur hoc, ſub Erechtheo fuiſſe aliquem, ſeu verum Triptolemi nomen fuit, ſeu ſymbolicum, nihil enim hoc refert*), qui primus fruges inuenerit; quem quod Ceres docuiſſe arationem dicitur, id eo pertinet, quod Terra mater, Δημητηρ, beneficium hoc ſummum praeſtiterat. Num vero is ſponte natas in Attica fruges aratione coluerit, an aliunde inuexerit, definire paullo difficilius eſt.**) Verum ante quam in hanc dubitationem deſcendamus, monendum eſt, quod vulgo parum attenditur, non fruges omnino, aut frumenti genus praecipuum, triticum, in Attica tradi inuentum, ſed tantum *hordeum* κριθας, quas et Graeci ſcriptores interdum diſerte memorant, et omnes omnino ſcriptores pro antiquiſſimo frugum genere habent. Verum et ipſum Atticae ſolum gignendo tritico minime, contra hordeo inprimis erat idoneum, quippe quod tenue eſſet et gracile***) in quo hordeum egregie proficeret. Iam vt in eam ſententiam procliuior ſis, vt hordeum Atticae domeſticum ſponteque in ea enatum exiſtimes, cum alia facere poſſunt, tum magna illa fabulae de inventis

*) Cum Triptolemus plures plagas adiiſſe dicitur, poteſt ille, non minus quam Liber ac Ceres, perſona videri ſymbolica; ſaltem fabula ab aliis ad alios traducta. Sic in Thraciam rege Lynco veniſſe fertur. Serv. ad Aen. I, 323. Conſecrata autem fuit frugum inuentarum memoria per teletas Eleuſinias.

**) Vtrumque a ſcriptoribus aſſeritur. Aduentitiam frugem ex etymologia Eleuſinis ab ἐλεύθω, *venio*, declarant inepti ſcriptores; ipſe Diodor. V, 69.

***) Theophr. H. Plant. VIII, 8.

ventis in Attica frugibus celebritas; niſi enim ita ſtatuas, quem fundum fabula tam vulgata habeat, non apparet. Concedas forte hordeo Atticum tanquam patrium ſolum; nihilominus tamen rationem et artem colendorum agrorum aliunde illatam in Atticam dixeris; quam opinionem ex eo ducere ac firmare poſſis, quoniam vno eodemque tempore non modo fruges inuentae, verum et ipſa aratio elaborata, boumque ad eam vſus, cum vomere, vanno, aliisque aratoriis inſtrumentis, traditus Athenienſibus eſſe narratur; quae omnia, niſi ab aduena aliquo monſtrata, vno eodemque tempore accipi non potuere; ſi itaque arationem, aduentitium et extraneum inuentum, Athenienſibus inter ceteros Hellenas primis fuiſſe communicatam dixeris, ex Sicilia afferri quidem aratio potuit, quod a Cerere factum Siculi ſcriptores vulgo iactaſſe videntur *); hordeum tamen ex ea inſula transuectum in Atticam eſſe nequiit: nam Siciliae, quod mox videbimus, triticum proprium eſt, non hordeum. Vt ex Aegypto in Atticam perueniſſe agri culturam putes, nonnulla ſunt, quae ſuſpicionem mouere poſſint; modo ad intelligendum procliue ſit, quomodo ſub Erechtheo **) demum aut alio Athenienſium rege in

*) V. Diodor V, 4.

**) V. Marmor Parium Epocha XII. Sed in his magna opinionum eſt diuerſitas. Fuit inter alios *Philochorus* Ἀτθίδος, h. hiſtoriae Atticae ſcriptor non ignobilis, (laudatus v. c. Macrobio Sat. I, 10. et ſaepe memoratus ap. Syncell. et Euſeb. vt eius fragmenta qui collegerit, operae pretium facturus eſſe videatur) qui hypotheſi, quam hic exponere non vacat, ſeruiens, multa aliter, atque auctores ceteri, tradidit, magnasque adeo in hiſto-

in Atticam illud ex Aegypto beneficium migrare potuerit, cum paullo certioribus indiciis iam Cecrops ex Aegypto aduenisſe memoretur. Quicquid eſt, habet Atticum ſolum praecipuam hanc inter Europae noſtrae terras auctoritatem, vt primum in ea hordeum ſatum fuerit, ſiue natiuum ibi ac ſilueſtre, ſiue aliunde illatum. Dubitari itaque non poteſt, iis, qui in illis locis peregrinantur, agri Rharii, non procul ab Eleuſine ſiti, qui primus frugibus conſitus eſſe fertur *), adſpectum ſanctitatem aliquam ac religionem habere videri.

Triticum autem in reliquas terras occidentales primum perueniſſe ſuſpicamur ex Sicilia inſula; cuius ſuſpicionis fundamentum habemus non modo antiquas de Cerere et Proſerpina fabulas **), inſulam conſecratam iis deabus et praecipua caritate habitam, et ſummum, qui in hac inſula olim fuit, tritici, praeter alia frumenta, prouentum, verum etiam hoc, quod iam Homerus *hordei triticique ſegetes ſine aratione et ſatione* in ea prouenire dixit, quodque antiqua fama obtinuit, circa Aetnam repertum olim fuiſſe triticum agreſte ſingulari ſpecie; quo ipſo factum eſſe, vt triticum in Sicilia repertum Ceresque apud

hiſtoriis Atticis turbas fecit. Ita et Phanodemus ὁ τὴν Ἀττικὴν γράψας ἀρχαιολογίαν voluit omnia ex Attica repetere, vti Dardanum. Dionyſ. Hal. I, 61. In hunc vel ſimilem ſcriptorem incidit auctor de Orig. G. Rom. 2. qui Ianum ex Creuſa, Athen. Regis Erechthei f. naſci fecit.

*) V. Pauſan. I. 38. Situm eius oculis ſubiectum vides in le Roy *Monumens de la Grece* pl. IX.

**) V. Cic. Verr. IV, 48.

apud Siculos nata eſſe crederetur. Debemus memorabilem hanc narrationem Ariſtoteli *), quam Diodori locus inſignis firmare videtur, vndecunque ille ſua exſcripſerit. Narrat enim in Leontino agro aliisque Siciliae locis pluribus etiam nunc triticum naſci agreſte **). Neque huius narrationis fidei quicquam detrahit, quod ſequentibus temporibus nulla eius rei ſit memoratio, neque nunc veſtigia extant ***); cum Aetnae incendiis loca illa, iam ante cauis ſubterraneis et ſpeluncis peruia, mox plane ruinas fecerint magnamque late vaſtitatem agris intulerint.

Ex

*) Ariſtot. de mirabil. Auſcult. p. 1157. Par. (p. 723. 4. Duval.)

**) Diodor. V, 2. In Siculis autem Diodorus pro graviſſimo auctore eſt habendus. *Μεχρι του νυν φυεσθαι τους αγριους ονομαζομενους πυρους.* Odyſſeae autem locus eſt J, 105. ſqq. de mira terrarum, quas Cyclopes inhabitabant, quaeque ſub Aetnae radicibus ſitae erant, fertilitate. Famam ſcilicet inter Siculos Graecosque vulgatam, narrationis, rerum miraculis, vt delectaret, exornatae, fundum habuit diuinus poeta: *Κυκλώπων δ' ἐς γαῖαν – Ἱκόμεθ', οἵ ῥα θεοῖσι πεποιθότες ἀθανάτοισιν. Οὔτε φυτεύουσιν χερσὶν φυτὸν, οὔτ' ἀρόωσιν. Ἀλλὰ τάδ' ἄσπαρτα καὶ ἀνήροτα πάντα φύονται, Πυροὶ καὶ κριθαί.* — Ergo triticum et hordeum indigena planta, ſponte proveniens: ſi modo poeta haec ad narrationis fidem tradidit, non ad poeticam rationem fertilitatis notionem auxit et ornauit. Ita in *aurea aetate* terra ſegetes ferre dicta ſponte et ſine opere humano. Ad Homeri locum provocat quoque Diodor. V, 2 et 69.

***) Fazzellus idem de ſua aetate teſtatur, in pluribus Siciliae agris nulla mortalium cura excultis, ſoli liberalitate mira ac naturali, proveniſſe atque in ariſtas feliciſſime excreuiſſe triticum; id quod ipſe vidiſſe profitetur. Bene haec. Dubitari tamen poteſt, an veteris culturae reliquiae illae fuerint.

Ex Sicilia in Italiam migraſſe frumenta agrique colendi inuentum, vicinia inſulae credere ſuadet, cogit etiam antiquior inter Italos vitae cultus. Et ſane Saturnus claſſe aduectus et hoſpitio exceptus Ianum ruris cultum docuiſſe fertur*). Difficultatem facere poteſt, quod in Italia *far adoreum* vnicum, quod coleretur, frugum genus, ab antiquiſſimis inde temporibus memoratur; *populum ſaltem Romanum farre tantum e frumento CCC. annis vſum Verrius tradiderat*, grauis auctor, apud Plinium **); vt adeo far, domeſticum Italiae frumentum fuiſſe videatur. In Sicilia autem tradi vsquam far aut prouenifſe aut inde in Italiam importatum eſſe, nunc quidem animo non ſuccurrit ***). Si viris doctis fidem habeas, ex Libya fruges ad Italos veniſſe Feſti auctoritate euincitur; ſed locum Feſti male interpretantur ****); vti

 etiam

*) Macrob. I. Sat. 7. Sext. Aurel. Vict. de Orig. G. R. c. 3. et tamen idem Euandro tribuitur c. 5.

**) Plin. XVIII. 7. ſ. 11. *Far* haberi video idem ac noſtrum *Dunkel*, et, excuſſo iam mola folliculo, *Spelt* appellatum. cf. *Martyn* ad Ge. I, 75. qui minus bene Plinium *far* et *zeam* confudiſſe ait; immo vero Plinius diſcernit *qui zea vtuntur, non habent far*, XVI. 8. ſ. 19. Idem diſtinguit far a tritico; ita et Colum. II, 6. vbi genera tritici et genera adorei diſtinguuntur: in hiſce eſt far. Habetur tamen far pro genere tritici duriore ac ponderoſiore.

***) Ne in Verrinis quidem Ciceronis; niſi communi frumenti nomine deſignari dixeris; vt in quibusdam locis hordeum.

****) Feſtus in *Libycus campus. Libycus*, inquit, *campus in Agro Argeo appellatus, quod in eo primum fruges ex Libya allatae ſunt, quam ob cauſſam etiam Ceres ab Argeis Libyſſa eſt appellata.* Quaeſiuere interpretes

etiam perperam ad Triptolemum prima arationis initia per Italiam referunt *). Ad meliorem colendorum agrorum rationem Etruſcos, qui primi vitam in Italia ad tam exquiſitum cultum expoliere, nihil omnino attuliſſe, vix tibi perſuadeas, auctoritatem tamen ac firmamentum ſuſpicionis habemus nullum.

Poſt *triticum* in cenſum venit *ſiligo*, circa cuius inuentum non eſt vt diu haereamus, cum et ipſa tritici genus ſed deterioris conditionis ſit, nam pondere et nitore praeſtat *robus* **), at ſiligo tritici vitium eſt; Plinius tritici delicias vocat ***). Tranſit in eam pro ſoli et cultus natura triticum, et iterum conuertitur triticum in ſiliginem. Siliginem ignorabant

pretes *agrum Argeum* Romae in vico Tuſco; at hic fuit Argiletum, ab argilla dictum. Apud Feſtum vero ager Argiuus eſt intelligendus in Peloponneſo. Vindicaſſe ſibi Argiuos cum antiquiorem originem, tum deorum munera, Cererisque hoſpitium, repugnantibus Athenienſibus, ex Pauſ. I, 12. p. 34. liquet.

*) Sophocles enim in dramate, quod Dionyſ. Halic. I. 10. et Plin. XVIII, 12 laudant, argumento ſeruiens, inter terras, ad quas Triptolemum cereales fruges circumferre facit, Italiam nominat. Similiter in Siciliam eum delatum eſſe, traditum ab aliis ap. Lactant. ad IV. Theb. Statii 658.

**) Robus a rubro colore, vt πυρὸς quaſi πυῤῥός. Siligo altero a robo loco inter tritici genera memoratur quoque a Colum. II, 6. De tritici generibus ſubtiliter agit *Targioni Tozzetti ſull' Agricoltura Toſcana* (1759) p. 122. ſqq.

***) Plin. XVIII, 8. ſ. 19. add. Colum. l. c. Sollenne hoc eſſe Etruriae agris, vt robus in ſiliginem tranſeat, notat *Targioni Tozzetti* l. c. p. 135.

bant Graeci, qui ſimile genus habebant, σεμίδαλιν *). At totius Galliae, Germaniae, Septentrionalium terrarum, ſiligo eſt propria, contra robus Italiae, Siciliae, Graeciae, Africae **). Non autem ſiliginem ſed robum, proprie dictum triticum, genus archetypum et primum illud, quod cultu hominum proueniret, fuiſſe, inde colligas, quod in locis illis, in quibus primum cultum fuit, in Aegypto, Sicilia, Creta, nullum niſi primi generis triticum prouenit.

Secale noſtrum ſeu *Rogga* multo ſerius in notitiam venit. Plinius id tanquam Alpinis populis proprium frumentum memorat, vt adeo ad eos ex Germaniae verſus ſeptentrionem porrectae oris afferri potuerit; vti etiamnum noſtris terris illud familiare eſt: *Secale*, inquit, *Taurini ſub Alpibus* Aſiam *vocant* (habes noſtrum *Jtſſen*, comedere, pleno ore pronuntiatum) *deterrimum et tantum ad arcendam famem; ſecunda ſed gracili ſtipula, nigritia triſte, ſed pondere praecipuum. Admiſcetur huic far, vt mitiget amaritudinem eius, et tamen ſic quoque ingratiſſimum ventri eſt. Naſcitur qualicunque ſolo cum centeſimo grano:* (ad Italiae ſolum caelumque haec aeſtimanda puta) *ipſumque pro laetamine eſt* ***); vnde ſatis liquere videtur, crebriore mox vſu cultuque meliore amaritudinem huius frumenti fuiſſe mitigatam, cum eam iam nemo ſentiat, niſi forte qui triticeo pani a tene-

*) Galen. de Aliment. fac. lib. I, c. 2. vbi de frumentorum generibus reſpectu ad diaeteticen habito agit.

**) cf. *Tozzetti* l. l, p. 132. ſq.

***) Plin. XVIII, 16. ſ. 40.

ris innutritus fuerit. Si ſecale cereale in Sibiria ſponte naſci liquide conſtaret, a Celticis populis, e quibus coloni Alpes inſederant, in Europam illatum ſuſpicari aliquis paullo calidioris ingenii coniectator poſſit, modo barbaros tam prouide et conſulto migrationes ſuas inſtituiſſe et vna eademque primaque generatione hominum ſuperſtite abſoluiſſe conſtaret, vt, quas in primis ſedibus naſci vidiſſent, herbas frugesque ſecum portaſſe videri poſſint.

Briza Galeno *) tanquam Thraciae et Macedoniae peculiaris ac propria memoratur. Idem eam cum typha, quae, v. c. in Alſatia ſatis frequens eſt, comparat; quibus indiciis aliisque argumentis eam eandem cum *monococco* noſtro **) eſſe colligit Dodonaeus ***); vt adeo brizam paullo maiore cum veriſimilitudine ſuſpicari poſſis a barbaris populis in Germaniam fuiſſe inuectam. *Olyram* Aegypto ſeu domeſticam ſeu familiarem ſupra vidimus; Homero tamen illa quoque memorata eſt ****).

Fabas ſua ſponte naſci plerisque in locis, ſicut ſeptentrionalis Oceani inſulis, quas ob id Fabarias appel-

*) De Alimentor. facult. lib. I. c. 13.

**) *Einkorn.*

***) Stirp. Hiſt. IV, 1, 5. Hiſt. Frug. c. 7.

****) V. Herod. II, 77. Hom. Il. ε, 196. ϑ, 564. pro equorum pabulo. *Olyris coctis* veſcuntur et homines in Mauritania. Anon. Ant. Cpol. I, 1. p. 7. in Banduri Imp. Orient. T. I.

appellarunt Romani, Plinius narrat *); item in Mauritania paſſim ſilueſtrem occurrere, ſed praeduram, et quae percoqui non poſſit. Aegypto certa fabarum genera domeſtica fuiſſe ſatis conſtat.

Legumina apud ſe nata eſſe gloriabantur Pheneatae in Arcadia **), Cereris beneficio ea accepta referentes, excepta faba; (κυαμῳ) quod tamen a noſtris faſeolis diuerſum omnino genus, nobis nunc ignotum, fuiſſe, poſt Dodonaeum affirmat Linnaeus ***).

Quod ſi iam in vnum conferas origines frugum et propagationes, (nam de auena, milio, aliisque frugum leguminumque generibus alio tempore nonnulla monere ſatius erit) nobiliora frugum genera, zeam atque triticum, cultum inter Babylonios, zeam forte etiam inter Indos, accepiſſe probabile fit. Olyra Aegypto domeſtica eſt. Inter Europaeas terras triticum Sicilia, far Italia, hordeum Attica, primae tuliſſe feruntur. Secale Plinii adhuc tempore Taurinis tanquam peculiare frumenti genus tribui, mira ſane res eſt. Cum Taurini, origine quidem Ligures, temporum ſucceſſu cum Gallis fue-

Z 5 rint

*) Plin. XVIII, 12. ſ. 30. Inſulam *Burchanam*, ſeu *Borcum*, in Amaſii (*Ems*) oſtiis ſitam, cum aliis prope adiacentibus, ad Fabarias has referunt viri docti.

**) Pauſan. VIII, 15.

***) Dodon. *de frugum hiſt.* (inſert. quoque Stirp. Hiſt. Pempt. IV.) 2, 1. Linnaeus in *Culina mutata*: *Amoen. Acad.* Vol. V, p. 125. quos omnino conſuluimus, vna cum Celſio in Hierobotanico. et *Manetti delle Specie diverſe di ſromento e di pane* (Firenze 1765. 4.)

rint permixti, vt adeo inter Gallicos populos cenſerentur, debuere ii vtique communem habere hanc frugem cum aliis populis Gallicis ſiue Celticis. Citra Alpes ſaltem et in Germaniae oris ſecale primum ſatum eſſe ſuſpicari fas eſt, quandoquidem in Galliis frumenti genus hoc nunquam in aliquo pretio habitum eſſe conſtat, contra autem per totam Germaniam tradito a patribus cultu eximio et olim exaratum fuit et adhuc exaratur. P. P. d. XVI. Sept. cIↃIↃCCLXVIII.

ACADEMIAE GEORGIAE AVGVSTAE

PRORECTOR

IOANN. CHRISTOPHORVS GATTERER

CVM SENATV

SVCCESSOREM SVVM

PAVLLVM IACOBVM FOERTSCH

COMMENDAT

CIVIBVS

IN A. D. IV. IAN. CIↃIↃCCLXIX.

Abſoluitur diſputatiuncula de frugum ſatiuarum paniſiciique originibus *).

Super *frugum inuentarum temporibus* ratiunculas nuper quasdam noſtras ſubduximus, Ciues amantiſſimi. Expedita itaque nunc et patefacta via eſt, vt ad *frugum inuentarum tractationem*, qua in alimentum idoneum conuerſae ſunt, progrediamur. Hanc autem frugum tractationem ab initiis inde humani generis, diuerſis temporibus, variam admodum ac diuer-

*) V. *Gel. Anz.* 1769. p. 185.

diuerſam fuiſſe. hiſtoriarum monumenta declarant; Neque vlla facile res memorari poſſit, quae, cum primis experimentis aliquam ſui notitiam faceret, longius ab ea perfectione abfuiſſe videri poſſit, quam ſerius ocyus attigit, quam panis conficiendi artificium. Quae quidem res ad illam cogitationem nos adducit, in quam, generis humani hiſtoriis cognoſcendis, et alias ſaepe incidimus. Vti enim ea fere, quae hominibus maxime erant neceſſaria et vtilia, non modo ſine vlla ingenii humani ſagacitate, et caſu plerumque rerumque ipſarum viciſſitudinibus, inuenta, verum etiam ſolo vſu rerumque experientia elaborata, exculta et ad eam abſolutionem perfectionemque perducta videas, quae ſubtiliſſimis mechanices chemicesue theorematibus continetur, quorum tamen ſcientia prorſus vacabat omnis priſca aetas, aut illud certe aeuum, in quo illae res abſolutae ſunt; ita quoque ciborum et edulium tam varia genera, temporum ſucceſſu, et progreſſu inde a fero iſto et horrido agreſtium hominum victu facto, tam multiplici et exquiſita arte, tam accommodate ad corporum noſtrorum valetudinem, ſuccorum naturas, ventriculi et inteſtinorum vires, ad praeſentis porro vitae mollitiem, elaborari coepere, vt ſine multa et chemices, et diaetetices, phyſices etiam omnis, intelligentia eo perueniri potuiſſe neges. Atqui, vt ſine vlla ſcientiae ſubtilitate id effectum eſſe credas, tum alia, mox monenda, tum communis vitae exempla ſuadent. Sed et nouam admirationem facit hoc, et illa cogitatio nos inprimis delectat, quod, cum victus ratio et olim fuiſſet et nunc apud multos populos ſit admodum tenuis et dura, valetudini

tudini corporum infeſta, et modo acrimonia, modo pituitae craſſitudine, modo alui vel tardatione vel reſolutione noxia, vt, ſi nobis nunc tali victu vtendum eſſet, fieri vix poſſet, quin variis mox morbis febribusque corpora noſtra tentarentur; vitae tamen duritie, laboris patientia, vacuitate curarum, continuis per ſiluas ſaltusque diſcurſibus, corpora humana ita roborantur et firmantur, iſtique alimentorum naturae attemperantur, vt eo victu non modo ſine noxa vtantur, verum etiam ſuccos vtiles et incrementa inde viresque ſumant. Quandocunque autem homines ab illa vitae aſperitate recedunt et ad mitius molliusque vitae genus, intra aedium tecta, in vmbra vel ad focum, progrediuntur, vt fractae iam ſellulariis artibus vires victum grauiorem recuſent; tum videas homines quamuis rudes et barbaros naturali aliqua ſagacitate, rerumque vſu, et experimentorum fide, victum ſenſim mutare, mollire, temperare, prauasque vitae rationes eo cibi potusque genere emendare, quod corporum habitudini conſentaneum et ſalubre ſit. Hoc idem quis non miretur in nonnullis victus etiam mitioris generibus vulgo fieri, quae, vt diaetetices magiſtri praeclare docent, viſcera durando, relaxando, inflando, refrigerando aliisque modis pluribus corrumpunt ac debilitant; dum interea indoctum vulgus alia quacunque re, vt alliis, cepis, vino frumentaceo, victum ſuum ita temperat, vt noxae, quam trahere inde poſſet, occurrat. Nec ſane vllum eſt facile cibi genus, quod non aliquo vitio laboret, vel crebro vel ſolum vel intempeſtiue ſumtum; vt de recte tuenda valetudine facile deſperes, ſi Hippocratem, Galenum

num aut Celſum *), aut recentiores diaeteticos ſcriptores inſpicias.

Relicto itaque eo victu, qui ex certis herbarum, radicum, arborumque generibus facile parari poteſt, palmarum ſcilicet, varii generis, arbutorum, glandium quernarum et fagearum, cornorum, mororum rubi **); cum illae arbores victum ſane praeſtare poſſint non nullum, nec tamen ſatis firmum, aut laetius increſcenti hominum multitudini ſupparem; mature vtique ad frumenta et legumina ſemel monſtrata conuerſi ſunt homines. Quod enim diaeteticorum noſtrorum praeceptionibus ſubtiliter declarari ſolet, corporibus noſtris alendis nutriendisque farinacea omnium maxime eſſe idonea, cum ex ſeminum vel granorum pulpa emulſum lac ſuccis noſtris facile ſe aſſimulet, praeter chylum nihil alieni admixtum habeat, omnibusque adeo aliis ſuccis ſalubriter miſceri poſſit: id prima hominum aetas vſu ſcilicet edocta intellexit. Quanquam prima huius cibi initia vix magnam ſalubritatem habere potuere. Grana enim ſpicis vireſcentibus excuſſa, antequam maturitate induruiſſent, cruda deuorabant homines ***). Cum tamen viridis ſeges mox flaueſceret et

*) Hippocratem quidem et Galenum in pluribus libellis; Celſum II, 18. ſqq. Habet tamen et *Arbuthnotus Makenzieusque*, qui noſtro tempore populari dicendi genere vſi his de rebus tradidere, quae meticuloſiorem paullo exanimare poſſint.

**) V. Intpp. ad Aelian. V. H. III, 39. Ouid. Met. I, 103.

***) V. *Goguet Orig. des Loix, des Arts et des Scienc.* To. I, p. 203. ſqq. quem ſequimur, vt tamen antiquitatis rationem curatius habeamus.

et grana indureſcerent, vt eorum duritiem vincerent: ipſa res adduxit, vt aut aqua mollirent aut igni ea torrerent. Et hoc quidem vſtulandarum ſpicarum inuentum praeclarum illo tempore et memorabile in primis haberi debuit *): eo enim facto tota victus ratio multo expeditior et facilior eſſe coepit, cum aridas etiam durasque fruges domare ac facilius glumis folliculisque ſuis nudare ipſaque vſtione iucundum ſaporem conciliare iis didiciſſent. Seruandarum frugum et horreorum prima itidem hinc initia. Facilis quoque iam progreſſus ad tundenda ſaxo et comminuenda grana: Quod quidem mature in eum modum factum eſt, vt pinſita et tuſa grana aqua mollirent pultemque inde confectam pro pane haberent. Hoc ſaxis duobus ſibi illiſis vel pilo factum **). Atque ille torrendorum ſeminum

*) Ouid. Faſt. II, 521. *Vſibus admoniti flammis torrenda dedere* (Farra); *multaque peccato damna tulere ſuo. Nam modo verrebant nigras pro farre fauillas, Nunc ipſas igni corripuere caſas.* Numae inuentum ſeu inſtitutum torrendi farris tribuitur, quem morem vt inter ciues induceret. *ſtatuiſſe dicitur, non eſſe purum ad rem diuinam niſi toſtum. Is et Fornacalia inſtituit, farris torrendi ferias:* Plin. 18, 2. Ea quoque furni inventi tanquam memorabilis beneficii memoriam recoluiſſe videntur, v. Ouid. Faſt. VI, 312. ſqq. fuit tamen furnus ille ad torrenda grana conſtitutus, vt ex eod. loco intelligitur.

**) Et ſic *μύλη* veterum, et *mola, molere, pinſere*, accipiendum. Sic Od. β, 335. *μυληφάτου ἀλφίτου ἀκτή*: ſc. *δωρεὰ Δήμητρος*, ſ. *κριθή*. nam *fracta* eſt *ἀκτὴ* ab *ἄγω*. *fractis granis*, vt bene Schol. λ, 230. Male Euſtath. de fracto pane accipit. Hinc et *ἄλφιτα* ſimpliciter memorantur, vbi hordea tunſa et fracta intelligenda ſunt: ita in itinere portata vtribus condita: v. Odyſſ. β, 290. 291. 354.

num cerealium mos diu admodum in Graecia pariter atque Italia manſit; etiam, poſteaquam meliori frugum tractandarum rationi priſca imperitia ceſſerat, mentionem tamen eius paſſim fieri videas, primum quando de populis barbaris narratur, inter quos etiamnum paſſim toſtas fruges, vti Zeam Mays torridam, pro victu eſſe vides, tum in ſacris et religionibus. Scilicet, vt hoc nunc in tranſcurſu attingamus, tota religionum et ſacrorum faciendorum ratio, inter Graecos ſaltem et Italos, ex vita illa rudiore primorum hominum petita aut verius retenta eſt. Vt feſta taceamus, quae tota ad vitam antiquam repraeſentandam et memoria recolendam erant inſtituta; in toto ſacrorum genere ritus ac caerimoniae ex vita primorum hominum erant ſeruatae, et omnia, quae tum ad honorem regibus vel principibus viris praeſtandum fieri erant ſolita, ad ſacrorum honores translata; vnde fluxere porro epulae ſacrae et choreae; et inprimis multa in Homero, plurima in antiquis operibus, hinc declaranda veniunt. Etſi itaque iam dudum frugum commode tractandarum et in panem conuertendarum vſus increbuerat, moris tamen veteris torrendi grana et ſaxo tundendi veſtigia in ſacris manſere; et ſi, ſi quidem hoc recte animaduertimus *), inter Graecos multo magis integrae

*) Ita certe difficultatibus multis expedias viros doctos cum in *mola ſalſa* tum in *οὐλοχυταῖς* explicandis; quanquam *οὐλοχυταὶ* tantum ad antiquiora tempora, vti Homerica, referri poſſe videntur. Nam ſequior aetas *ψαιστὰ* memorat, h. fruges *ἐψαισμένας*, mola fractas; nomine tamen eodem et farinam oleo vel vino mixtam et liba ſacra appellarunt. v. Porphyr. de Abſt. II, 6. Suid, Heſych. in *ψαιστὰ* et V. C. Ruhnken.

tegrae ac ſolidae fruges offerebantur, inter Italos autem tuſae et ſaxo fractae, quod ipſum antiqua lingua *molere* dictum videtur; vnde, ſale adſperſo, *molae ſalſae* nomen venit; at Graecorum *ουλοχυται* *). Tan-

ken. ad Tim. p. 197. *Mola* vtique antiquitus debuit eſſe *fruges tuſa*, et vt facilius pinſi vel tundi poſſet, fricta ac toſta. In Romanis autem ſcriptoribus quotiescunque mola ſalſa occurrit, *farris* intelligenda eſt; hinc poetae pro ea, *farra ſalſa*, vt Ouid. Faſt. III, 284. vbi duo libri *farra fracta*; vnde Heinſ. *fricta* coniiciebat. Ad Numam auctorem non modo religionem, verum et ipſum inuentum torrendae frugis Hemina referebat apud Plin. XVIII, 2. id quod ſaltem ad antiquitatem moris adſtruendam valere poteſt. Toſtas fruges in SS. litteris memoratas hic poſt alios repetere non vacat; v. Celſium Hierobot. P. II. p. 231. et poſt hunc alios. Illud monere vtilius videtur, quod in *conſarreationis* ritu farreus panis adhibitus non tam domeſticae vitae ſymbolum praeſtitiſſe; quod quidem vulgo tradunt, forte ita Dionyſium interpretati lib. II, c. 25; quam Laribus potius placandis, quibus antiquo etiam more liba farrea offerebantur, appoſitus fuiſſe videtur.

*) *Οὐλοχύται*, h. *κριθαὶ οὖλαι* ſ. *ὅλαι*. v. loc. nobiliſſ. Schol. vet in Il. A, 449 et Suidas in *οὐλοθετεῖν*. Ex vtroque loco firmatur id, quod poſuimus, ex antiqua vita integras fruges in ſacris, vt conſecrandae et humanis vſibus eximendae victimae inter cornua ſpargerentur, fuiſſe ſeruatas. Reliqua ſcilicet vita victum e frugibus molitis meliorem recepit; at in ſacris mos antiquus manſit. Igitur ſacrificii religio in his populis iam ante vitae cultum emendatiorem quin fuerit inſtituta, quis dubitet? *Hordeum* autem Graeci in ſacris retinuere, quoniam ea prima frugum Cerealium per Graeciam fuerat. Neque ſerior Graecia ab eo disceſſit. Sed tenendum eſt, ſub mitiore caelo *hordeum eſſe melioris naturae et indolis.* Vtque auenis noſtris auſtrales plagae carent, ita fere bono hordeo abundant, quod

Tandem torrendarum frugum vſus in ea tempora, quibus iam dudum mola frangere et in farinam convertere frugem didicerant homines, in nonnullis frugum generibus ſeruatus eſt etiam ea de cauſſa, vt tanto facilius folliculis ſuis excuterentur ſemina *).

Forti ac valido ventriculo opus fuiſſe dicas ad concoquendas fruges pinſitas et vix ſatis decorticatas. Enimuero ferreos non minus ſtomachos fuiſſe dixeris iis, qui fruges illas rudi opere molitas, furfure necdum ſecreto, aqua mollitas et in pultem verſas, pro quotidiano cibo haberent. Farinacea cruda quantos in inteſtinis cruciatus et tormenta excitant, etiam ſi aliis ſuccis temperata! Sunt tamen gentes paſſim per Africam et Americam repertae, quae elaboratius cibi genus nouerant nullum **; et Graecis aeque ac Romanis per multa ſaecula victus

quod adeo *equis muliſque* praebent, vti iam Homeri aeuo factum videmus: *κρῖ λευκὸν ἐρεπτόμενοι παρὰ φάτνῃ.* Sic de Corſica nuper traditum vidimus a Boſwello *Account of Corſica* p. 48. *There are no oats here, as indeed hardly ever in any of the ſouthern countries. They give their horſes and mules barley.* Neque aliter in Palaeſtina. v. Celſ. in Hierobot. II. p. 241. Apud Homerum etiam triticum equis praebitum cum olyris. Il. κ, 569.

*) v. Virgil. Ge. I, 267. et ib. Interpp. Aen. I, 179. et ib. Serv. Inprimis autem *far* tali cura opus habuit; vnde Ouid. Faſt. I, 693. *paſſuraque farra bis ignem.* Plin. XVIII, 7. ſ. 10, 7. *far, milium, panicum, purgari niſi toſta non poſſunt.*

**) *Frezier Voyage de la Mer du Sud* p. 116. cf. *Goguet* l. c. p. 211. et p. 208. qui Kalmukorum exemplum memorat.

ctus fuit alius nullus. Haec enim illa *puls*, quam milites in plures dies parare interdum iuſſos videmus; hoc αλφιτον et μαζα *). Αλφιτον quidem res Graecis patria et peculiaris, ex hordei torrefacti et pilo vel mola tuſi farina factum, cumque ab initio panis vicem praeſtitiſſet, mox pane inuento inter edulia tamen vulgo grata nunquam non habitum eſt **). Artis ſcilicet aliquantum in parando acceſſerat.

 Multa

*) Quanquam μάζα etiam latius pro pane, placenta, polenta. v. Suidas in h. v. Etymol. M. et Heſych. cf. Wedel. Exercitt. medico philol. Dec. VII. Exerc. X. de Maza Hippocratica ἐξ ἀλφίτων, adeoque ἐκ κριθῶν, vt Hippocr. de vet. medic. c. 8. t. 8. Verum iam Homer. Odyſſ. υ, 108. ἄλφιτα τεύχουσαι καὶ ἀλείατα. illa ex hordeo, haec ex tritico: vt Schol. et Euſt.

**) Imitatione ἀλφίτου Romanorum *polenta* confici coepta. Enimuero hoc iam artis piſtoriae opus huc non ſpectat v. Plin. XVIII, 7. ſ. 14 Sed de antiquiore illa vel farina vel confecta inde pulte accipiendum v. c. cum inter militarem apparatum πεφρυγμέναι κριθαὶ et ἄλφιτον memoratur, Thucyd. VI, 22. ἄλφιτον in potione ab Hecamede Neſtori et Machaoni parata Il. λ, 639. illa miſcuerat vinum, caſeum tritum, et hordeum toſtum ἄλφιτον. Circes κυκεὼν factus erat ex caſeo, farina, melle et vino. Odyſſ. λ, 234. ſq. Et cum proverbium οὐδὲν πρὸς τἄλφιτα in vſum veniret, pro communi adhuc cibo ἄλφιτον eſſe debuit. Ceterum de *fractis hordeis* ἄλφιτον proprie dictum tradunt etiam Etymol. M. diſerte in h. v. Heſych. in ἄλευρα (haec enim de reliquis farinarum generibus dicuntur) Euſtath. in locis a Deuar. laudatis. Νέας κριθῆς eſſe ἄλφιτον Heſychius et Suidas tradunt; ſed ipſe locus, qui ab hoc laudatur, nullam fidem facit. *Toſtum* et *vſtulatum hordeum*, vt melius frangi poſſet, proprio nomine κάχρυς appellatum: v. Schol. Ariſtoph. Nub. 1361. Heſych. in καχρυδίων et ib. Viros doctos; ſin vero eſſet *viride*, et *toſtum* tuſumque, ſeu toſtum ſaltem, τὰ χίδρα,

Multa adhuc reſtabant, quae vſus docere debuit, ante quam panis coquendi ratio ſeſe offerret. Pinſendi ſeu molendi inſtrumenta, vti inter veteres nunquam ad noſtrarum molarum praeſtantiam fuere elaborata, ita ad aliquam tamen artem comparata eſſe debuere *), vt in puluerem, quem farinam appellamus, redigeretur lactea illa ſeminum pulpa, quae bonum panem praebet. Seiungendi *furfuris* erat excogitanda ratio; etiam antea, *vannum* frugibus purgandis qui primus inuenit, quanto homines beneficio affeciſſe ille putandus eſt? Recte igitur in omnibus Bacchi Cererisque ſacris, in quibus priſcae vitae memoria recolebatur, vannus inter ſacra inſtru-

χίδρα, de quibus v. Heſych. h. v. et Caſaub. ad Athen. p. 923. qui minus bene de tritico proprie dictum volebat, cum Alexandrinos Intpp. vnice ſequeretur. Quatenus porro fracta femina vel molita *aqua coquebantur*, et ſic ad quotidianum cibum apponebantur, δαισάνη dicta eſt; quae vox deinde ad certum pultis genus translata eſt: v. Etymol. M. et Suidas h. v. Ad plura veterum loca intelligenda haec notaſſe operae pretium eſt. *Pultem* autem Italis propriam fuiſſe e Plinio conſtat XVIII, 8. ſ. 19. *videturque tam puls ignota Graecis, quam Italiae polenta.* Nec mirum, cum Graecia hordeo, Italia farre victitaret, quod tuſum et aqua maceratum *puls* erat. Manſiſſe etiam huius antiqui cibi veſtigia in rebus ſacris deprehendas. *Saxum — quod mea cum vetulo coluit puls annua libo.* Iuuen. XVI, 39. Ferebat enim (v. Plin. l. c.) religio, vt certis numinibus puls offerretur; et quod pullis non panis ſed puls obiecta legitur, ad auſpicium capiendum, ab iisdem temporibus petendum eſſe videtur.

*) Vt in plerisque aliis rebus vita in Oriente multo maturius fuit exculta, ita molarum, manuariarum certe, vſus Aegyptiis, Iudaeis, aliisque ſine dubio populis, diu ante Graecos fuit frequentatus.

ſtrumenta in pompa ducta eſt *). Sed *fermenti* adhibendi curam et artem quam multis illam inprimis experimentis comparatam eſſe putabimus? Pulte quidem frigida diu homines vſos vix probabile fit; quin paullo poſt ſalubriorem eſſe calidam intelligerent. Quo facto aut iuſculi loco ſeu pultis, aqua affuſa, ſorbere **) eam, aut carnem in ea pro pulmento coquere ***), aut in tenuia cruſtula explicitam ſuper teſta vel lapide, vel lamina ferrea, frictam deuorare debuere. Nihil itaque mirum, ſi, ne aceſceret panis ille ſeu libum ſeu puls, non niſi quantum in diem vel in coenam ſatis eſſet, coctum fuit. Fermenti proprie ita dicti, ſeu paſtae, cuius varia genera veteribus ****) erant nota, vſum caſus haud dubie monſtrauit; qui docuit et illud, vt fermentatus iam panis mature igni admotus coqueretur, ne farina tota in acorem abiret aut deliqueſceret et difflueret, verum vt, fermentatione mox coercita, poſtquam humores nimios aquoſos et viſcidos corporibusque inimicos expuliſſet, glutine attenuato, mucilaginem farinaceam raram et molliculam indueret.

*) Hinc Ge. I, 160. *myſtica vannus Iacchi.* vbi v. Intpp. cf. Porphyr. de abſt. II, 6. p. 111.

**) Forte Homericum illud: *ἄλφιτα λευκὰ πάλυνεν*, cum caro aſſata in menſa apponeretur, aliud nihil eſt, quam puls, qua obducebatur caro. v. Odyſſ. ξ, 77. Il. σ, 560. et in re ſacra Odyſſ. ξ, 429.

***) Quale Indorum *Sagamita*, puls, interdum cum pulmento ex Zea *Mays*. In Achillis clipeo meſſis Il. σ, 560. *αἱ δὲ γυναῖκες δεῖπνον ἐρίθοισιν λεύκ' ἄλφιτα πολλὰ πάλυνον.*

****) V. Plin. XVIII, 11. ſ. 26.

ret. Quanta autem fermenti particula ad acorem ſalubrem eſſet neceſſaria, quae temporum interualla obſeruanda, quae ſubigendae farinae ratio, vt aſſidua tractatione permiſta elementa farinacea arctius cohaereſcerent, quanto opus eſſet calore, quae alia eſſent obſeruanda, vt panis delicatior et mollior cinere prodiret, innumeris forte experimentis magnisque detrimentis eſt intellectum. Antequam *furni* vſus repertus eſt, cinere calido et feruente teſta *) focoque (ἐσχάρα) non indiligenter vſi erant veteres. Quod ſi cogites, non mirum videbitur, veterum hominum panem placentae potius formam habuiſſe vel libi; cum multo facilius ita igni domari, et percoqui poſſet. Quae facilis et expedita ratio, inprimis ante quam fermenti vſus habebatur, etiam induxit forte, vt panem non coquerent niſi ſub coenae tempus. Et ſic adhuc Arabes aliique populi; qua de re ſatis copioſe Goguetus.

Sed ex quo res eo fuit deducta, vt fermenti, furni ceterarumque, quas memorauimus, rerum notitiam haberent homines, nullum facile panis coquendi artificium veteribus defuit. Quaecunque enim ex variis frumentorum generibus, multiplici farinae conficiendae, miſcendae, ſubigendae, modo ac ratione, coctione remiſſiore, vehementiore, ſimplici, repetita, in cinere, clibano, furno, obelo, ſuper craticula, in prunis, et ſic porro, eſſe poſſunt pa-

*) V. Seneca Epiſt. XC. *Tunc farinam aqua ſparſit* etc. in loco Poſidonii, qui primos homines philoſophica aliqua ſagacitate in panis coquendi rationem incidiſſe crediderat.

panum varietates et diuerſitates, apud veteres paſſim *) memorari videas. Adde formas panum innumeras: vt eſſet latus, rotundus, raſilis, tortilis, buccellatus, ſpiratus. Inprimis miſcere farinam amabant cum variis ſeminibus, papaueris, ſeſami, lini, cum melle, vino, oleo, butyro, oui luteo, caſeo, carne, vnguentis — Nec dubitamus quin, ſi quis haec, quae ab antiquariis copioſe tradita ſunt, curioſius excutiat, nonnulla in iis reperturus ſit, quibus noſtrae aetatis res piſtoria iuuari ornarique poſſit.

Atque haec quidem, quae et ipſo argumento omen habere videri poſſunt ſub ipſa noui anni exordia, quid enim laetius ac fauſtius haberi poteſt ipſis frugibus ſatiuis ciborumque affluentia, more veterum ad delibandas artes noſtras, *Totus ab auſpicio ne ſoret annus iners*, diſputata ſunto. Indicenda rite nunc ſunt ea ſollennia, quae, ſeruato ab ipſis inde Vniuerſitatis noſtrae incunabulis more, inter anni vertentis auſpicia redeunt, et ipſa quaſi fauſti rerum decurſus laeta praebent auguria. Exacto enim feliciter magiſtratu academico ſemeſtri, qui cum alia fauſta et laeta tum hoc memorabile habuit, quod et nuper Sereniſſimum Ducem Brunsuic. Ferdinandum, et ante paucos dies Regem Daniae Potentiſſimum coram adorare licuit, transferentur inſigna in

 PAVL.

*) V. Plin. XVIII, 11. ſ. 27. Athen. III, 25. p. 109. ſqq. Pollux lib. VI. ſ. 32. ſqq.

virum ſumme reuerendum, et fide, ſanctitate ac religione ſua, hoc magiſtratu iam ante aliquot annos geſto, ſatis vobis, Cariſſimi Ciues, ſpectatum atque probatum. Nec veremur, ne quisquam veſtrum a rebus noſtris aut ſit tam alienus, aut noſtri tam parum ſtudioſus, quin magiſtratus ſuſcepti auſpicia bonis verbis ominibusque proſequatur. Expetere tamen hoc ipſum quicquid eſt officii accuratiſſimis precibus non recuſamus, vosque, Ciues amantiſſimi, cum maiorum tum propria virtute, ingeniisque florentiſſimi, inque his vos, Iuuentutis Principes, Comites illuſtriſſimi, vt pompae in templum Academicum procedenti agendisque rebus ceteris fauentes beneuolique intereſſe velitis, humaniſſime rogatos eſſe volumus. Status eſt ſollennibus dies in a. d. II Ianuarii. P. P. Kal. Ian. cIↃ IↃ CCLXIX.

⁂ ⁂ ⁂

Diſputationis huius de frugum ſatiuarum et panificii originibus, quam, tanquam in tenui et vili argumento occupatam, tum, cum ſcripta eſſet, bene memini a multis cum irriſione exploſam, magnos tuli fructus, cum quaeſtiones ex antiquitate repetitas cum vtilitate ad vitam communem agitari poſſe agitatasque illas viris in diſciplinis grauiſſimis verſantibus probari, hoc exemplo intellexiſſem. Ad viri quoque ſummi, b. de Haller, amicitiam primos aditus mihi illa fecit, quocum inde mihi multarum curarum, officiorum ſtudiorumque fuit coniunctio. Monuit etiam ille nonnulla ſuper frumentorum generibus et naturis, paulloque poſt ea re adductus ipſe diſputationem

nem inſtituit, qua *genera, ſpecies et varietates cerealium* recenſeret; (Serm. I. in *Novis Commentariis Soc. R. Scient. Gotting.* To. V. Serm. II. in To. VI.) Nec vero dubito quin vir doctus, plantarum cognitione ſubtili et oeconomicis ſtudiis vſibusque inſtructus, multa melius conſtituere poſſit, quam a me factum eſſe potuit.

Opinioni a me propoſitae, cum primam frugum ſatiuarum patriam cultusque originem in Babylonia quaererem, tanquam in ea regione, in qua primum homines inde a diluuio Noachico facto ad meliorem vitae cultum peruenire potuiſſent, non tantum tribuo, vt, quicunque aliter ſtatuat, eum allucinari putem; nec tamen eam inter ea, quae aliter ab aliis ſtatuantur, laude ſua carere, hoc eſt, probabilitate ſua deſtitui, arbitror. Scilicet moneri aduerſus eam poteſt, agri colendi adeoque frugis ferendae rationem iam ante diluuium illud viguiſſe. Redit ita res ad eam quaeſtionem, quanam in terrarum parte priores illi homines vixerint. Quodſi inter Indum et Gangem illi ſedes ſuas habuere, vnde verſus occidentem progenies progreſſa eſt*): domi quidem

Aa 5 aliud

*) Adſciuit hoc in ipſis hiſtoriae veteris tradendae elementis Ill. Collega, *Gatterer.* Ad Indiam prima hominum incunabula reuocarunt et alii, Voltarius quoque, ſed aliis de cauſſis, aliis argumentis, ſpecioſis ſed commentitiis: at grauioribus momentis Pallas, V. Cel. cum in Sibiriae planitie, quippe editiore omnibus ceteris terris, media Africa excepta, adeoque ſemper a pelago intacta relicta, prima animantium et plantarum incunabula quaerenda eſſe docuiſſet, generis humani origines terris conualloſis, verſus auſtrum ſubiectis, aſſignauit: *Obſſ. ſur la formation des Montagnes* etc.

aliud frugum genus, oryzae inquam, aliamque adeo agrorum culturam illa habuerat, vt vel ſic in iis regionibus, in quas immigrauerat, fruges, quae in iis ſponte naſcebantur, inueſtigandae, ſatione mitigandae, et annuo cultu reparandae fuerint. Manetque adeo, primo in Babylonia, tanquam terra ei conſilio omnium maxime idonea, factum illud videri; quemadmodum ab iis quoque ſtirpibus, tribubus et populis, qui ad vlteriores terras proceſſerunt, cum aut obliuione aut ignoratione ſuperioris aeui ad barbariem vita declinaſſet, in pluribus locis alia herbarum, graminum, interdum et fruticum ac radicum eſculentarum genera, iis locis domeſtica ac ſponte nata, cultu tentato emendanda fuerunt.

Enimuero quid faciemus nouis generis humani originibus ab Atlantibus repetitis? ſiue cum acutiſſimo viro, I. Silv. *Bailly* in ſeptentrione Aſiae circa Selinginſkoi aut in ipſa Noua Zembla eas quaeras; ſummi viri, Comitis de Buffon, fere exemplo, qui ſub ipſo polo Arctico incunabula generis humani collocare maluit (*Supplem.* To. V.); ſiue cum ingenioſo Gallo, *Hiſtoriae nouae* (et quam vere nouam ille eam dixit! nouo modo excogitatam ſcilicet) *generis humani* auctore, in Caucaſiis iugis primas iis ſedes aſſignes, vnde progreſſi partim in Africam, partim in Aſiam, eamque ſeptentrionalem, primo loco migrarint. Ita ſane frugum inuentarum laudem iisdem Atlantibus deberi fatendum eſt. Iugulat tamen hanc praeclaram narrationem hoc, quod nulla hiſtoriae fides ei ſubeſt. fundus autem cui ſubnititur, ex Platonis Timaeo ac Diodoro petitus, prorſus commentitius et manifeſte fabuloſus eſt. Verum diſputavit

vit de his ſubtiliter et docte deſideratiſſimus noſter Hiſmann, in animaduerſionibus ad germanicam verſionem portentoſae iſtius hiſtoriae *).

Linnaeanam rationem, quae forte ceteris praeiuit quamque *Bailly* V. C. cupide amplexus eſt, eodem modo, quo a me factum erat, refutarunt multi: etſi enim in dubitationem vocari nequit **), frumentum ſponte naſcens in Sibiria paſſim reperiri, ſatis tamen conſtat, eſſe eas reliquias antiquae culturae, quae non vno loco iis in terris fuit, etiam inter Ruſſos colonos, qui nunc illa loca reliquerunt; frumentum autem ſatiuum mox ſine cultu ſponte renaſci nemo nunc dubitat ***). Omnino totum illud iudicium valde lubricum eſſe ex eo quoque patet, quod in aliis quoque terris fruges ſilueſtres paſſim deprehenſae: reliquiae ſcilicet ex meliore cultu ſuperiorum ſaeculorum. Ita hordeum et auenas ſponte naſcentes in Sicilia reperiri docuit me priuatis olim litteris b. Hallerus; poſt haec idem traditum vidi ab

Ill.

*) *Hiſtoire nouvelle de tous les peuples du monde* — ou *Hiſtoire des hommes 1780.* — *Neue Welt und Menſchengeſchichte* — *aus dem Franzöſichen mit Zuſätzen und Anmerkungen verſehen von Mich. Hiſmann 1782.* In primo volumine Atlantum hiſtoria commentitia exponitur et praeclare refellitur ab viro hoc doctiſſimo. Multa ille iam antea expoſuerat, in *Recenſſ. noſtris litt. 1780. Zugabe p. 600.* ſqq.

**) Id quod a Gallo *Hiſt. nouae hum. gen.* factum reprehendit Hiſmann in To. I. p. 230. ſq. item in *Gel. Anz. 1780. Zug. p. 605.* laudato quoque pro teſte *Witſen*; at de Baſchkirorum agris non ita vere traditum id eſſe, docuit *Pallas V. C. Nordiſche Beyträge* II. *Band. p. 357.*

***) Cf. de Haller de Cerealib. To. VI. Nov. Comment. p. 11.

Ill. de Riedeſel*). Auenae agreſtes occurrunt in Arabia; triticum agreſte in Islandia. Triticum ſilueſtre frequentiſſime in Creta repertum ſub *Agrioſtari* nomine deſcriptum videas in Epiſtolis Honorii Belli ad Car. Cluſium**). De tritico ſponte in Siciliae ſolo emicante nuper quoque teſtimonium dicere voluit *Houel****). In inſulae Madagaſcar parte auſtrali, relicto a Gallofrancis agro ſubter Caſtello Delphini egregiae adhuc tritici ſpicae naſci inter herbas feruntur****). In alia prorſus diſcedit Ill. Comes *de Buffon*, qui cum alio loco, qui nunc memoria excidit, tum Supplem. (To. V. p. 249.) omnino negat vsquam frumentum agreſte reperiri.

Triticum in Babylonia ſeri ſolitum *Zeam Mayz* (frumentum Indicum ſeu Turcicum vel Mayz vulgo appellant) fuiſſe, vt ipſe olim in eum errorem incideram, nuper quoque ſuſpicatus eſt ingenioſus *Court de Gebelin.* *****) Scilicet narrat Herodotus (I, 193.) tritici iis in agris tam luxuriantem eſſe fertilitatem, *vt quaternum digitorum latitudo ſit foliis.* Id quod ſane melius *Zeae Mayz* conuenire videri poteſt. Quod ſi veritatem hoc habet, perperam ſtatui neceſſe eſt, hanc frugem ex America eſſe deportatam. Si tamen iſti ariolationi praeſidium non ſuppetit aliud, idque grauius, ſtare illa haud poteſt. Nam non

*) *Reiſe durch Sicilien. p. 79.*

**) P. CCXII. ad calc. Rarior. Plantar. Hiſtoriae. Antwerp. 1601. p. CCCXII.

***) *Voyage pittoresque de la Sicile* Nro. VIII.

****) *Voyages d' un Philoſophe. p. 24.*

*****) *Monde primitif.* To. VIII. p. 6.

non modo tritici, verum eandem hordei quoque vbertatem praedicat Herodotus iisdem verbis: τὰ δὲ φύλλα αὐτόθι τῶν τε πυρῶν καὶ τῶν κριθέων τὸ πλάτος γίνεται τεσσέρων εὐπετέως δακτύλων. Addit idem milii et ſeſami frutices ad arborum magnitudinem excreſcere. De confuſo tritico-zea cum altero frumento mayz, cui a Linnaeo nomen zeae impoſitum fuit, ſaepe monuit b. Hallerus *).

Quam eodem loco (p. 342.) Beroſo lectionem reſtitui γόμας pro γόγγας, in animum reuocat nomen certi generis frumenti farinacei Mingreliae *Gom* appellati: eſt tamen illud milii potius genus, vt intelligas ex Chardino **).

Simile nomen, ſed diuerſiſſima planta eſt Perſarum *Hom*, quam Plutarcho memoratam (de Iſ. et Oſ. p. 369. E. Ὅμωμι) non aliam eſſe quam amomum, praeclare docuit ſagaciſſimus vir, *Anquetil du Perron*, in illuſtratione Zendaueſtae inſignibus auctibus edita a V. Cl. Kleuckero: (vbi v. Supplem. Vol. I. P. I. p. 121. ſqq.)

Praeter Athenienſes et Siculos videas apud Diodorum (lib. V, 69. et 77. p. 393, 90.) *Cretenſes* fru-

*) Zeam Mayz fama vetus inter Senegas et Onondagas in montium Alleganny iugis haud procul a cornu orientali fluuii Susquahannah (mons Onuga rexnao dictus) primum repertam fert, vna cum tabacco et cucumerum genere (*Squashes and pompions*); narrante F. D. Smyth *a Tour in the united States of America.* To. II. p. 407. 8.

**) *Chardin Voyage en Perſe* To. I. p. 57. *Imirette* easdem meſſes facit: *Buſching Wöch. Nachr. 1779. St. 49. p. 390.*

frugum initia ſibi vindicare; ſed totus locus deſcriptus eſt ex ſtolido aliquo ſcriptore, qui Cretae omnium rerum, deorum quoque, origines vindicabat. Qua de re in commentatt. Reg. Soc. Sc. To. VI. actum. Accedit ad fabulam nomen Iaſii ſeu Iaſionis a Cerere amati; etſi is ab aliis ad Samothracen reuocatur: (v. Odyſſ. E. 125. vbi v. Schol. et Euſt. cf. ad Apollod. Not. p. 736.

Hordeum, melioris tamen in Graecia Aſiaque generis *), vulgaris cibi loco habitum apud Graecos, non modo ab Athenienſibus. Habitum quoque illud (tanquam antiquiſſimum in cibis: Plin. XVIII, 7. ſ. 14.) omnino pro primo frumento inuento **). Verum refugi apponere ea, quae ex vulgaribus antiquitatis Graecae Romanaeque libris nota eſſe poſſunt. Itaque nec ad artem molendi, eiusque incrementa et molendinorum inuentum deſcendi; qua de re cum antea duae Proluſiones extarent b. Ayreri anni LXXII. actum nuper eſt multo curatius a doctiſſimo Collega Io. Beckmann ***).

*) Melius hordeum, grandioribus granis, in noſtras quoque terras illatum meminimus ſub Turcici nomine: *Hannov. Magaz. 1769. p. 47.*

**) Sic Artemidor. I. Onirocrit 71. *ἄρτοι κριθινοὶ, πᾶσιν ἀγαθοί. πρώτην γὰρ τροφὴν ταύτην ἀνθρώποις δεδόσθαι παρὰ θεῶν λόγος ἔχει.* Add. Porphyr. de Abſt. II, 6.

***) *Beyträge zur Geſchichte der Erfindungen* II. B. 1 St. Add. *Le Grand d' Auſſy Hiſtoire de la Vie privée des Français.* To. I. p. 33. ſqq.

ACA-

PARENTALE SACRVM
IN HONOREM AC MEMORIAM
MVNCHHVSII
VIRI VIRTVTIBVS FACTIS MERITIS DE RE CIVILI ET LITTERARIA IMMORTALIS

GEORGIAE AVGVSTAE

SVB REGIIS AVSPICIIS FVNDATORIS PER XXXII ANNOS

CVRATORIS NVTRITORIS CONSERVATORIS

PIETATIS CAVSSA

IN A. D. XXVIII. DEC. CIↃIↃCCLXX.

RITE INDICIT

ACADEMIAE GEORGIAE AVGVSTAE

PRORECTOR

GEORG. LVDOV. BOEHMER

CVM SENATV *)

Luctum noſtrum, Ciues, et dolorem animorum acerbiſſimum, quandoquidem eum per ſuperiores dies vultu, oratione, veſte quoque mutata, ſatis cognouiſtis, vt operoſe vobis exponamus cauſ-ſas-

*) Ante hanc ſcriptionem exierant, poſt ſuperiorem de inuentis frugibus, ſectio altera *de LL. Charondae fragmentis* in a. d. XVII. Septemb. LXIX. tertia in a, d, II, Ian. LXX et quarta in XVII, Septemb. LXX. Se-

ſasque diligenti oratione enucleemus, nec neceſſe eſt, et, vt multo minus neceſſe ſit, veſtra facit humanitas, veſtra pietas. Nam et in grauiſſimo caſu noſtro nobis adfuiſtis, alloquiis et veſtri doloris ſignificatione dolorem noſtrum alleuaſtis, et vero etiam vos intelligere eſtis profeſſi, etſi magna veſtrum pars communem hanc patriam non habet, neminem tamen eſſe, qui non calamitatis noſtrae et ſocietatem et ſenſum ad ſe pertinere arbitraretur; qui enim toti Germaniae orbique litterario vixerit, eum omnibus deſiderabilem mori debuiſſe, et commune nos cum multis bonum deflere, dum proprium ereptum moerere videamur; vt adeo, tanquam in domeſtico luctu, quod dolendum et lugendum putaret quisque, haberemus omnes. Nunc etiam, cum honores funebres ac ſollennia parentalia indicimus, facimus id, quod dudum ſermonibus veſtris requiri et expeti audiuimus; vt tanto clarius nobis appareret, in declaranda hac ac teſtanda publice pietate noſtra, cum animorum affectum officiumque ſequimur, nihil nos ſuſcipere, nihil exſequi, niſi quod omnium hominum conſenſu ac voce a fide noſtra ac pietate flagitetur.

Sed nec ciuium modo ac familiarium, verum etiam exterorum animos et cogitationes in nos eſſe conuerſas intelligimus; quorum plurimi aut grata memoria officioque ſuo erga Georgiam Auguſtam, nutricem et magiſtram ſuam, excitati, aut humanitatis

Sequentur illae *Volumine altero* cum reliquis commentationibus *de Magnae Graeciae ciuitatibus et earum legibus inſtitutisque.*

tatis ſenſu, communi litterarum amore, et MVNCHHVSIANI nominis caritate permoti, intentos in nos habent oculos, vt intelligant, quales in officio, ſide ac pietate perſoluenda futuri ſimus erga Eum, cui ſumma quaeque, cui omnia noſtra bona, commoda, ornamenta, cui tantum, quantum parentibus quisque ſuis, quantum patriae omnes, debemus. Alii, qui felicitatis noſtrae magnitudinem fortunae, qua ipſi vtebantur, comparatione intelligebant; vt magna felicitas interdum ab iis maxime intelligitur, quibus ea negata eſt; quum, ſi ſibi tanta bona conceſſa et mox erepta eſſent, intolerabile eorum deſiderium fore videant, doloris noſtri magnitudinem ſuo ſenſu metiuntur. Quid? quod etiam illi, qui laetarum noſtrarum rerum inuidia olim aeſtuabant, nuncque vel maligne noſtram vicem dolent vel manifeſto gaudio calamitati noſtrae inſultant, iidem inſidioſe nos obſeruant, vt, quod magno emant, habeant, quo nos tantae proſperitatis fructu indignos vel ex patientia, qua ſublati eius auctoris deſiderium feramus, arguant.

Tantum igitur abeſt, vt luctus noſter ac dolor excuſandus, aut vt, ne nimius ille videatur, reprimendus ſit, vt potius verendum ſit, ne moderatione eius et attenuatione nemini facile, non dico pietatem, ſed ne fidem quidem noſtram et honeſtatem, approbemus, ne ei quidem viro, votis noſtris deſideratiſſimo, qui Regiis auſpiciis rerum noſtrarum curam eſt ſuſcepturus. Eam enim fecimus iacturam, quam ſemel tantum pati, ſemel perferre potuimus. Patrem enim quisque ſuum ſemel lu-

gere; Conditorem ſuum ſemel amittere poteſt respublica.

Eſt adeo, inter grauiſſimas aerumnas noſtras, ſi non in felicitatis parte ponendum, miſeriae tamen deminutio aliqua habenda, quod dolorem noſtrum omnibus bonis facile approbamus, quod, quoscunque calamitatis noſtrae teſtes, conſcios, auditores; eosdem moeroris noſtri ſocios habemus, quodque tandem, quae res in magna triſtitia dulcedinem habere ſolet, luctui noſtro libere indulgere, eum vultu, voce, lacrimis teſtari poſſumus.

Sunt vero, quoniam eloquendum tandem eſt, quod effari iamdudum mens dolore aegra refugit, ſunt in MVNCHHVSII, Immortalis Viri, Curatoris noſtri, Nutritoris ac Parentis deſideratiſſimi, nomine et memoria grauiſſimi moeroris cauſſae tot ac tantae, vt vel in domeſtica calamitate, in cariſſimorum funere, clades funeſtior, luctus acerbior, accipi nequeat. Quem enim, optimi Juuenes, vos atteſtamur, in quorum animis naturae integritas et affectus veritas nullum adhuc opinionis fucum traxit, quem omnium vobis acerbiſſimum putatis caſum accidere poſſe? Parentis quisque noſtri (abſit omen!) dicetis obitu. Atqui nos communem omnes, eumque optimum indulgentiſſimumque parentem, Georgiae Auguſtae et Litterarum parentem, amiſimus —

Sed in hac quidem communi noſtra orbitate tanto maiorem miſerationem fortuna noſtra habet, quod

quod opem et ſolatium fruſtra quisque ab altero petimus. Quotus enim quisque noſtrum eſt, qui non idem querelae ius cum ceteris ſibi vindicet omnibus? qui non beneficia et ornamenta a MVNCHHVSIO accepta, beneuolentiae pignora, pietatis, amoris ac deſiderii cauſſas, oſtentare poſſit? Quotquot ad hanc vrbem acceſſimus, et fortunarum noſtrarum ſedem in Academia hac fiximus, MVNCHHVSII iudicio ſumus vocati; et vel ex hoc, quod haec ſedes adhuc nobis probatur, ſatis apparet, eſſe in conditione noſtra, quod non plane diſpliceat. Quae vero doctrinae ſuae praemia, quas laudes, honores, nominis famam ac celebritatem qualemcunque, noſtrum quisque conſequuti ſumus, ſi, quod res eſt, dicere volumus, poſt Dei O. M. prouidentiam, Regis Auguſtiſſimi auſpicia, Senatus Regis Sanctioris iudicium, huic Viro immortali debemus omnia et accepta referimus. Etſi enim virtutem quisque ſuam ea in re iactare poſſit, ſine qua decora iſta conferri in ſe non potuerint; nec tamen in nulla fortuna ponendum eſt, quod ingenii in ſolem ac puluerem educendi, laudisque egregiae parandae, facultas data eſt; nec, qui in conſpicuo loco doctrinam ac laudem noſtram poſuit, vulgariter de nobis meruiſſe videri debet. Quot enim virorum doctorum nomina, quia loci, quo vixerunt, celebritas iis defuit, ſepulta iacere, quot ingenia ad ſummam claritatem a natura facta in obſcuritate conſenuiſſe et adhuc conſeneſcere putabimus, quibus ad ſummam famam et nominis immortalitatem nihil defuit, praeterquam MVNCHHVSII alicuius opera ac cura!

Quum autem omnino Curatorem ſuum Academia quaeuis parentis loco habeat ac colat, MVNCHHVSIO tamen huius tituli pulcherrimi veritas infinitis aliis rebus erat parata, cum hoc ipſum ei deberetur, quod omnino vniuerſitatem aliquam habemus; quod habemus tam ſapienter deſcriptam, tam egregie iis rebus inſtructam, quibus ingenia ali et excitari, aut quae honorem et dignitatem noſtram tueri poſſunt; quod non dominum, etſi manſuetum ac bene merentem, verebamur, ſed patronum, adiutorem, amicum optimum, noſtrarum rerum ſtudioſiſſimum, compellabamus et diligebamus omnes; ad quem curas noſtras, optata, deſideria, deferebamus libere; qui conſilio, auctoritate, re, difficultates noſtras expediebat vel leuabat, aut ſi, quod petebatur, negandum erat, fronte placida, blandis verbis, benigna appellatione, vt pater indulgens liberis, negaret. Ita ſpei diſſolutae moleſtiam beneuolentia, paterno affectu plena, mitigabat, animosque non plane degeneres ab aegritudine ad iucundam cogitationem de bonitate ac comitate Viri optimi auocabat.

Sentitis, Ciues, habere rem aliquantum dulcedinis in luctu noſtro, ſi enarrentur cauſſae eius ac ſingula momenta. Quare non pietatis magis officiis ſatisfacere, quam animorum aegritudinem leuare ac delinire videbimur, ſi, ſollennibus hoc ipſo edicto in a. d. XXVIII. Dec. indicendis, cum ceteris caerimoniis animum aduerterimus, tum orationi

CHR.

CHR. GOTTL. HEYNII,
Collegae noſtri coniunctiſſimi, cui, luctus noſtri interpreti, creditus eſt animorum noſtrorum affectus, vt ille, quae cuiusque noſtrum ſenſui dolor obiicere vel offerre ſolebat obſcure confuſeque, ea cogitationi et menti diſerte dilucideque exhibeat, vtque beneficia ac merita MVNCHHVSII in remp. noſtram immortalia easque virtutes, quibus felicitas noſtra continebatur, enarret. Huic igitur ea, quae ad proſequendam, quam inſtitueramus, orationem dici poterant, intacta relinquere ſatius eſt.

Vos autem, Ciues cariſſimi, vt non modo frequentia veſtra ſolita, verum etiam animis ad religioſam reuerentiam compoſitis intereſſe ſollennibus his velitis, ad pietatis officium pertinere arbitramini. Diem in paucis ſollennem et honoratum hunc illuceſcere ſtatuite. Ad omne vitae tempus memorabile vobis habebitur, adfuiſſe parentalibus eius Viri, quem omnis futura aetas veneratione et pietate proſequetur. Saepe enim hoc vobis etiam ſenibus euenturum auguramur, MVNCHHVSII nomine laudato, vbi, eo Curatore Georgiam Auguſtam adiiſſe, eiusque memoriae colendae et laudationi funebri pietatis vos officium praeſtitiſſe adieceritis, vt omnium ſtatim, qui adſtabunt, oculis in vos coniectis non ſine admiratione aliqua tacita deſignemini. Habent quidem omnes caerimoniae, quae in pie defunctorum honorem inſtituuntur, horroris religioſi plurimum: Nos vero die craſtino faciemus inferias et honores perſoluemus ſanctis Manibus, at quanti Viri! Tanquam ad Herois ali-

cuius *) memoriam auguſte ac religioſe colendam accedite! Manibus parentamus Viri vulgarium mortalium turba auguſtioris, cui multa ſingularia, nonnulla vnica, tribuere; ſingularemque amorem et caritatem teſtari viſum eſt Numen O. M. **) qui herois alicuius, qualem priſca vita ferebat, aeuum exegit, aetatem vltra communem mortalium ſortem productam magnis et aeternis factis, in ſummo dignitatis faſtigio, in ſumma rerum proſperitate, expleuit, iisque omnibus, quae mente deſignauerat et ſuſceperat, ex animi ſententia peractis et ordinatis, mature de diſceſſu cogitauit placidaque ac pulchra morte obiit. Quid huic Viro ſummo ſiue ad gloriam, ſiue ad felicitatem, quanta humana ſors capere poteſt, defuiſſe dicamus?

Atque ex hac eadem inſigni Viri immortalis felicitate, noſtra cum communis tum academiae inprimis reip. felicitas, tanquam ex fonte, fluxit. Nam admirabili hac et ſingularis exempli fortuna vſa eſt Georgia Auguſta, vt eiusdem viri, cui incunabula ſua debuiſſet, prudentia, cura et indulgentia incredibili infantiam ſuam, mox pueritiam, foueri, iuvenilem et adultam aetatem firmari roborarique videret. Quod autem diuinae prouidentiae beneficium cogitari poterat maius, quam per tam longum annorum ordinem talem tantumque habere Nutritorem et Moderatorem, qui ſua quibusque temporibus attemperaret adiumenta, praeſidia, decora et firmamen-

*) Ἥρωος εγχωριου.

**) Ανδρα θεοφιλη.

menta? Quae ipſa ſingularis felicitas manifeſtum nobis facit, eſſe nos bono numini curae, et prouidentiam eius tanto ſuo cum fauore orſa non deſtituturam eſſe ſed, et in poſterum proſperos ſucceſſus daturam.

Vti vero felicitas noſtra in tam longo et ad inuidiam diuturno tantarum Viri virtutum et meritorum fructu ad omne aeuum memorabilis videri debet, ita in eadem re raram viciſſim et Ille expertus eſt felicitatem, quod, quam ab ipſo inde ortu fouerat, ſinu oculisque geſtarat, alumnam ſuam tam laete effloreſcere, ad tantam laudem exſurgere, ſuisque curis, vigiliis conſiliisque tam praeclare vidit reſpondere. Contigerunt itaque huic Viro immortali omnia cumulate, quae vitam longam optabilem et tantis virtutibus et conſiliis euenta conſentanea reddere poterant. Quae enim generoſo animo maior videri aut votis expeti poteſt felicitas, quam in eo loco ac fortuna conſtitutum eſſe, vt de quam plurimis mereri poſſis? quanto magis, ſi de Patriae Parente? ſi de populo? ſi de litteris? ſi de ſapientia? religione? pietate? ſi tam praeclare? ſi per multos annos? ſi integris ad extremum vitae habitum animi viribus? quid ſi tandem mori contigerit rebus florentibus? ſtabilitis? fixis? Haec profecto vita non mortalis, ſed herois alicuius vere dicenda eſſe videtur.

Felicitatis tamen genus ad iſta omnia obtigit MVNCHHVSIO, quod vel aerumoſae vitae incommoda compenſatione lenire poſſit, *mors placida*

 et

et tranquilla, omnis felicitatis humanae tanquam complementum, ex tam multis tamen naturae cauſſis et conditionibus nexum et aptum, vt, cui illud euenerit, ſingulare prouidentiae diuinae beneficium conſequutus videri debeat; multo vero magis is, quem in magna dignitate vitaque negotioſa conſtitutum rerum humanarum curis et officiis tanquam viſco illigatas habere cogitationes neceſſe eſt. Quum igitur iam adeſſe ſentiret tempus, quo ſibi abeundum eſſet ad Deum *), tanquam ad herum ſuum, cui rerum curatarum rationem redderet, tabulas ſuas inſpexit, diſpunxit, obſignauit. Tum videri ille poterat iuraſſe iusiurandum veriſſimum pulcherrimumque **), quod ipſum vere iuraſſe quis item non magna voce iuraret! ſe remp. ſeruaſſe; Regi, populo, poſteritati, fidem exſoluiſſe. Rebus ita ordinatis, ad diſceſſum ſe accinxit, animum tamquam in ſacro aliquo Peruigilio ad magnum, quod inſtaret, Sollenne compoſuit, rebusque humanis, quas, mortali iam maior, amplius animo non capiebat, abdicatis ***), pia

*) Συσκευαζου, ω Κυρε· συ γαρ εις θεους απει. XENOPH. Cyrop. extr.

**) CIC. in Piſon. 3. *Ego cum in concione, abiens magiſtratu, dicere a tribuno pl. prohiberer, quae conſtitueram; cumque is mihi tantummodo vt iurarem permitteret; ſine vlla dubitatione iuraui*, remp. atque hanc vrbem mea vnius opera eſſe ſaluam. *Mihi pop. R. vniuerſus illa in concione non vnius diei gratulationem, ſed aeternitatem immortalitatemque donauit, cum meum iusiurandum tale atque tantum iuratus ipſe vna voce et conſenſu approbauit.* Conf. ad Div. V, 2.

***) — *Has mundi phaleras, hos procerum titulos Tranſcendis, ſenior, donatus munere Chriſti: Hic eſt verus honos; haec tua nobilitas.* GRVTER. Inſcr. CCCCL, 5.

pia caſtaque mente cogitationem traduxit ad ea, quorum ipſe paullo poſt pars eſſet futura. Atque ita Ille placida morte obdormiuit — Sapientem videre putares, qui defixus in magna rerum cogitatione, ſomno obrepente, caput reclinaret —

Saepe per hos dies, Ciues cariſſimi, cum ευθανασιαν hanc animo reputaremus, obuerſatus eſt locus, quem inter pulcherrimos Homeri referre ſolemus, et qui vel ex antiquitatis opinione et naturali inaffectataque ſimplicitate miram ſuauitatem habere videtur, de Menelai Herois non morte, ſed traiectu in campos Elyſios *): *Non mortem occumbes, Menelae, ſed in campum Elyſium et terrarum fines deducent te dii immortales.* At Heros noſter, ex ſanctioris doctrinae placitis, in dei aeterni ſinum ſeſe abdidiſſe credendus, vbi Ille nunc pro terris hiſce, pro Georgia Auguſta, tanquam Genius tutelaris, excubat.

Videtis, o Noſtri, ab amaro luctu iam ad plauſus et paeanas rem deduci, et quae feralia ſacra a nobis parabantur, ea potius tanquam ſollennia eſſe indicenda, quibus heroem, de genere humano egregie meritum, proſequimur. Quam velimus, vocari a nobis ad ea, et adeſſe iis celebrandis iuberi poſſe omnes, qui in alma Georgia Auguſta olim nutriti, nunc de ſua quisque ciuitate, de ſuo Principe, praeclare merendo, MVNCHHVSIANO nomini pulcherrimos laudum titulos pepererunt! quantum, quam memorabilem coetum, virorum tam variis nominibus, muniis, titulis, de genere

hu-

humano, de patria, de popularibus, bene merentium, conuenturum eſſe putabitis! Vos itaque et horum nomine, et veſtro loco, adeſte frequentes, Illuſtriſſimi Comites, Generoſa Baronum ac Nobilium ſoboles, Ornatiſſimi ingenii animique dotibus Iuuenes, inprimisque qui ex terris Hannoueranis huc acceſſiſtis, quique exteri publicis beneficiis MVNCHHVSIANAE munificentiae eſtis obſtricti, adeſte, et Interpretem luctus noſtri beneuole audite. Ducetur pompa feralis in templum Academicum, h. x. lugubribus ibi concentibus excipienda. P. P. a. d. XXVII. Dec. cIↃ IↃ CC LXX.

Euolat — illinc de vertice ſummo
Deſpicit et noſtras curas noſtrosque tumultus
Regnataeque videt quanta eſt anguſtia ſiluae.

PETRARCHA Ecl. II.

---

*) ODYSS. Δ, 561. ſqq.

Σοὶ δ' οὐ θέσφατόν ἐστι, διοτρεφὲς ὦ Μενέλαε,
Ἄργει ἐν ἱπποβότῳ θανέειν καὶ πότμον ἐπισπεῖν·
Ἀλλά σ' ἐς Ἠλύσιον πεδίον καὶ πείρατα γαίης
Ἀθάνατοι πέμψουσιν· ὅθι ξανθὸς Ῥαδάμανθυς.
Τῇπερ ῥηίστη βιοτὴ πέλει ἀνθρώποισιν·
Οὐ νιφετὸς, οὔτ' ἂρ χείμων πολὺς, οὐδέ ποτ' ὄμβρος·
Ἀλλ' αἰεὶ Ζεφύροιο λιγυπνείοντας ἀήτας
Ὠκεανὸς ἀνίησιν, ἀναψύχειν ἀνθρώπους·
Οὕνεκ' ἔχεις Ἑλένην καί σφιν γαμβρὸς Διός ἐσσι.

Reſpexit h. l. et ſimilia edixit Euripides Hel. 1692 ſqq. Quod ad Elyſium attinet, *in finibus terrarum* illud poni a poeta videmus; quo ipſo antiquior ac verior ratio huius philoſophematis mythice expreſſi patet; qua tamen relicta viri docti fere a ſerioribus poetis et ſcriptoribus interpretationem petierunt. Enimuero in tanta opinionum varietate expediri res non poteſt, niſi ornamenta poetarum a priſci ſermonis genio et ab ipſis antiquiſſimorum hominum opinionibus ſeiunxeris. Ita autem rem ad notiones paucas valde ſimplices a rerumque naturis obuiis petitas redire protinus intelligas, easque ita comparatas eſſe videas, vt vbique terrarum degentes homines facile in easdem notiones incidere et potuerint et debuerint; nihilque adeo minus probandum eſſe, quam quod, ipſa quoque hiſtoriarum fide repugnante, ab vno aliquo populo ad ceteros opi-

opiniones de inferis manaſſe creduntur. Omnino eae opiniones, quae inter plures barbaros reperiuntur, ita comparatae ſunt, vt hominum rudium ingenia ipſa re ducente ad eas deferantur. Ita quoque nihil eſt, ad quod barbarorum animus procliuior aut ſit aut eſſe debeat, quam vt credantur a morte ſuperſtites eſſe animae; ipſa enim phantaſiae vis, inprimis hominum qui graui defunctorum deſiderio percuſſi ſunt, tum ſomniorum ludibria eo adducere debent. Sunt ſane ex veteribus, qui Elyſios campos ab Aegyptiis arceſſant: eſt in his Diodorus lib. I, 96. Sed, ſi diligentius excutias, Sacerdotis alicuius Aegyptii argutias ibi enarrari intelligas, qui, cum omnem Graeciae antiquitatem in Aegyptum traducere vellet, patriae ac religionum ſuarum amore et ſtudio, alia peruertit alia commentus eſt. Tum ne in Aegypto quidem locum poſſunt laudare certum, in quo mente et animo acquieſcas *). Alii Elyſios campos in vicinis ad Memphim locis collocant; et habet Acheron cum lacu Moeride et Labyrintho, quae opinionem Graeculi inter Aegyptios iuuent. Apud Philas eos collocarat Seneca de ritu et de ſacris Aegyptior. vt Serv. ad Aen. VI, 154. memorat. Aliis Μακάρων Νῆσοι ſeptem dierum itinere a Thebis ſunt: v. Euſtath. ad l. c. p. 1509. Eo nomine Oaſin magnam a Graecis appellatam eſſe, ex Herodoto lib. III, 26. conſtat. At quomodo vetus Graecia opiniones ſuas ab loco ſolitudine et arenarum vaſtitate clauſo petere voluiſſet? Euſtathius Apionem, Grammaticum puta, Didymi Alexandrini diſcipulum, contendiſſe narrat, Homerum loca circa Canopum non longe ab

*) Cf. ſup. p. 150. ſq.

ab Alexandria, reſpexiſſe: τὴν περὶ Κάνωβον καὶ Ζεφύριον πεδιάδα οὕτω κληθῆναι, παρὰ τὴν τοῦ Νείλου ἰλύν. (hic Grammatici vides ineptias) Λέγει καὶ ὅτι πείρατα γαίης — οὐ τὰ πρὸς Ὠκεανὸν, ἀλλὰ τὰ ἐκεῖ πρὸς τῇ κατὰ Νεῖλον θαλάσσῃ, καθὰ καὶ Αἴσχυλος. Ἐστὶν πόλις Κάνωβος ἐσχάτη χθονός. (Prometh. Vinct. 945) Poteſt quidem res ita ſe habere, vt eo nomine in illis locis campi ſuerint, ſed ſeriore aetate, ſub Graecis regibus. Cum enim Menelaum haec loca adiiſſe ex Homero conſtaret, Canopum vrbem, etſi Aegyptiacae originis et nominis, ad Menelai gubernatorem Canopum retulerunt. At falſo. (v. *Schlaegerum*, V. cl. de Numo Adriani plumb. c. 6. et qui eius partes tuetur, *Jablonsk.* Panth. myth. P. III. lib. V, c. 4.) Pari leuitate antiquior Graecia vrbem Menelai nomine inſignitam cum Nomo in interioribus Aegypti partibus narravit; fraude, credimus, nominis Aegyptiaci, quod ſimilitudinem ſeu ſoni ſeu quam aliam haberet; vt adeo mirum non ſit, fuiſſe, qui Menelaum in his iisdem locis obiiſſe putarent Homericumque Elyſium eo transferrent. Plurimae autem veterum de Menelao fuere fabulae, quarum recenſum fecerat Ariſtonicus Grammaticus, qui, Strabonis aetate, de Menelai erroribus ſcripſerat. v. Strab. lib. I. p. 38.

Nobis quidem vera ratio ita expedienda eſſe videtur, vt ad antiquiſſimam auctoritatem redeamus, deſcenſu inde ad proxima quaeque, hinc ad ſeriora tempora facto. *In extremo occidente* Elyſius campus memoratur ab Homero, quantumque intelligitur, *in ipſo continente ad Oceanum.* Eodem modo Hades ſeu

loca

loca infera *), cum Noctis, Somni et Solis occidentis domo, ad eandem oram referri coepere. Nec quicquam cum ſenſu hominum magis coniunctum aut conſentaneum eſſe poteſt. Et primo quidem ipſa res homines adducere debuit, vt omnino loca infera in locis vltra finientem (horizontem) occidentalem ponerent. Quid enim cum Occidente coniunctius ad cogitationem, indoctorum inprimis vel ad ſenſum eloquentium hominum, quam Nox, Hades, Tartarus, Beatae ſedes? Idem hoc per Americam quot non gentes ſequuntur? Ab occidente, fere vltra lacum, montem, inſulam, defunctorum ſedem, maiorum ſuorum coetum, collocant. Itaque etiam in vetere Graecia quaecunque verſus occidentem in vltimis finibus nota erat terra, ea pro locis inferis et Elyſio habebatur. In Odyſſea ad Baias circa lacum Auernum loca infera conſtituta videmus, et ibi quoque ἀσφοδελὸν λειμῶνα. Scilicet vulgus Graeciae antiquioris ad ſinum Baianum vltimos Occidentis quaerebat fines; Itaque Circes inſula iam in fabuloſis regionibus eſt collocata, etſi Latio obiecta. Sed Phoenicum, mox quoque Phocaeenſium aliorumque Graecorum nauigatione terras longius verſus Occidentem procedere deprehen-

*) Ἀΐς, Ἀΐδης, Hades, eſt *is qui non cernitur* aut qui *cerni nequit*; et modo in perſonam vertitur (abſtractum in concretum) quemadmodum Orcus, Dis, Pluto, modo locum declarat. Orco ſubiacet Tartarus, ſed longiſſimo interuallo: Il. ϑ, 13, 16. et 478 ſqq. Theogon. 717. ſqq. (Congeſſit loca de Elyſio et laudauit eos, qui de iis egere, Car. Segaar V. C. in Diatribe acad. de emendandis plurimis vet. ſcript. Graec locc. 1775. p. 88. verum de Oceano eius dictis non ſubſcribimus).

henſum eſt. Ecce tibi translata ómnia, quae de Elyſio fabulati erant poetae ac ſapientes, in extremam Hiſpaniae oram. Baeticae vero opulentia, vt Bochartus putabat, nihil profecto commune habuit cum Graeciae opinione; in qua iam Homerum verſatum eſſe, Strabo contendit lib. I. p. 149. ſqq. an recte, dubites; etiam Odyſſea Ω, 11. ſeqq. aduocata. Tandem extrema Hiſpaniae ora adiri et peragrari coepit; quid tum? extra Hiſpaniam in Oceano Inſulas eſſe mira caeli ſolique bonitate compertum eſt; Itaque beatae ſedes mox iis ſunt aſſignatae. In quo iam praeiuit Heſiodus Ἐργ. 170. et Pindarus in ſplendido loco Olymp. II, 123. ſqq. Ceterum varii errores circa terrae figuram, et Oceanum, in paludes deſinere nec multum verſus occidentem patere, tum caelum terrae et Oceano in extrema ora imminere et incumbere viſum, alia figmenta pepererunt, quae hic excutere non vacat. Nec vero quicquam eſt, quod non ex fabuloſis illis opinionibus facile deduci et illuſtrari poſſit. Ita cum ſemel Oceano, mox flumine Orcus ambiretur, cymba et Charonte opus fuit. (Plura de his ad lib. VI. Aeneid.) Sed a philoſophicis rationibus altera illa profecta eſt opinio, vt in aethere, in ſideribus, animabus heroum ſedem darent. v. c:

Sed comes ardenti nunc degis iuncta Coronae,
Nunc Helicen propius cernis et Andromedam.

FABRETT. Inſcr. III. p. 188. n. 431.

Altera ſuboritur quaeſtio, quid Homerum adduxerit, vt Menelaum potiſſimum ex omnibus heroi-

roibus in Elyſium transuectum proderet. Nam apud Heſiodum l. c.

Ἀνδρῶν ἡρώων ἱερὸν γένος, οἳ καλέονται
Ἡμίθεοι —

alii ad Thebas et Ilium occiderunt;

Τοῖς δὲ δίχ' ἀνθρώπων βίοτον καὶ ἤθε' ὀπάσσας
Ζεὺς Κρονίδης κατένασσε πατὴρ ἐς πείρατα γαίης,
Τηλοῦ ἀπ' ἀθανάτων· τοῖσι Κρόνος ἐμβασίλευε.
Καί τοι μὲν ναίουσιν ἀκηδέα θυμὸν ἔχοντες
Ἐν μακάρων νήσοισι παρ' Ὠκεανὸν βαθυδίνην
Ὄλβιοι ἥρωες.

Apud Pindarum vero l. c. Rhadamanthus, Cadmus, Peleus, Achilles, in Beatorum inſula memorantur. In eandem deductus Lycus a Neptuno ap. Apollod. III, 10, 1. et in Calliſtrati Scolio Harmodius in Beatorum inſulis eſſe dicitur, vbi Achilles et Diomedes eſſe narrentur. Vniuerſae igitur heroum ſtirpi, omnino quotquot non violenta morte fuiſſent interemti, eae ſedes attributae; hinc a Platone non modo heroibus ſed et piis Manibus promiſcue illa loca inhabitanda data. Itaque id, quod ceteris heroibus commune eſſet, Menelao tanquam praecipuum ac ſingulare tribuiſſe dicendus eſt Homerus; niſi, quod ſuſpicari licet, fama Homerico aeuo aliqua de parum nota Menelai morte fuit, ſiue quod nihil certi aut omnino nihil de ea conſtaret, ſiue quod ſubita et occulta fraude forte extra fines Argiuos ſublatus e mortalibus euanuiſſe videri poſſet.

ACA.

ACADEMIAE GEORGIAE AVGVSTAE
PRORECTOR
GEORG. LVD. BOEHMER
CVM SENATV
SVCCESSOREM SVVM
RVDOLPHVM AVGVSTINVM VOGEL
COMMENDAT
CIVIBVS
IN A. D. II. IAN. CIϽ IϽCCLXXI.

Gratulatur Academia nouum Curatorem Ill. de BEHR ſuis rebus datum.

Luctu noſtro ac dolore in calamitate Academiae acerbiſſima nunc exſatiato, Ciues, ad noua rerum initia procedimus. Non modo enim id, quod piis votis expetebamus, vt daretur iterum nobis, qui rerum noſtrarum curam ſuſciperet, perculſumque graui clade ſtatum publicum ſaluum et ſoſpitem ſede ſua ſiſteret, contigit; verum etiam, memorabili aliqua diuinae prouidentiae benignitate, Regisque Auguſtiſſimi ſapientia et Georgiae ſuae Auguſtae cura mirifica, noſtris votis contigit Is, qui animis iudiciisque noſtris deſignandus fuiſſet. Nunc tandem de rebus noſtris melius ominari, nunc ſpes antiquas redintegrare audemus; felicitatisque noſtrae ſtabilitatem ex hoc ipſo Regii iudicii et optionis conſenſu in publica vota auguramur. Sed permanentis noſtrae perennan-

nantisque Fortunae ſigna manifeſta habemus et pignora plura. Qui enim rebus noſtris Curator datus eſt, Vir Illuſtriſſimus, BVRCARDVS CHRISTIANVS DE BEHR, Auguſtiſſimo Britanniarum Regi a Sanctioribus Conſiliis in regundo Electoratu Brunſuica - Luneburgenſi et Adminiſter, Regiae Camerae Praeſes; idem Georgiae Auguſtae mirifico ſemper ductus eſt amore, et ſuae voluntatis indicia dedit certa et manifeſta ſemperque ita iudicare viſus eſt, vt hac litteraria Vniuerſitate Brunſuicenſium terrarum decora et vtilitates contineri plurimas, eamque ad publicam vtilitatem, libertatem, tranquillitatem, valuiſſe aliquantum et valere exiſtimaret, Regi *Fidei Deſenſori*, autem, *Conſeruatoris Parentisque Litterarum*, *Sapientiae et Pietatis*, titulum proprium et ſacratum eſſe debere arbitraretur. Quod vero multo magis fauſtum felixque nobis ſit, Curator nobis volente et propitia Fortuna obtigit is, qui nomen profeſſus erat inter primos, qui ſtudiorum ſuorum curſum in noua Academia Gottingae condita proſequerentur; eiusque ille initiis et noſtrae reip. conſecrationi interfuit variaque inauguralibus ſollennibus miniſteria multo cum honore ſuo obiuit. Quam itaque Georgiae Auguſtae fidem ſpopondit, cum inter Nutritios eius adſcribi ſe vellet, hanc nunc exſoluet eius Nutritor et Altor renuntiatus. Idem, raro inter eos, qui tali loco ac genere ſunt, exemplo; iſto tempore in noua Academia primum et vnicum erat exemplum; ſummos in Iurisprudentia honores conſequi voluit, et conſequutus eſt ſumma cum laude, cuius teſtatio publica admodum honorifica, cum doctrinae iuuenilis ſpeciminibus, etiamnum extat

tat *), nec ſine magna animi voluptate iterum a nobis perlecta eſt.

Cum mox ad res gerendas, ad ampliſſima reip. munera ſuſcipienda, Regisque ſecretiores curas levandas admoueretur, nunquam tamen ille a litterarum ſtudiis quicquam remiſit; inprimis vero magna Viri mens Britannicarum litterarum ſeueritate fuit temperata, et ad artes conuerſa adiunctaque, quibus ciuitatis ſtatus, vitaeque tuendae, perficiendae et locupletandae rationes et conſilia continentur. Nec interea animum amoremque ſuum a noſtris rebus abduci diſiungique paſſus eſt. Nam et a Societate Scientiarum Regia inter Collegas honorarios fuit adſcriptus, et Societati Regiae Litteris Teutonicis colendis Senioris loco praeeſſe non eſt dedignatus.

Qui igitur olim ex nobis vnus fuit, qui idem etiamnum ex nobis eſt, eoque ipſo nunc eo magis inter nos excellit, exoptatiſſimus idem omniumque votis deſideratiſſimus Academiae noſtrae Nutritor et Curator contingere debet. Magnam fiduciam afferre ſolet militum animis, ſi, quem Imperatorem habent, eundem aliquando Commilitonem habuere. Quam carus et omnium confeſſione iudicioque diuinitus datus videri debet reip. academicae adminiſtrator is,

 qui

*) *De Juſtitia et Jure* Diſp. GEBAVERO, Illuſtri et Venerabili Sene, Praeſide 1738. d. XX. Febr. et ſine Praeſide Diſp. inaug. *de actione de Dolo malo, malitiarum Romae euerriculo, ſupellectile in foro noſtro minus neceſſaria.* Laudum et decorum futurorum praeſagia continet plurima Progr. eiusdem GEBAVERI, tum Ord. Juridici Decani, ſollennibus inauguralibus indicendis.

qui eius adminiſtratae aliquando pars fuit? et militiae noſtrae togatae dux, qui idem aliquando in contubernio fuit? Tanquam in priſtinis ſuis caſtris Ille verſari, pro publica ſecuritate excubare, pro ſecundo rerum ſucceſſu militiaeque decoribus partaque rerum geſtarum fama vigilare ſibi videbitur.

Nec ei, quotquot caſtrenſia haec ſtipendia meremur, ignota et in numeros tantum ſuos relata ſumus nomina. Pauci ſunt anni, quum noſtram Vrbem et Academiam inuiſeret, noſtrarum rerum incrementa laetus recognoſceret, ſuaque humanitate orisque et orationis ſimplicitate cum ſumma comitate coniuncta iam tum animos noſtros ſibi deuinciret. Itaque prope omnes nos nomine appellauit; multorum fuit laudator et approbator; eſt etiam inter nos vnus, quem reueretur, tanquam doctorem quondam ſuum, cuius contubernio, conuictu, familiaritate vſus eſt, et cui hoc praeſtitit, vt *Corpus Juris* nunc tanto cum cultu prodeat.

Sed quantopere ille Georgiam ſuam Auguſtam diligat et amplectatur, an indicium facere potuit manifeſtius quam hoc ipſum, quod curas has et labores eius regendae ſuſcepit? Quae enim reip. pars alia maioribus et pluribus moleſtiis et difficultatibus circumſepta eſt, quam Cura Academiae?

Inter haec tamen omnia poterat adhuc faſtidioſis votis aliquid deſiderari, ne nos MVNCHHVSIANAE curae tam diuturno vſu adſueti nouae plane et inſolitae alienaeque curae ſubiici videri poſſe-

poſſemus. Enimuero non noſtris magis votis ille expetitus fuit, quam MVNCHHVSII ſuffragio declaratus. Amauit Senex optimus et ſapientiſſimus Virum virtute et mente praeclara in paucis conſpicuum, et, quaſi proſpicere voluiſſet, ne ipſe deſideraretur, hunc ſibi maxime Succeſſorem optauit.

Quae omnia ſi reputamus animo, quid poſt MVNCHHVSIVM ad vota noſtra cogitari poterat fortunatius et fauſtius hac fortuna noſtra optatiſſima? quid cum pietate noſtra in MVNCHHVSIVM coniunctius, aut magis conſentaneum, hac Viri pietate, qui ipſe MVNCHHVSIAM memoriam ſanctam perpetuamque eſſe volet, in hoc maxime, vt coepta eius magna continuet, perficiat, ornet? Amore Academiae noſtrae, cura et munificentia, deſideria noſtra leuabit et tollet; verbo, alter nobis erit MVNCHHVSIVS; quandoquidem Prouidentia nihil nobis dedit ad optandum maius. *Det* modo Deus O. M. *vitam quam meretur, ſeruetque animum quem dedit* *), habere putabunt poſteri, cur ſuos deinceps Curatores votorum ſollenni formula ſalutent: FELICIOR MVNCHHVSIO! MELIOR BEHRIO!

Nos autem, quam maxime eniti poterimus, tuebimur iudicium, quod de nobis habet, et prouidebimus, vt officium noſtrum omnibus numeris perfectum, pietasque in Virum, qui tam durae con-

 ditio-

*) Pliniana formula. Licebit etiam in ſequentibus transferre nonnulla in Curatorem Optimum, quae in Optimum Principem a Plinio dicta ſunt.

ditionis munus pro ſalute noſtra ac proſperitate ſuſcepit, ſit quam maxime teſtata. Teſtatam autem illam ſibi ſic maxime iudicabit, ſi in officio noſtro et religione maneamus perſeueranter et conſtanter; nam quod ad ſe attinet, ſemper illam ipſe merebitur, *credetque adeo ſibi, quod tamen nobis quoque credet.* Neque ille vnquam fieri ſinet, vt fortuna noſtra diſcernatur diuerſitas temporum, aut, cum MVNCHHVSIVS tam multa haberet cum nullo alio Academiae Curatore communia, vt quicquam de illo viro dictum ſit, quod non idem de ſe dici poſſit dicique debeat.

Vos tandem, florentiſſimi Iuuenes, iuuet nunc ad Academiam noſtram confluxiſſe. Videtis enim, cui veſtrae virtutis, induſtriae et ingenii, Spectatori et Cuſtodi ſtudia veſtra ſitis approbaturi; et inter ſtimulos ad egregiam aliquam laudem habebitis nunc vel maxime, vt BEHRIVM aliquando laudatorem habeatis; ſtudii autem honeſti et intentioris exemplum an deſiderabitis illuſtrius, quam ipſum Curatorem, qui olim in hac Academia tanta cum laude, vt ſupra diximus, ad horum, quibus nunc fulget, honorum ac munerum ſplendorem ſe parauit?

At nobis, Ciues, haec omnia in noui anni auſpiciis tanto magis praeclara eſſe et laetum omen habere videntur. Auſpicatiſſimus nobis hic annus erit, ſi quis alius. Tam memorabilia certe anni auſpicia nondum vidit Georgia Auguſta. Neque vero nos diei religioni deerimus; et, quandoquidem pietas in Deum Immortalem. et vero etiam maio-

rum

rum mos et inſtitutum, poſtulant, vt noui anni res agendae dicendaeque a precationibus exordium capiant, tanto magis ille mos ſequendus tenendusque videri debet, quum ad ſolita ſollennia ſummarum rerum principia acceſſerint, dato nobis nouo rerum noſtrarum Curatore, datoque ſingularis diuini Numinis beneuolentia eo, qui acerba deſideria noſtra lenire, vota explere poterat. Habeat haec ipſa res fauſtum aliquod omen et augurium, quod inter anni noui vota, tanquam cum religione aliqua, a nobis ille publice pronuntiatur, quodque inter pias ſollennium cerimonias, in templi ſanctiore adyto, ex ipſo Altaris loco, ab iis Viris, qui ſollennia obibunt, altero Magiſtratu abeunte, altero Magiſtratum ineunte, nomen eius recitabitur. Vos, Ciues Amantiſſimi, precantibus fauete, praeeuntis verba ſequimini. Quicquiod pro ipſo precamur, pro ſe quisque precamur; et *ex ipſo hoc genere votorum ſuſcipiendorum intelligatur, cui, quando, a quibus ſint facta.*

Te igitur Deus O. M. huius reip. litterariae condendae, conditae conſeruandae et augendae Auctorem ſummum et vnicum, precamur, vt huic tuo muneri faveas, idque iubeas eſſe perpetuum. Saluum eſſe iubeas Regem, Eumque, cum Regina et Principali Domo, bees ac fortunes iis bonis omnibus, quibus magna virtus a te in mortali hac fragilitate cumulari poteſt. Tutela tua et cura paterna habe Regis amicos et Adminiſtros in regundis his terris; Inprimis autem eum Virum fove, tuere, ama, quem tuo numine prouidente Regis ſapientia noſtrae reip. Curatorem dedit. Fac vt laeta, tran-

quilla et fauſta ipſi contingat reip. adminiſtratio. Salutaria eius conſilia et facta ſecundum euentum habere iube, omninoque eas res, quas tu a teneris et imbecillis initiis ad haec incrementa adduxiſti, eius viri cura firmes, robores, et ad maiorem indies Brunſuicenſium terrarum vtilitatem prouehas. Nos vero fac vt bona noſtra intelligamus; fidem, religionem, officium, Curatori, Regi, primoque loco Tibi, approbemus. Vrbem hanc, agrum, fines, capita, aetates, protegas ac defendas; calamitates, intemperiem, prohibesſis, auerrunces. Omnia firma, ſtabilia, incolumia praeſtes. Noſtris precibus ita annue, vt nos in virtute ac pietate perſeuerabimus. Ita Tu faxis!

Indicenda nunc vobis, Ciues, ſunt ſollennia, quibus Magiſtratus Academici inſignia ad deſignatum Prorectorem transferentur,

RVDOLPH. AVGVST. VOGEL, D.

Virum Experientiſſimum, cuius beneuolentiam et reip. ſtudium iam olim Magiſtratu feliciter geſto cognouiſtis. Habebuntur ex more ab abeunte et ineunte Magiſtratum orationes, nuncupabuntur vota pro aeternitate reip. et ſalute Principis, et reliqua rite fient ſollennia. Vos Illuſtriſſimi Comites, Ciues Generoſiſſimi, Nobiliſſimi, frequentes adeſte. P. P. Kal. Ianuar. cIↃ IↃ CCLXXI.

ACADEMIAE GEORGIAE AVGVSTAE
PRORECTOR
IO. PHILIPPVS MVRRAY
CVM SENATV
SVCCESSOREM SVVM
GOTTH. TRAVG. ZACHARIAE
COMMENDAT
CIVIBVS.
IN A. D. II. IANVAR. CIↃ IↃCCLXXII. *)

Indicitur grauis et acerbus luctus Academiae ex Curatoris Illuſtriſſimi BEHRII morte ſuſceptus.

Exactis ſemeſtribus vicibus, Ciues Amantiſſimi, transferendi ſunt magiſtratus academici faſces ad collegam coniunctiſſimum,

GOTTHILF TRAVGOTT ZACHARIAE D.

Virum S. Rev. omni humanitatis laude ornatum, officio voluntate et praeclaro de aliis bene merendi ſtudio, quo nullum grauius candoris ingenui cum pie-

*) Interceſſere inter hanc et ſuperiorem aliae Proluſiones ſequente volumine repetendae: in II. Iul. LXXI. *de Sybaritarum ac Thuriorum rep. et inſtitutis* Sectio I. in XVII. Sept. ei. a. Sectio II.

pietate vera coniuncti argumentum habetur, conſpicuum. Cum ſub ipſa noui anni auſpicia, ſollennia haec magiſtratui ineundo ex more indicenda ſint, quibus vota ſimul ſuſcipiantur pro incolumitate publica, ſuſceptaque perſoluantur: eramus iam in eo, Ciues, vt eam rerum proſperitatem, qua adhuc eximia aliqua Numinis optimi maximi indulgentia ciuitas noſtra academica floruit, vobis diſerte, quantum liceret, exponeremus, veſtrosque animos ad religioſam piamque propitii tantorum bonorum auctoris adorationem et ſupplicationem aduerteremus. Contigerant enim votis noſtris per huius anni decurſum cum alia melioris fortunae ornamenta, tum quod Curatorem noſtrum, BEHRIVM, Illuſtriſſimum Virum, primo a Britannis in has terras ex voto reducem reſciueramus, mox in hac ipſa vrbe praeſentem eramus deuenerati. Nec modo recreauerat nos tanti Viri comitas et humanitas ſumma, cum nos eo amoris affectu, ea indulgentia affaretur, qua parens liberos, eo candore et beneuolentia, qua is, quem natura et virtus ad lenitatem finxit, amiciſſimos et cariſſimos alloqui poſſet; verum erexerat etiam animos et cum virtutis noſtrae tum noſtrae fortunae fiducia impleuerat hoc, quod eum, qui rerum noſtrarum tutelam ſuſcepiſſet, cauſſamque noſtram Auguſtiſſimo Regi, Patriae Parenti indulgentiſſimo, eſſet commendaturus, videbamus tam praeclaro ſtudio, tanto cum animi affectu, ſingula recognoſcere, quaeque litteras remque noſtram iuuare vel ornare poſſent, in ſe recipere et vero etiam ſibi depoſcere. Nec minus tamen illud confirmabat mentes omnium, quod nos ſingulos, tanquam

quam recenſu per numeros facto, noſceret, ora, ingenia, animos notaſſet. Viro enim bono quid fiduciam facere poteſt magis, quam ſi notum ſe eſſe aliis, ſi ſtudia ſua et conſilia patere nec obſcura eſſe aut ignorari videat; multo vero magis, ſi ſe noſci intellexerit ab eo, cui ſtudia et conſilia ſua probata eſſe velit; qua quidem conſcientia nihil eſt, quod magis ad tentanda praeclara quaeque animos accendere aut verecundiora et ſubtimida ingenia virtutis ſuae fiducia, ſine qua nulla ardua res aut cogitatio ſuſcipitur, erigere poſſit. Nam etiam in Muſarum caſtris maior et tutior militantium virtus eſſe ſolet, ſi ſinguli ſe imperatori ſuo ore, factis, virtute, notos eſſe, nihil a ſe ſtrenue agi, nihil ne incepto quidem et conatu deſignari intelligant, quod ei non promtum ſit ad iudicandum, a quo conſilio, a qua animi indole, qua virtute, illud profectum ſit. Numerabamus itaque inter bona noſtra inprimis hoc, quod ita inter omnes conſtabat, cum ille ſuorum quaſi coetum coegiſſet, et recognitione omnium et notatione facta tanquam in magna familia, omnes notos et familiares haberet, patrisque familias affectu nos complecteretur omnes, nullius virtutem latere, nullius recta vel facta vel conſilia diſſimulari aut tanquam ab ignoto profecta obrui poſſe et obſcurari; vt quisque bonis artibus ac ſtudiis rectis innotuiſſet, ita pro merito quemque ſuo gratum haberi et acceptum.

Haec aliaque plura, Ciues, apud vos commemorare grataque ac pia pro rerum magnitudine praedicatione facta ad vota precesque Deo O. M. rite faciendas procedere, hinc ingenuum rectumque pietatis

tatis ſenſum animis veſtris infigere, exemploque et auctoritate noſtra inculcare volebamus; cum ecce nudius tertius *) nuntius ad nos affertur atrox et luctuoſus, qui nos plaga perculit ingenti tantoque grauiore et altiore, quo minus eam prouidebamus aut metuebamus. Erat enim hoc inter ea, pro quibus aeterno Numini gratias agebamus, quod Curator noſtrae reip. contigerat eo aetatis gradu conſtitutus, vt per longum annorum decurſum eius ſapientia ac beneuolentia ſumma frui nobis liceret. Aſſuefecerat nos prioris Curatoris, immortalis viri MVNCHHVSII, protracta ad extremam vitae humanae metam ſenectus, et imbuerat quaſi ea ſi non opinione, ſpe tamen, non anguſtioribus limitibus fore circumſcriptum curſum Succeſſoris, qui virtutem eius et gloriam tam feliciter aemularetur. Tanquam repentina igitur et improviſa procella deprehenſi et perculſi, non impulſi labamus; toti corruimus, toti concidimus. Attonitis ſimiles omnium circa nos bonorum ac votorum ſubito ſolitudinem et fugam factam videmus. En iucundiſſimas noſtras ſpes tanquam falce ſubiecta vno ictu ſucciſas! vota dulciſſima iugulata, tot meditata et deſcripta aut inchoata et ſuſcepta foeda tempeſtate et ruina infracta et euerſa! MVNCHHVSII funere grauiorem calamitatem nobis vnquam accidere poſſe negabamus. O caecam mortalium mentem! male facundam linguam! Neſciebamus quot quantisque ictibus pateret ſors humana! quot luctus aerumnaeque genera humanum pectus recipere poſſet! Vt nulla eſt menſura calamitatis, vltra quam fortuna

*) D. XXVIII. Decembr.

tuna progredi nequeat! Iteratum vulnus hoc ipſo altius deſcendit, quod iteratum eſt, et non exiguum doloris auctarium habet ex priore vulnere. Vt animus noſter grauius doleat, facit et hoc, ſi iam ante doluit; et in priſtini moeroris veſtigia ſi penetrauerit nouus moeror, tanquam latentia in animo ille ſemina rimatur et in ſe deriuat. Recurrit itaque in animos noſtros cum noua hac clade imago funeſtae cladis ante hunc ipſum annum acceptae, et in BEHRIO iterum lugemus MVNCHHVSIVM. Habebat tamen praeſens haec noſtra calamitas tantum miſeriae, vt plus quam iuſtum luctum ipſa per ſe efficere poſſet, etiamſi prioris nulla recordatio acceſſiſſet *). BEHRIVM, quem modo inter ſalutantium officia, in medio noſtrum, nos omnes et ſingulos blando ore, amica voce compellare, comiter nobis arridere videbamus, qui animos noſtros ad ſummum erga ſe obſequium, amorem et caritatem, tam mirifica arte deuinxerat, vt non nuper demum in partem eius curae acceſſiſſe ſed tanquam diuturna familiaritate et vſu neceſſitudinis aliquo officio cum eo coniuncti eſſe videremur, hunc rebus noſtris eſſe ereptum! violentae febris impetu proſtratum! nos iterum Curatore, Parente, orbatos in ſqualore et luctu eſſe, fortunam noſtram iterum exeunte anno eo eſſe reuolutam vnde ineunte vix emerſerat! intra anni decurſum nos bis funeſtam Academiam habere! Et haec cum propria nobis et peculiaris miſeria ſit, quantam cladem accepimus in ea ipſa iactura, quam in

*) Iſte poteſt implere dolor vel ſaecula tota
Et magni luctus obtinuiſſe locum.
MVLTI IN TE AMISSI. Conſolat. in Liv. 77.

in hoc Viro tota reſp. et patria fecit; cuius nos pars ſumus! Amiſit illa virum bonum, iuſtum, pium (ſunto enim hae in BEHRIO laudes primo loco commemorandae, quibus nihil dici poſſe arbitramur magnificentius, nihil ſapiente viro dignius). Amiſit patria virum aequitatis et humanitatis exquiſitiore ſenſu imbutum, qui etiam tenuiſſimae fortunae incommoda intelligere, ſordes et aerumnas, quas alii auerſantur nauſeantesque refugiunt, miſerari, miſeriam et labores leuare poſſet, verbo, virum optimum, qui in tanto fortunae faſtigio collocatus, et eas virtutes, quas magna fortuna animis inſtillare ſolet, imbiberat, et eas, quas priuata conditio et in ſecreto, inter ſapientiae maxime ſtudia, exacta vita habere amat, retinuerat. Inter generoſioris enim et excelſae mentis ſenſus et conſilia, non exuerat animi lenitatem, moderationem, manſuetudinem, beneuolentiam. Etiam pietatis et religioſae caerimoniae erat obſeruantior, quam publica vulgo vita ferre ſolet, reuerentiaque aeternae Mentis, amore et fide, memorabilem in modum contactus. Quod tamen omnium maxime, qualis BEHRIVS fuerit, declarare valeat, hoc exiſtimate, Ciues, quod Regi noſtro Auguſtiſſimo, qui virtutem ac pietatem, qua ipſe munitum habet animum, in aliis, quos probet, deſiderat, in paucis carum eum habuit et amicum. Tantis itaque tamque praeclaris et eximiis virtutibus ornatum Virum cum ſub anni, qui nunc exiit, primordia tutelam noſtrae reip. ſuſcipere nuntiatum eſſet, quid mirum, ſi ea res votorum noſtrorum ſummam non continere modo, ſed ſuperare etiam videbatur. Neque vero ipſa rerum

ini-

initia ſpem noſtram tanquam leuem ac temerariam redarguerant. In tam breui temporis ſpatio, quo ille tutelam noſtrae reip. geſſit, moxque ex Britannia redux ad patrios lares et terras has Brunſuicenſes reuerſus eſt, quanta laboris et curae intentione quam multa ille praeclare ſuſcepit partim ac perfecit, partim inchoauit aut deſignauit! vt longiſſimam ille vitam rerum actibus implicitam vnius anni conſiliis et inceptis expleſſe videri poſſit. Noſtrae vero academiae ille tantam curam, tantum ſtudium adhibuit, tantam beneuolentiam et indulgentiam praeſtitit, vt facile appareret, ſi cetera ad officii et muneris rationes pertinere putaret, in hac parte animum eius requieſcere, curarum harum dulcedine capi, Muſarum amore delinitum in ſacris earum obeundis et tuendis moleſtiam non deprecari, ſtudio et impetu ferri affectuque animi eximio erga nos inflammari. Itaque ille eo res iam adduxerat, vt, quod incredibile dictu videri poteſt, MVNCHHVSII deſiderium ferre nos iamiam adſuefaceret. Vt enim BEHRII amor et caritas eo altius et nobismet ipſis incautis in animos deſcenderet et ſe inſinuaret, cum aliis rebus effectum eſt, tum maxime hoc, quod quaecunque ab immortali iſto viro ſapienter erant deſcripta, digeſta et ordinata, ea ille ſtudio et cura proſequebatur ſumma; neque alia ratione eum aemulabatur eumque vincere ſperabat, quam vt iis, quae ab eo inchoata erant, cumulum ac faſtigium adderet, aut tentata ab eo et depoſita reuocaret ac perficeret. Humanitate vero et comitate nos deuinxit ſibi ſingulari et incredibili; etſi vnum omnium difficillimum videri debebat hoc,

MVNCH-

MVNCHHVSIAE facilitatis et indulgentiae memoriam animis noſtris obliterare. Verſabatur ille, cum nuper hanc vrbem praeſentia ſua exhilararet, inter nos tanquam inter contubernales ſuos et familiares, aut potius tanquam pater familias inter liberos, quos in poteſtate haberet. Occurrit adhuc et tanquam praeſens obuerſatur oculis viuida Viri tam cari et dilecti imago; obuerſantur, qua incedimus, recentia eius veſtigia; qua pedem ponimus, ante paucos dies inſtitit Parens noſter, noſtra Cura ac Tutela! Hoc ne erat, quod ille Gottingam adiret, nos inuiſeret, beneuolentia et benignitate tam dulci et amabili nos omnes amplecteretur, ſummum ſui amorem ac caritatem animis noſtris inſtillaret, vt nunc tanto grauius et acerbius eius eſſet deſiderium! Mitius erat malum, tolerabilis miſeria, virtute nondum tentata priuari; viro carere, de quo nondum ſatis certa et explorata ſpes ſuſcepta eſſet. Vtinam licuiſſet ſaltem dubitare, an ille MVNCHHVSII deſiderium eſſet obſcuraturus! Et hanc incredibilem rerum viciſſitudinem intra tam breue tempus, vix vnius intra menſis ſpatium *), contingere in fatis fuit! Tam atroci fortunae conuerſione quicquamne cogitari poteſt amarius et acerbius? Nam vt, quemadmodum de proximo, et preſſo pede, et e veſtigio, idque ipſum tanquam ex inſidiis inopinate, algio, idque ipſum tanquam ex inſidiis inopinate, alitera haec alteri miſeriae ſucceſſerit, intelligatis Ciues, perlatus ad nos eſt nuntius luctuoſiſſimus de BEHRII morte eodem ipſo die **), quo ante hunc

*) D. XXVI. Nouemb. ille ad hanc vrbem acceſſit; d. XXVI. Decemb. mortalibus rebus ereptus eſt.

**) D. Decembr. XXVIII.

hunc annum parentabamus MVNCHHVSII Manibus! quemadmodum ſummi viri ad hanc vrbem acceſſus in eundem diem*) incidit, qui anno ſuperiore MVNCHHVSII fuerat emortualis. Talemne in rebus humanis ludum meminiſtis vnquam factum? aut ſi meminiſtis, poteſtne animus aduerti ad haec, quin rerum humanarum fragilitas et imbecillitas fortunaeque inconſtantia ſumma ſimul pungat, in animum ſe inſinuet et tanquam candentes aculeos infigat? Placetne, ſi quis talem rerum viciſſitudinem contemplatur, in vlla re, quae mortalitatem hanc, miſeram et caducam, attingit, acquieſcere? vlli conſilio ac voto, etiam leui et temerario, confidere, cum ſumma et clariſſima mortalium conſilia vno ictu ac momento ad nihilum recidant? an praeſtat, ad melioris vitae fructus, conſtantes et perpetuos, mentem et cogitationem transferre, animumque ab humilibus curis ad generoſiora eaque aeterna et vere immortalia conſilia erigere? Eodem hoc die, ſimili libello, quo vobis, Ciues, luctum nunc noſtrum et ſqualorem, BEHRIO ſuo orbata republica, indicimus, eodem die, vt rerum humanarum miras et incertas vices hoc tanquam exemplo cognoſcatis, Iuuenes, eodem igitur die, ad easdem ineuntis anni huius, qui nunc exit, Kalendas Ianuarias, laetabundi et exultantes datam et ſuſceptam a BEHRIO tutelam et curam reip. noſtrae gratulabamur publice et indicebamus. Scilicet quae Academiae noſtrae ſingularis erat felicitas, vt intra XXXIII. annos eodem ſtetiſſet, adoleuiſſet et floruiſſet, Curatore, ea nunc tanto gra-

*) D. XXVI. Nouemb.

grauiore aequatur et compenſatur calamitate, cum intra annuum ſpatium Curatorem efferri videamus poſt priorem alterum, luctumque, quem natura in patris funere ſemel tantum dare poteſt, bis experiamur, Parentisque indulgentiam et amorem bis deſideremus?

Quam nunc piget, cum mente et cogitatione ſingula recenſemus, Kalendis modo memoratis Ianuariis enumerata a nobis eſſe et in vno conſpectu poſita tot et tanta bona, quae in vno BEHRIO nobis largitum erat bonum numen! Nullum enim eorum eſt, quod nunc doloris noſtri cauſſas grauiſſimas non contineat, non accumulet! Mirata eſt et gratulata Academia Curatorem ac Nutritorem ſuum eundemque ſuum olim nutritium et alumnum; luget nunc eadem et ademtum deflet Curatorem ſuum, eundemque alumnum olim ſuum, primumque ex nobilium ordine, in quem honores academicos ſummos in Iure contulit, primum, qui in noſtra diſciplina innutritus ad grauiora reip. munera fuit admotus, qui his ipſis terris regundis Regiae Maieſtati a miniſterio fuit, qui Regi Indulgentiſſimo Academiae ſuae fructus et vtilitates ſua experientia ſuoque exemplo declarauit; id quod optimus vir ita egit, vt in eo praeſtaret pietatem nutritii, nihilque is maiore cum ſedulitate allaborauit, quam vt ſapientiſſimo Regi Georgiae ſuae Auguſtae fortunam in gratae et iucundae curae parte poneret.

„*Det modo Deus O. M. vitam, quam meretur,*
„*ſeruetque animum, quem dedit: habere putabunt po-*
„*ſteri,*

„*ſleri, cur ſuos deinceps Curatores votorum ſolenni for-*
„*mula ſalutent:* FELICIOR MVNCHHVSIO!
„MELIOR BEHRIO!„

Haec erant inter alia, Ciues, quibus verbis ſuperiorum Kalendarum Ianuariarum ſollennibus eramus praefati. Partem noſtrorum votorum irritam eſſe voluit Numen ſanctiſſimum. Deuenerabundi pie religioſeque adoramus paternam eius indulgentiam; quid enim optimus ac ſapientiſſimus ille Parens facere poſſit, quod non ab indulgentia proficiſcatur; non cum caritate et amore coniunctum ſit? Non tamen alterum nobis eripiet fati immanitas: Optimum Virum habuimus BEHRIVM! optimum Curatorem! Immanebimus formulae ad omnem poſteritatem tradendae ac propagandae, et inter plauſus et acclamationes, quibus omnium academiarum Curatores excipiantur, audiatur illud: FELICIOR MVNCHHVSIO! MELIOR BEHRIO!

Nimis recens eſt vulnus noſtrum, nimis crudum, quam vt ſanari ac medica manu tractari poſſit; necdum ex repentino ictu, horrenda hac ruina, ita conualuimus, vt de ſolatiis noſtrae calamitati paratis vobiscum agere queamus, Ciues. A te, aeternum, ſanctum, miſericors, Numen, ſperamus, quaecunque doloris noſtri ſolatia ſperare fas eſt, in te confidimus, non defutura ea animis noſtris, quae eos recreare, fouere ac ſuſtentare poſſint. Bonis noſtris, fortunis, votis, ſumme Deus, excuſſiſti, proſtrauiſti nos, vt ad te vnum rerum noſtrarum fontem et auctorem, eundemque altorem et nutritorem vnicum, conſilia noſtra omnia referamus. Serua et tuere Regem noſtrum, in quo ſecundum voluntatem

tem tuam ſumma reip. noſtrae ſalus continetur. Tuere Viros ſanctiori Regis conſilio regundisque his terris Brunſuicens. adſcriptos, quorum curis ac conſiliis tu adhuc remp. inter tantas calamitates et aerumnas, quibus tot regiones ac prouinciae infeſtantur, ſaluam et incolumen ſtare voluiſti, quorumque ſapientia, voluntate ac prouidentia, ſi tibi, prouidentiſſime Pater, ita placuerit, res noſtras loco ſuo et ſtatu inconuulſas et immutatas retinebis, priſtinumque iis decus ſuum ornamentaque, quibus tu ipſe, omnium bonorum fons et auctor, eas ditaſti, perpetua et integra tuebere. Iterabitur harum precum religio fientque vota et ſupplicationes inter ſollennia deponendi et ſuſcipiendi magiſtratus academici ipſo die II. Ianuarii, in templo academico, ad quod pompa ducetur, cui vt praeſentia veſtra, Illuſtriſſimi Comites, ſplendorem adiicere velitis, humaniſſime rogamus. Neque vero vos, Generoſiſſimi Ornatiſſimique Ciues, pro amore veſtro ſtudioque noſtri, quo ad tantam humanitatis politiorisque elegantiae laudem aſſurgitis, committetis, vt ſollennibus noſtris aut frequentia ſua aut modeſtia veſtra deeſſe videatur. P. P. ſub finem a. MDCCLXXI.

IN-

INDEX. *)

A

Academiarum celebritas, a quibus ſtudiis proficiſcitur. 284
Acheruſia palus in Aegypto. 151
Adrianus Imp. Sophiſtis Alexandrinis fauet. 92 cf. 121
Aegyptii. Leges, quibus regum vita circumſcripta fuit 138. luctus, quo eorum mortem proſecuti ſunt Aegyptii 142. ſqq. Funus regum et ſepulcra 144. ſqq. Iudicium de rege mortuo 145. cf. 152. Formula in corpore condiendo ſollemnis 147. cf. 153. Aegyptii tenui ac ſimplici victu vſi ſunt 243 - 262. cf. 144. not. Quae inde explicari poſſint 245. Nullos poetas habuere 92. cf. *Alexandrini.*
Aegyptus. Priſtina hominum et vrbium frequentia 224. cf. 259. Superficiei computatio ibid. Fertilitas et cultus 226. 261. Frugum Aegypti origines 349 ſq. Vnde claſſibus exſtruendis materiam petierit 108 not.
Aelius Dionyſius, Grammaticus. 121
Aeſtimatio pecuniae et pretii rerum inter veteres ad noſtra pretia facta valde lubrica 265 ſqq.
'Αΐς, 'Αίδης 368
Αἰσχρολογία, ad notionem cultus religioſi vix referri poteſt. 201
Alexander Aetolus, eius Apollo et Muſae 96. Fuit idem Grammaticus. 99
Alexander M. Eius tempore artes ſummam excellentiam adeptae ſunt 59. mors eius ſpes ad litterarum incrementa laetiſſimas praecidit 86. ſeges hinc ſubnata 87. Ei. de Geographia merita 106. item de hiſtoria naturae 107. ei. victoriis fruges et plantae Aſiae in Occidentem illatae. 337
Alexandria. Eius opportunitates ad litteras 79 cf. 116. color ex vrbis fortuna ingeniis adſperſus 79. cf. 84. litterarum ibi celebritas 125. et corruptelae 88 ſq. earam rerum cauſſae 115 ſq.

*) Confectus ſtudio *I. G. G. Buhle*, Brunſuic. Seminarii philologici ſodalis, praeclarae ſpei iuuenis.

Alexandrini, calamitates iis a Caracalla inflictae 122. eorum in ludos ſtudia 131. Quae iis propria fuerint 132 ſq.
Alexandrini grammatici. Quid iis debeatur 83. cf. 98. ſqq. philoſophi 112 ſq.
Alexandrini ſcriptores et inpr. poetae, eorum character vniverſe 80. cf. 92. ſqq. poetae Alexandrini ſeriores. 101
Ἄλφιτον, Graecis peculiare. 371
Ammonius, ei. de ſcriptis Ariſtotelis locus 126. Scholam Ammonii Saccae propagauit. 124
Amphidromia, feſtum Athenienſium. 246
Ἀοιδός. 175 177 178
Ἀπολικα, (τὰ) quae ſint. 324
Apollonius Rhodius, de eo iudicium 82. cf. 93. Fuit idem grammaticus. 99
Ἀπόστασις coloniarum. 314
Arabes, eorum academiae, quarum adhuc vna Cairi habetur. 117
Argentum, eius raritas ſumma tempore Solonis. 266
Aratus Solenſis, de eo iudicium 93. cf. 82. de ſcriptorum argumento. 99
Ariſtophanes Grammaticus, iudex ludorum Alexandrinorum lectus 98 cf. 130
Ariſtoteles, de pulchritudinis ſenſu 4. eius manu ſcriptorum exemplorum fata. 126
Ariſtotelici, non magno honore Alexandriae habiti 113. eorum conuictus ibid. ſuſtulit eos Caracalla. 122
Artes liberales; earum ſub Ptolemaeis conditio 114 ſqq.
Artes et ſtudia humanitatis et elegantiae; earum natura et vis ad animi voluntatem 271. ſqq. ad facultates animi, quas vocant, inferiores 276. ad delectationem 277. ſqq. artium bonarum vera incrementa ex libertate publica 45. ſi modo acceſſerit aliquis ſtimulus ſeu laudis ſeu honoris ſeu fortunarum 63 ſqq. Eſſe ea quoque poſſunt in imperio 67 cf. *Imperium*.
Artes quam indolem Alexandriae nactae ſint 114 ſqq.
Artium elegantiorum vſus ad diſciplinam academicam 268 ſq.
Aſia, Secale dictum a Gallis. 359
Aſtronomia per Alexandrinos auctus accepit. 108
Aſtrologia et Aſtronomia ſub Ptolemaeis culta. 109 110
Athenae, elegantiam aliquam ſermonis et doctrinae vsque ad Ptolemaeorum tempora retinuere 80. cf. 88. laus frugum inuentarum 353. laus eximiae frugalitatis 246. 263. domus priuatorum nihil ſplendoris habebant 247. Cenſus claſſis primae ciuium. 249 add. not. 266.

Athe-

Athenaeus, eius de Ptolemaei Phyſconis crudelitate locus. 87
Atlantes, ab iis generis humani origines repeti non poſſunt. 378
Attalici reges, librorum comparandorum ſtudio cum Ptolemaeis certarunt. 130
Attica, vnde agri cultura in eam peruenerit. 353 ſqq.
Auenae, agreſtes nonnullis locis occurrunt. 379 380

B

Babylonia, primas ſibi frugum origines vindicare poteſt 341. 377. triticum agreſte ibi naſcebatur 346. agri Babylonii olim fertilitas. 342
de Bailly, I. S. de generis humani incunabulis opinio 378. 379. cf. 108. not.
de Behr, nouus Curator Academiae datus 401. morte ereptus. 409
Beroſus, ei. de Babyloniae fertilitate fragmentum emendatum et explicitum. 341
Bibliotheca Alexandrina 119 ſqq. 126 ſqq. eius praefecti. 129
Briza, frumenti genus. 360
Bruchion. 121. 123. 127. 8
Bucolicum genus a poetis Alerandrinis inuentum et expolitum 98. poetae bucolici. ibid. cf. 82

C

Κάχρυς. 371
Callimachus, famam elegis debet 82. Veterum de eo iudicia 93. ei. ſcripta grammatici argumenti ibid. cf. 94. 99. 120
Callixenus Rhodius ſcr. de Alexandria. 121
τὸ καλὸν, v. *pulchritudo*.
Canon ſcriptorum antiquorum ab Alexandrinis factus. 102
Cantus ſtudium inter Barbaros 167 ſq.
Caracalla in Alexandrinos ſaeuiens. 122
Carmen etiam heroicum cani ſolitum 174. Carminum vis ad homines rudes 170 ſq.
Carthaginienſes frugum primitias Diis patriis Tyrum mittebant 327. agri culturam a Phoenicibus acceperunt 352. cerealia ſemina per occidentem diſperſerunt 337 352
Certamina ſcriptorum a Ptolemaeis inſtituta 84. cf. 97. ad quosnam Ptolemaeorum ea referenda ſint. 130

Charon, apud Aegyptios 145. cf 152. 153
τὰ χίδρα. 371
Choenix, eius ratio. 250
Cicero, eius de morum notatione locus. 24
Claudius Ptolemaeus, de eo 111. 124
Coloniae veteres. Quinam de earum iuribus egerint 292. in quo plerumque erratum ſit 311. earum iura diuerſa a iuribus noſtrarum coloniarum, et quibus de cauſſis ibid. diuerſa coloniarum notio, natura et ratio 294 ſq. Cauſſae mittendarum coloniarum, modo a neceſſitate 296 modo ab vtilitate profectae 297. Veteres quoque commerciorum cauſſa colonias inſtituerunt 299. Quid de iuribus coloniarum et in eas metropoleon omnino ſtatuendum ſit 301 ſqq. Graecae ciuitates de principatu bello contendentes primae iura mutua ſubtilius recenſuerunt 305. Europaei in primis coloniis in Americam deducendis iura, cauſſas et conſilia coloniarum neglexerunt 306. Quaenam iura proprie eſſe debeant 307. Coloniarum iura et officia neceſſitudinis, συγγενείας, pietatis, aliisque nominibus declarantur 312. ſqq. religiones et ſacra, leges et inſtituta, coloniae e patria in nouam ſedem transferebant 315. 316. officia et iura ſingulatim expoſita 317 ſq. Coloniarum deducendarum leges et conditiones diuerſae fuerunt 323. coloniae cum metropolibus foedera ſanxerunt 324. de neceſſitate frugum primitias aut decimas diis patriis ad metropolin mittendi 326. Quinam de coloniarum iuribus poſtea ſcripſerint. 329
Colotes Epicureus. 114
Comici poetae Alexandrini. 97
Conſtitutio Theodoſiana l. 11. de Pagan. 124
Cretenſes, frugum initia ſibi vindicarunt. 381 ſqq.
Cynici, eorum frequentia Alexandriae. 114
Cyrenaica diſciplina Alexandrinis accepta. 114
Cytherii, Lacedaemoniorum coloni 223. Κυθηροδίκης ibid.

D

Δαισάνη. 372
Demetrius Phalereus, primus orationem inflexit et mollem reddidit. 91
Deus, Deorum nomen vagae notionis. 198
Dio Chryſoſtomus, Or. in Alexandrinos illuſtrata. 131 ſqq.
Diodorus Cronus. 89

Diodo-

Diodorus Siculus. Quae de Aegyptiorum praeclaris inſtitis narrauerit 138. ſqq. Quid de iis ſtatuendum ſit 142 148 ſqq. Attexuit plura a re aliena 146. not. inprimis de funere Aegyptiorum 150. loc. de inuentis ab Iſide frugibus excuſſus 350. alius de tritico Siciliae agreſti 356. de Cretenſibus frugum inuentoribus. 382
Dionyſiaci muſici (Διονυσιακοὶ τεχνῖται). 111
Diſciplina academica emendanda per artium elegantiorum ſtudia 268 ſq.
Dominatio v. *Imperium*.

E

Eloquentia, eius ſtudia ad artes litterasque in liberis ciuitatibus magnam vim habent. 68
Elyſium, de eius ſitu 395. 397 ſq.
Enthuſiaſmus, quid ſit 13. praeclarus e grato bonorum ſenſu 187. Poetices parens et altor. 188
Ἐπιδημιεργὸς Corintho Potidaeam miſſus. 322
Eraſiſtratus, medicus Alexandrinus. 110
Eratoſthenes, Longini de eo iudicium 81. de eius carminibus 96 not. ſcriptis 99. 102. 111. 121
Euphorion, de eius carminibus 94. not. 97. not.
Expiationum ritus vtiliter inuenti. 214

F

Fabae, ſilueſtres. 360
Fabulae. v. *Mythi*.
Far, Italiae domeſticum. 357
Farina cruda pro cibo. 370
Fermentum, de eius inuentione. 373
Feſta, eorum celebritas in Graecia ad artes litterasque multum vtilitatis attulit 69. ad vitam antiquam memoria recolendam erant inſtituta. 368
Feſtus, ei. de Libyco campo locus expoſitus. 357
Frequentia hominum inter veteres populos 222. ſq. 259. ſq. eius cauſſae; et in his inprimis frugalitas 227. cf. 249. 255. effici poteſt maiorum rerum neceſſariarum, qua ali homines poſſint, adfluentia 231. 229 temperato vtilium et iucundarum rerum vſu 235. cf. 257. ſqq.
Frugalitas, eius vtilitas ad ciuium frequentiam v. *Frequentia*. veterum in veſtitus reliquique vitae cultus tenuitate 247. ad coelum, ſolum, morem referenda et aeſtimanda eſt 254. eius vtilitates tam ad politicam diſciplinam, quam ad philoſophiam ſpectant 257. ſq.

Fruges, quinam de earum originibus ſcripſerint 332. cf. 376. Conſtituitur quaeſtio de prima inuentione vſus cultusque earum 333. Quonam in loco et quodnam frumenti genus hominibus primum innotuiſſe probabile ſit 335. frugum, fructuum ac plantarum per totum terrarum orbem a quibus facta permutatio et tranſportatio 337. fruges ſponte natae, cultus priſci plerumque reliquiae 339. ſq. 379. 380. primae frugum origines non in Sibiria auſtrali quaerendae 338. ſqq. 379. nec ab Atlantibus repetendae ſunt 378. quatenus ex Babylonia earum origo peti poteſt 335. 340. 347. 467. Frugum origines et propagationes paucis comprehenſae 361. Frugum inuentarum tractatio ab initiis inde humani generis, diuerſis temporibus varia ac diuerſa 363. ſqq. eius progreſſus 366. ſqq.

Fulgentius, ei. de medicinae ſtudiis ap. Alexandrinos locus. 110

Furiarum notio a ſapientibus inuenta. 214

Furni inuentum 367. 374

G

Galenus 110. eius de codice libri III. Epidemiorum Hippocratis locus. 127

Genius Saeculi Ptolemaeorum. Quid ſub eo intelligatur 79. eius cauſſae ſtrictim 84. cf. 115 ſqq.

Geographia ab Alexandrinis exculta 83. Alexandri de ea merita 105 ſqq. Scriptores geographici. 106

Γόγγη et γόμη. 342

Gom, milii genus. 381

Graecorum coloniae, earum cum originibus ſuis neceſſitudo, officia et iura 310 ſqq.

Graecia. Priſtina hominum in ea frequentia 222. frugalitas 264. antiqua vita et quae inde illuſtranda 172 ſqq. primi incolae cum Caraibis comparandi 211. vnde mitiorem cultum accepere ibid. ad humanitatis cultum inſtituta et mores. 213

Grammatica proprie dicta, eius ſtudium apud Alexandrinos 100. Grammatica eruditio corruptelae ſemina litteris attulit. 104

Grammatici, qui dicti 98 ſq. Alexandrini 101 ſq.

H

Hades. 368
Hegeſias. 114
Herodoti locus de Babylonia excuſſus 342. 343. 381
Herophilus, medicus Alexandrinus. 110
Heſiodus, eius carmina a Graecis cantata 174. cf. 176
Hiſtoria, eius ad omnes diſciplinas vtilitates 280 ſqq.
Hiſtoria naturae, peregrinationibus Ptolemaeorum aetate inſtitutis auctus accepit. 107
Hiſtorici Ptolemaicae aetatis, quid ſectati ſint 105. Nobiliſſimi eorum laudati ibid. not.
Hom, amomum. 381
Homerus. Homerici verſus a Graecis cantati ſunt 174. Grammaticorum Alexandrinorum de eius carminibus merita 83. 102 ſqq. lucem lucratur ex barbarorum ac ferocium populorum notitia 209. locus Odyſſ. δ, 591. ill.
Hominum frequentia v. *Frequentia.*
Hordeum, ſilueſtre in India 345. inter Europae terras primum in Attica ſatum eſt 353 ſqq. fuit a Graecis in ſacris retentum 369. equorum pabulum 370. ſponte naſcens etiamnum in Sicilia reperitur 378. vulgaris cibi loco habitum ap. Graecos. 389
Humanitas. Ortus eius et progreſſus contemplatio iucunditatem et vtilitatem habet 207 ſqq. Quinam de ortu et progreſſu humanitatis ſcripſerint. 218

I

Ἱκετεία inter priſcae Graeciae inſtituta praeclara. 213
Imperium regium maiorem ad litteras opportunitatem habet 67. cf. 79. imperium iniuſtum et violentum ingenia et artes ſrigore adſtringit, interdum enecat, non ab ipſo tamen imperii genere et natura id efficitur 70 ſq. Splendor artium litterarumque cum temporibus imperii calamitoſiſſimis coniunctus aliis cauſſis debetur. 72
India, an ex ea generis humani origines. 377
Indicae res, earum ſcriptores. 106
Inferarum rerum notiones vnde petitae 395 ſq.
Inferiae, quo conſilio inſtitutae. 214
Ingenium pulchrum, quid ſit 9. cf. 37.
Inſtituta nonnulla et mores antiquae Graeciae. 213
Inſtitutum hiſtoricum Gottingenſe 280. eius inauguratio 285 ſq.

Inuen-

Inuentorum fortuna 364. 103

Iſocrates, ei. de philoſophiae inuentione Athenienſibus tributa locus explicitus. 212

Italia. Priſtina hominum in ea frequentia 223. cf. 259. a Siculis frumenta agrique colendi inuentum accepit. 357

Iudaei ad mores et litteras Alexandrinorum immutandas contulerunt aliquantum. 134

Iupiter, eius nomen variarum rerum notiones complectitur 206

Iura apud veteres ſub *moris* voce veniunt. 311

L

Legislatio, eius apud veteres ratio comparata ad noſtram. 139. ſqq.

Legumina, apud Pheneatas nata. 361

Libertas publica, eius laudes 48 ſqq. cf. 75. litterarum artiumque excellentia non vnice libertati ciuitatum tribuenda eſt 55. contra liberae ciuitates artium litterarumque incrementis minus idoneae ſunt 57. variae libertatis acceptiones 61. finitio eius vera 62 quid demum libertas ad litterarum honorem adferat. 63

Litterae v. *Artes*. Ex Aegypto fugatae, in Graeciam reduces 87. earum poſt Alexandri mortem fortuna 86. inprimis Alexandriae v. *Alexandria.*

Locri, eorum monumentum publicum Polybio ſuſpectum. 312. cf. 324

Longinus. eius de Eratoſthene iudicium. 81

Lotus, apud Aegyptios. 244

Lucianus, eius de Callimacho iudicium 93. not.

Ludi ſolemnes, eorum in Graecia ſapientiſſimum inſtitutum. 69

Luſus poetici pueriles ſub Ptolemaeis. 104

Luxus ad artium litterarumque incrementa magnam vim habet 66. luxus diuerſitates apud veteres 264. luxus Ptolemaeorum 115. Athenienſium 264 ſqq.

Lycidas, poeta bucolicus. 98

Lycophron, de eo 94. 97. 102. de eius anagrammate. 104

M

Magia Alexandrinos tenuit. 110

Μακάρων νῆσοι. 396

Mane-

Manetho, de eo eiusque carmine apoteleſmatico 95. 96. not. cf. 109
Matheſis, eius incrementa Ptolemaeorum aetate 108. Scriptores ibid.
Maza, pultis genus. 371
Medicina, eius incrementa Alexandriae 109. ſqq. Scriptores ibid. corruptela ibid.
Medimnus frumenti Atticus, quanti Athenis venit 266. 267
Mediocris virtus non minus repudianda quam m. doctrina. 156
Memnon Sidita, de eius characteribus. 127
Menelaus. in Elyſium deductus 395. 397. 400
Metropolis, ei. iura in colonias 313. 314, cf. 317 ſqq. 320. eius officia in colonias 319 ſqq.
Milium in Babylonia 344. 345
Mirabilium rerum ſcriptores. 107
Molae inuentum. 367. 382
Mola falſa, apud Romanos. 369
Monaulus apud Alexandrinos. 111
Monteſquieus, eius opinio de muſices fructu et honore in veteri Graecia. 182
Mores, eorum vis ad ingenium 8. ad inueniendi artem 10. ad phantaſiam ibid. ad iudicium in dilectu rerum faciendo 11. ad mores humanos reddendos et exprimendos ibid. ad enthuſiaſmum 13. ad pulchritudinis ſenſum, guſtum et iudicatum 15. ad pulchritudinem ethicam 16. ad animi adfectus et motus 17. ad propenſiones et adfectiones animi 18. ad ſupremam illam pulchritudinem 20. Variae vocis *mores* acceptiones et finitio 20. cf. 35. ad notationem morum rite inſtituendam 23. ad externum operum artis habitum 26. morum fructus in humaniorum litterarum doctrina 32. Exempla quibus haec probantur et illuſtrantur vid. 10. cf. 27. ſqq.
Mos maiorum, ad eum fere veteres ius gentium et ius publicum vniuerſale retulerunt 311. cf 317
Munchhuſii ſacrum parentale indictum. 383
Muſeum Alexandrinum, de eo 117. Viri docti Muſeo adſcripti ibid. Muſeum Claudium. 121
Muſica floruit Alexandriae 111. c. not. Scriptores ibid. Muſicorum modorum vis ad barbarorum animos 167. tum ad Graecos, eiusque rei cauſſae 174 ſq. 182.
Μύλη veterum. 367

Mythi veteres, eorum cauſſae phyſicae 183 ſq. in ipſa hominum natura 190. in ſermone, quo vtebantur homines rudes 191. 203. in externarum rerum conditione ac ſpecie priorum hominum ſenſibus obuerſata 193. 203. 204. 205. ex mythis fluxit antiqua religio ac philoſophia 196 ſqq. et viciſſim mythi ex philoſophandi more 203. 4. 5. Graecorum mythologia infinitas res diverſi admodum generis comprehendit. 205

N

Naturae ſtudium feros auctus habuit. 107
Natura diuina. De ea opiniones vnde ortae 196 ſq. quomodo ad humanam ſpeciem ea adumbrata fuit. 203
Nearchus, 106
Neceſſitudo, vis voc. ſi inter coloniam et metropolin fuiſſe dicitur 312 ſq.
Nicander, de eo iudicium 82. 93. 99
Niliaci modi. 111
Numa, tribuitur illi inuentum torrendi farris 367. cf. 369

O

Olyra, frumenti genus, maxime apud Aegyptios 350. cf. 360. 370.
Oratores, eorum ſtudia. 90
Οὐλοχύται, quid ſint 368. 369
ὦχρος, legumen. 342

P

Panificium, multis experimentis ad perfectionem adductum. 364-375
Pantarces poeta. 121
Papyrus. ap. Aegyptios. 244
Phanodemus, antiquitatis Atticae ſcriptor. 355
Philochorus, hiſtoriae Atticae ſcriptor. 354
Philoponus (Ioannes). 124
Philoſophia, eius ratio apud Alexandrinos 84. et viciſſitudines et corruptelae 112 ſqq. antiquior philoſophandi mos apud Graecos 172 ſq. 212 ſq. ab initiis humanitatis repetenda 208. 215. not. quid ex peregrinatorum narratione profecerit. 209

Philo-

Philoſtephanus Cyrenaeus. 107
Philoſtratus Aegyptius, Sophiſta. 91
Phoenices, agri culturae apud eos initia 351 ſqq.
Pittaci dictum 160. 161. 164. 165
Plato, eius de morum pulchritudine amplectenda magiſterio locus 7. Platonica philoſophia ab Alexandrinis recepta, mox corrupta. 114
Plinius, de magiae origine locus. 110
Poetae vetuſtiſſimi Graeci. Iudicii honorifici de iis inter veteres a noſtrorum hominum moribus tam diuerſi cauſſae 166 ſqq. cf. 176, eorum doctrina ad diſciplinam publicam priuatamque efficax fuit 172 ſqq. poetae e Ptolemaeorum aetate 92 ſq. Alexandrini ſeriores. 101
Poetica ab Alexandrinis tractata 101. origo e cantu rudium aetatum repetenda 170. eius vis ad barbaros populos ibid. ex enthuſiaſmo nata. 188
Porphyrius, ex eo formula in corpore Aegyptiaci regis condiendo ſolemnis 147. 153
Poſſeſſiones, earum aeſtimatio apud veteres noſtrae prorſus diſſimilis 249. cf. 265
Pretia rerum apud veteres, eorum aeſtimatio lubrica et parum tuta 265 ſqq.
Προεδρία, metropoleon. 325
Προφράγματα. 248
Ψαιστά. 368
Ptolemaeorum ſaeculi genius 76 ſqq. eorum regum merita de litteris 120. 116. 87. 88
Ptolemaeus Auletes. 111
—— Euergetes I. 89
—— Lagi, litterarum ſtudia in Alexandriam intulit. 88
—— Philadelphus, eius magiſtri 89. hiſtoriae naturae ſtudium adiuuit 107. Ariſtoteleorum librorum apographa bibliothecae Alexandrinae intuliſſe videtur. 126.
—— Philopator. 116
—— Phyſcon (Euergetes II.) litteras Alexandria fugat 87. 89. 117. hiſtorias perſcripſit 105. 116. eius ſtudium ad exempla librorum primaria paranda conuerſum 127. certamina ingeniorum inſtituit 130. 98
—— Soter v. P. *Lagi.*
Pulchritudo, acceptiones eius nominis impropriae et finitio vera 5. quid ad eius ſenſum et intellectum deſideretur 7. pulchritudo ethica 16. pulchritudo ſuprema 20. arbitraria et opinata. 24

Puls-

Puls, pro pane 371. 372. not, 373
Pyramides Aegyptiacae, de impenſis in eas factis. 245
ὁ Πυρὸς (robus) tritici genus. 358

Q

Quadratum, ſymbolum firmitudinis et conſtantiae apud veteres 161. cf. 165

R

Regum antiquorum dignitas et ius. 210
Religio. eius notio accurate conſtituenda 196 ſqq.
Religioſi ritus originem ex vita communi duxerunt 368. 202. religioſus ſenſus vnde in barbaris proficiſcatur 199 ſq. eius ſenſus variae ſuccedunt affectiones 201 ſqq. ex ritibus vix bene ea omnia eruuntur. 203
Robus, tritici genus. 358
Romani, de eorum frugalitate 250 ſqq. coloniarum, quas miſerunt, diuerſa a Graecis, ratio 308. fruges et plantas aliis terris communicarunt. 337

S

Sacrificia, ad imitationem moris et vitae communis primo facta 368. ſqq.
Saltationis ſtudium inter barbaros. 167
Sapientes, antiqui cum noſtris philoſophis comparari non poſſunt. 216
Scholia, fructus eorum ad litteras. 103
Scopadae 159. cf. 164
Secale, (rogga). 359
Σεμίδαλις, tritici genus. 359
Seneca, eius de bibliothecis, inprimis de Alexandrina, iudicium 119. de nouarum coloniarum cauſſis locus. 298
Sententiae poetarum ex primis ſapientibus ductae 214. 215. not.
Sepultura inter inſtituta humanitatis. 214
Serapeum Alexandrinum 122. ſq. 128. alterum Canopi 124. de Serapide 128.
Sibiria, an frugum ſatiuarum prima nutrix 338. 360. 378. 379
Sicilia, in ea tritici colendi origines 355 ſqq.
Siligo, tritici genus. 358

Silli, Satyrae genus. 98
Simmias Rhodius, eius Apollo 96. not. luſus pueriles. 104
Simonides, de eius verſibus, in quibus, virum bonum conſtanter eſſe, difficile eſſe, aſſeritur 155 ſqq. Ipſum dictum ad numeros reuocatum 160. cf. 164. eius interpretatio a Socrate facta 161. cf. 164
Solonis lex ſumtuaria. 266
Sophiſtae, eorum ſtudia 91. ſcholae Alexandriae ibid. ſqq.
Sphaerus. 113
Stoici Alexandriae pauci 113. florebant apud Macedones, Pergamenos, Babylonios ibid.
Suidae loc. ill. 165
Σύμμαχοι, nomen ab Athenienſibus promiſcue etiam coloniis impoſitum 318. cf. 323
Συσσίτια virorum doctorum 121. Muſei ibid. Ariſtotelicorum Alexandriae 113. 121. 122

T

Τετράγωνον vid. *Quadratum.*
Theocritus. 82
Theodorus Atheus. 89. 114
Theophraſti loc. emend. 344. 5.
Θεωροὶ, ad ſacra ſollennia miſſi. 325
Thucydides, ei. de Corinthiis in Corcyraeos exacerbatis locus dilucidatus. 326
Timaeus Locrus, de cauſſis pulchritudinis. 6
Timon Phliaſius 98. 119
Torrendarum frugum inuentum 367. 8. 9.
Tragici poetae Alexandrini. 97
Triptolemus 353 ſqq
Triticum inter fruges ſatiuas primo excultum fuiſſe videtur 336. in agro Babylonico ſponte naſcebatur 341. ex Sicilia in reliquas terras occidentales primum perueniſſe videtur 355. Triticum ſilueſtre etiamnum nonnullis in locis reperitur. 380

V

Vannus, cur ſacra habita 372 ſq.
Veſtitus, ei. apud veteres ſimplicitas et tenuitas 247. cf. 264
Fr. ab Vffenbach donatio bibliothecae academicae facta. 108
Victus v. *frugalitas*, diurnus ſerui apud Athenienſes 250. Romae 251. 252
Virtus perfecta an teneri poſſit 155 ſq.

Vitae humanae initia et ad mitiorem cultum progreſſus. 207
Vitruuius, eius de ludis litterariis Alexandriae locus illuſtratur 130. cf. 97. not.

Z

Zea Mays 344. an illud in Babylonia feri ſolitum ſit 380. vbi primum repertum fertur. 381
Zea, ſ. triticum zea ibid.

ERRORES TYPOGRAPHICI.

Pag. 10. lin. 9. Adiſſonus leg. Addiſonus.
p. 92. l. 17. dictorum l. doctorum.
p. 126. l. vlt. τᾶσι l. πᾶσι.
p. 131. l. 8. legimno l. legimus.
p. 149. l. 18. licentiem l. licentiam.
p. 152. l. 13. propogatis l. propagatis.
p. 154. l. 16. qotiescunque l. quotiescunque.
p. 156. l. 15. petractanda l. pertractanda.
p. 195. l. 8. commilitiones l. commilitones.
p. 203. l. 5. ſubnaſai l. ſubnaſci.
p. 210. l. 26. quot l. quod.
p. 212. in not. l. 7. φιλάξασθαι l. φυλάξασθαι.
p. 215. in not. l. 12. anteruertut l. anteuertunt.
p. 219. l. 9. nature l. mature.
p. 221. in not. l. 2. mankinnd l. mankind.
p. 248. l. 5. aedificis l. aedificiis.
p. 259. l. 35. gemanica l. germanica.
p. 260. l. 15. fertilatem l. fertilitatem.
p. 283. l. 1. venuſtute l. venuſtate.
p. 315. l. 27. cydades l. cyclades.
p. 317. l. 18. νομυζόμενα l. νομιζόμενα.
p. 320. l. 24. Corcyaraeorum l. Corcyraeorum.
p. 325. l. 12. quot annis l. quotannis.
p. 368. in not. l. 2. 3. οὐλοχυταὶ et οὐλοχυταῖς l. οὐλοχύται et οὐλοχύταις, vt pag. ſequ.
p. 375. l. 25. inſigna l. inſignia.